# DISSERTATIONES

# PHILOLOGAE

# VINDOBONENSES.

VOLUMEN TERTIUM.

PRAGAE
F. TEMPSKY.

VINDOBONAE
F. TEMPSKY,

LIPSIAE
G. FREYTAG.

BIBLIOPOLA ACADEMIAE LITTERARUM CAESAREAE VINDOBONENSIS.

MDCCCLXXXXI.

VINDOBONAE, TYPIS DESCRIPSIT ADOLPHUS HOLZHAUSEN.

# HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

# DE OCTAVIA PRAETEXTA

SCRIPSIT

FRIDERICUS LADEK.

Corpus tragoediarum, quae L. Annaei Senecae nomen in libris manu scriptis prae se ferunt, duobus codicum generibus nobis traditum est, quorum alterum littera *E* ab editoribus insignitum, cuius princeps est codex Etruscus sive Florentinus bibliothecae Laurentianae plut. XXXVII 13, scriptus saec. XI vel XII, melius atque emendatius est ita, ut ab eius scripturis omnino proficiscendum sit in tragoediis illis recensendis, alterum deterius (littera *A* id notatur), ad quod plurimi pertinent codices, post saec. XIIII medium exarati omnes, multis interpolationibus foedatum est. utriusque vero recensionis scripturae coniunctae inveniuntur in quinque foliis rescriptis a Friderico Ritschelio inter Ambrosianas Plauti membranas (in codice Ambrosiano *G* 82) repertis, quae Senecae Medeae versus 196—274, 694—744 et Oedipi 395—432, 508—545 exhibent, et in duobus Senecae tragoediarum codicibus, quos Fridericus Leo, vir ille de Senecae fabulis optime meritus editione, quae prodiit Berolini ann. 1878/79, ipse repperit et primus excussit — in Ambrosiano *D* 276 inf. *(M)* et Vaticano lat. 1769 *(N)*, communis archetypi *(Σ)* apographis. nihilominus tamen et folia illa rescripta Mediolanensia littera *R* a Guilelmo Studemundio signata[1]) atque Ambrosianus ille et Vaticanus ex meliore recensione *(E)* fluxerunt; nam deteriorum codicum scripturae, quae in illis inveniuntur, in exemplaribus, ex quibus *R* et *Σ* originem duxerunt, ad genuina verba adscriptae fuisse videntur.[2]) duo autem illa codicum genera iam numero tragoediarum, quas continent, et ordine, quo eas exhibent, inter se differunt. etenim in Etrusco (nam codicis Parisini 8071 Thuanei excerpta,

---

[1]) Cf. eius epistulam in Leonis ed. vol. II, p. XVsq.

[2]) Cf. ea, quae Studemund l. c. p. XXVIII disputavit: 'aut omnia me fallunt aut *R* ex eodem archetypo derivatus est, ex quo *E* . . . quod autem aliis nec paucis locis *R* cum *A* consentit, id facile Tibi concedent viri docti ita explicandum esse, ut statuamus, in eum codicem deperditum, ex quo *R* descriptus est, aliquot lectiones arbitrio correctoris selectas ex interpolata recensione . . . illatas fuisse' et quae Leo vol. I p. 7 de communi codicum Ambros. et Vatic. archetypo *Σ* disseruit: 'innumeris exemplis edocemur, *Σ* exemplar fuisse genuinae editionis collatum cum interpolatae exemplari, e quo variam lectionem corrector adnotavit. quam vel alter vel uterque in verborum contextum recepit marginive variae lectionis loco adpinxit, vel denique utramque scripturam coniunxere variaeve partem tantum recepere'.

quae praeter Etruscum ad prius genus referenda sunt, praebent tantum Troadum versus 64—164, Medeae 579—594, Oedipi 110—136, 403, 404, 429—431, 445—448, 466—471, 504—509) novem tragoediae hoc ordine nobis servatae sunt: Hercules (furens), Troades, Phoenissae, Medea, Phaedra, Oedipus, Agamemnon, Thyestes, Hercules (Oetaeus), in altera vero classe decem extant fabulae tali modo in plurimis eiusdem generis codicibus se excipientes: Hercules (furens), Thyestes, Thebais (i. e. Phoenissae), Hippolytus (i. e. Phaedra), Oedipus, Troades, Medea, Agamemnon, Octavia, Hercules (Oetaeus). videmus igitur tragoediam, quae *Octavia* inscripta est, in meliore recensione deesse, in deteriore inter ceteras fabulas Senecae adscriptas nono loco insertam esse. tamen in duobus illis codicibus *(M* et *N)*, quos magna ex parte ex recensione *E* fluxisse Leo ostendit[1]), Octavia ultimo loco tradita est. qua ex re cave ne colligas eam olim in archetypo classis prioris extitisse. nam inde, quod ultimo loco addita est, patet eam ex codice eius generis, quod littera *A* significari solet, adiectam esse. ceterum conferas tragoediarum titulum, qui in Vaticano *(N)* legitur: 'Marcj lutii annei senece tragedie novem. hercules. troades. phenissa medea. phaedra. oedipus. agamemnon thiestes. hercules. octavia. feliciter incipiunt. Iuno.' librarius igitur numerum 'novem' ex recensionis *E* codice quodam recepit nec tamen eum mutavit addita Octavia.[2]) sed aliud etiam vel maximum discrimen, quod inter Octaviam et ceteras tragoedias intercedit, quicumque titulos perlegerit, statim cognoscet, argumenta dico prorsus diversa. nam Octaviae argumentum non ut in ceteris factum est ex fabulis Graecorum, sed ex historia rerum Senecae temporibus ab imperatore Nerone gestarum depromptum est. describitur enim hac tragoedia, quanta crudelitate Nero Octaviam uxorem, imperatoris Claudii et Messalinae filiam, ex matrimonio expulerit atque exturbaverit. adnumeranda igitur est Octavia illi tragoediarum generi, quod 'praetextarum' nomine significatur, cuius generis hoc unum exemplum integrum nobis servatum est.

Iam exeunte saeculo XV de Seneca huius praetextae auctore dubitatio maxima mota est vel ab eis, qui quin ceterae fabulae ad philosophum illum referendae essent omnino non dubitabant. veluti in Gellii Bernardini Marmitae commentario ad Senecam tragicum Venetiis a. 1492 in lucem emisso haec leguntur: 'in hoc autem volumine est tragoedia, qua

[1]) Cf. vol. I, p. 6 sq. Phoenissae et Medeae versus 1—700 et Octavia in codicibus *M* et *N* fluxerunt ex libro quodam classis interpolatae, ex quo etiam liber Melisseus, quo Lipsius usus est, derivatus esse videtur; cf. Leonem vol. I, p. 14.

[2]) Idem tragoediarum ordo — est is, qui in codice Etrusco extat — conspicitur etiam in titulo cod. Vindobonensis 61; in ipso autem libro alius est fabularum ordo; cf. R. Peiperi et G. Richteri ed. praef. p. XXXIII.

mors Octaviae uxoris Neronis tractatur, quae vivente Nerone non credibile est acta fuisse, sed post illius mortem. ea a primo Seneca scribi non potuit, cum antea mortuum fuisse constet. at hi, qui excusant, non omnes tragoedias eiusdem auctoris fuisse dicunt, quod varietas stili diligenter intuentibus indicat et sic eam alterius fuisse . . .' nihilominus tamen Mart. Ant. Delrio exeunte saeculo XVI[1]) Octaviam totam latinam et totam Senecae esse adfirmavit. contra Lipsius[2]) et Heinsius[3]), quorum ille inter quattuor, hic inter quinque scriptores fabulas sub Senecae nomine traditas distribuit, Octaviam ab homine quodam a ceterarum fabularum scriptoribus prorsus diverso compositam esse adfirmarunt. neque saec. XVII et XVIII editores, inter quos prae ceteris Io. Frid. Gronovius[4]) nominandus est, dubitaverunt, quin fabula illa praetexta a L. Annaeo Seneca abiudicanda esset. quae cum ita sint, mireris sane F.G.C. Klotzschium huius saeculi initio[5]) Octaviam L. A. Senecae vindicare studuisse. quem merito editorum nemo secutus est. nam F. H. Bothe[6]) et T. Baden[7]), qui postea Senecae tragoedias ediderunt, Octaviam incerto adsignarunt scriptori. firmissimis autem argumentis ex rerum historia potissimum petitis F. Ritter[8]) demonstravit hanc tragoediam a L. A. Seneca neque conscriptam neque editam esse posse. pauca eis quae disputavit ille addidit F. Vater[9]).

Iam argumenta, quae in hac re illustranda gravissima sunt, breviter proferam. in Oct. 619 sqq. Agrippinae umbra de imperatore Nerone haec exclamat:

*ultrix Erinys impio dignum parat*
*letum tyranno, verbera et turpem fugam*
*poenasque, quis et Tantali vincat sitim . . . .*
*veniet dies tempusque quo reddat suis*
*animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus*
*desertus ac destructus et cunctis egens.*

quibus versibus Neronis fuga et verbera ei a senatu decreta et sitis in deverticulo absconditi et mors, quam sibi ipsi intulit, praedicuntur tali modo, quali praedici omnino non poterant; cf. quae Suetonius in Neronis

---

1) 'In L. A. Senecae Cordub. tragoedias X amplissima adversaria', Antverpiae 1576 emissa.

2) In animadversionibus ad Sen. trag. Lugd. Bat. 1588, ap. Scriver. p. 5.

3) In animadversionibus in Sen. trag. Lugd. Bat. 1611, ap. Scriver. p. 292.

4) In editionibus Lugd. Bat. 1661 et Amstelodami 1682 emissis.

5) In libello 'de Octavia Senecae' Vitembergae 1804 edito.

6) Cf. eius ed. Lipsiae 1819, Halberst. 1822.

7) Cf. eius ed. Lipsiae 1821.

8) Octavia praetextata. Curiatio Materno vindicatam ad libr. antiq. recogn., brevi adn. instr. ed. F. Ritter. Bonnae 1843.

9) Cf. Iahnii ann. phil. suppl. XVIIII p. 565 sqq.

vita c. 47 sq. de eius caede tradit quaeque apud Dionem Cassium LXIII 29 leguntur. item Neronis exitium tangi videtur versibus, quos Poppaea Sabina somnium suum cum nutrice communicans pronuntiat (v. 732 sq.):

*irrupit intra tecta cum trepidus mea*
*ensemque iugulo condidit saevum Nero,*

quibuscum conferenda sunt Suetonii verba c. 49: 'iamque equites adpropinquabant, quibus praeceptum erat ut vivum eum adtraherent. quod ut sensit (sc. Nero) trepidanter effatus: ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει ferrum iugulo adegit, iuvante Epaphrodito a libellis.' itaque qui versus illos Octaviae scripsit, turpem Neronis vitae exitum compertum habuit. quae res cum acciderit a. 68, adparet Octaviam tribus minimum annis post mortem Senecae, qui a. 65 e vita decessit,[1]) conscriptam esse. sed accedunt alii quoque Octaviae loci, dico vv. 728 sqq. et 739, quibus Poppaea caedem Rufii Crispini, cui antea matrimonio iuncta erat, per quietem se praevidisse dicit. Crispinus autem ille a. 66 interfectus est.[2]) item Poppaeae ipsius mors vv. 595 sqq. praedicitur:

*nubat his flammis meo*
*Poppaea nato iuncta, quas vindex manus*
*dolorque matris vertet ad tristes rogos.*

Poppaea vero aliquot mensibus post Senecae mortem a Nerone calcis ictu occisa est.[3]) eum autem, qui Octaviam composuit, verbis *vindex manus,* quae modo protulimus, et v. 255 sq., ubi Octaviae nutrix dominam consolatura suspicatur: *forsitan vindex deus* | *existet aliquis, laetus et veniet dies,* Iulium Vindicem significare voluisse, cuius potissimum defectu Nero imperio orbatus est, quod Vaterus (l. c. p. 595) coniecit, veri non prorsus dissimile est, etiamsi res pro certo adfirmari nequit; nam similia saepius in ceteris tragoediis leguntur, veluti Phaedr. 261: *proin castitatis vindicem armemus manum,* Herc. F. 385: *sequitur superbos ultor a tergo deus,* Med. 172 sq.: *fugiam, at ulciscar prius.* | *vindex sequetur.* tamen ad ea, quae Ritterus et Vaterus protulerunt, id quoque addi potest, Oct. vv. 831 sqq. Romae incendium, quod a. 64 factum esse constat, apertis verbis significari. atqui credibile non est Senecam paullo ante mortem eius rei in fabula quadam mentionem fecisse. his igitur causis extrinsecus petitis Octaviam a L. A. Seneca conscriptam non esse probatur. id quod argumentis quoque ex ipsa tragoedia desumptis planum fit. in Octavia enim vv. 376 sqq. Seneca ipse inducitur et talia profert, qualia eum ipsum se loquentem fecisse prorsus incredibile sit. accedit, quod etiam dicendi genere Octavia

---

1) Cf. Taciti Ann. XV 63.
2) Cf. Taciti Ann. XVI 17.
3) Cf. Suet. Ner. 35 et Tac. Ann. XVI 6.

a ceteris tragoediis paululum differt; in universum enim in ea non tantus verborum tumor, ut ita dicam, quantus in ceteris conspicitur et, ut singula proferantur, iam Richter[1]) observavit particulam 'mox', quae nusquam in reliquis traegoediis obviam fit, in Octavia octiens legi et quidem ita, ut vim particulae 'deinde' habeat, recteque idem mentione dignum esse ait, quod adiectiva in 'ficus' et 'fer' terminata, quorum magnus numerus in ceteris novem fabulis extat, in Octavia prorsus desiderantur.[2]) quodsi ille adnotat particulam 'retro' in omnibus fabulis excepta Octavia inveniri, hanc observationem iam B. Schmidt fecit in dissertatione 'de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus metricis et prosodiacis' (Berolini a. 1860) p. 34. denique aliud quoque eius generis discrimen inter Octaviam et ceteras fabulas intercedit. cum enim in reliquis fabulis nusquam nisi uno loco, dico Ag. v. 417 sq. *refugit loqui | mens aegra tantis atque inhorrescit malis,* particulae 'atque' traiectio admissa sit, in Octavia haec particula quinquies vocabulum, cui praeponenda erat, sequitur (v. 110, 165, 244, 474, 561).[3]) haec igitur de dicendi genere, quod in Octavia conspicitur. iam si rem metricam respicimus, animadvertimus in huius fabulae versibus anapaestis licentias quasdam saepius quam in ceteris tragoediis admissas esse. quibus omnibus rebus respectis iam nemo[4]) puto hodie dubitabit, quin Octavia a L. Annaeo Seneca abiudicanda sit.

Sed iam oritur quaestio, a quo poeta vel ut rectius dicamus, cum ea res erui vix possit, quo tempore haec praetexta composita sit. quam in rem ut accuratius inquirerem, mihi in hoc libello conscribendo proposui. et primum quidem necesse videtur diligenter examinare, quae usque ad hoc tempus ab hominibus doctis prolata sint ad hanc quaestionem expediendam, ut planum fiat, quid illi in hac re tractanda profecerint.

Omnes fere, qui ante Vaterum de tempore, quo Octavia composita

---

[1]) In dissertatione, quam 'de Seneca tragoediarum auctore' conscripsit (Naumburgi a. 1862) p. 3.

[2]) Cuius rei probabilem causam adicere potuisset, si ea legisset, quae B. Schmidt in commentatione 'de Romanorum tragoedia' Mus. Rhen. XVI p. 589 sq., adn. protulit: Senecam illis adiectivis usum priores poetas tragicos imitatum esse.

[3]) Quod iam B. Schmidt in 'observ. crit. ad Senecae trag.' (Ienae a. 1865) p. 11 sq. observavit. quod si ille v. 244 sic legit: *fruiturque vita noxiamque animam trahit* ideoque hunc locum omisit, iure Richter et Leo codices secuti ediderunt *noxiam atque*, quae scriptura iam in Delrii editione extat.

[4]) Nam, quem M. Hoche, qui in libello de metris Senecae composito (Halis a. 1862) praef. p. 1 dicit: 'wie denn die gewöhnlich auch dem Seneca zugeschriebene Octavia . . .' praeter Klotzschium significaverit, equidem sane nescio. unus L. de Ranke, qui a. 1882 nonnulla de Senecae tragoediis conscripsit, Octaviam a Seneca non abiudicavit; nec tamen — quod sane mirandum est — difficultates, quas supra commemoravimus, tetigit, cf. 'Abhandlungen und Versuche von L. v. Ranke. Neue Sammlung. Herausgegeben von A. Dove und Th. Wiedemann.' Lipsiae 1888, p. 59 sqq.

esse videtur, disputaverunt, Flaviorum vel primis Traiani temporibus i. e. haud multo post Senecam eam conscriptam esse contenderunt. veluti I. Pontanus 'de auctoribus tragoediarum ad Petrum Scriverium prolegomenon' de ea re haec verba fecit[1]): 'quarum (sc. tragoediarum) Octaviam clarissimus Lipsius a puero vel pueri saltem modo perscriptam censuit. quamvis eam . . . Heinsius licet humi serpentem Thebaide tamen et Oetaeo, quas idem Lipsius ordine dignitatis inter primas habet, minus putidam et cultu quoque sermonis meliorem statuit. Ios. insuper Scaliger . . . stili characterem, qui in eadem est Octavia, cum reliquis eundem et auctorem quoque Neronis temporibus interfuisse existimat rationem hanc adiciens, quod non tantum cometae, qui ipso Nerone et Seneca adhuc superstite effulsit, mentionem faciat, sed se etiam praeter ceteros spectatorem eius fuisse asserat. sed vixerit aevo Neroniano, an et scripsit quoque? hoc multa sint quae negant. et praesertim Agrippina nonne inter alia (actu III) ea loqui introducitur, quae cum postea facta sint, quomodo ab ipso nisi Apolline aliquo pleno perscribi potuerunt? ut taceam de culpa dicere, quam nutrix (actu IV) Senecae affingit. sed de hisce haec satis.' Scaliger autem non satis habuit contendere Octaviam Flaviorum temporibus esse conscriptam, immo longius adeo est progressus; adtribuit[2]) enim eam Scaevo Memori poetae tragico, quem Domitiani temporibus vixisse constat, fratri Turni poetae, qui satiras composuit.[3]) neque tamen ullum protulit argumentum, quo talem coniecturam sane temerariam comprobaret. itemque sine ulla causa Vossius[4]) ab Annio Floro, qui sub Hadriani imperio Romae vixit, Octaviam conscriptam esse opinatus est. contra Fr. Ritter in libello s. c. eam certis argumentis, ut ei videbatur, prolatis Curiatio Materno, oratori et poetae, qui ex Taciti dialogo de oratoribus sat notus est, vindicare studuit eique adstipulatus est Adolfus Stahr.[5]) Ritter enim putavit ex commemoratione nonnullarum rerum Neronis tempore gestarum concludi posse, Octaviae scriptorem ipsum Neronis tempora vidisse. ex iisdem vero versibus, quos Ritter ad sententiam suam probandam protulerat, et nonnullis aliis Vater l. c. conclusit fabulam illam incerta post Traianum aetate compositam atque editam esse; Octaviae scriptorem enim Taciti annales, qui intra annos 115 et 117 in lucem editi sunt, in hac tragoedia componenda respexisse vel adeo in usum suum convertisse. id

---

1) Cf. Scriverii ed. part. alter. p. 355 sq.

2) In ep. 414 (p. 770 ed. Lugd.) et 247 (p. 532), cf. Bernhardii hist. litt. Rom. (ed. III) p. 399 adn. 322.

3) Cf. Teuffelii hist. litt. Rom. (ed. IIII.) p. 734, §. 323 adn. 3.

4) Opp. III de poetis latinis CXII §. 11.

5) In libro de Agrippina Neronis matre conscripto (Berolini a. 1867) p. 272.

quod Guil. Braun[1]) fusius demonstrare conatus est eo tamen ductus consilio, ut probaret Octaviae fabulam medio q. d. aevo (saec. XII—XIIII) conscriptam esse. postquam enim ille p. 12 sqq. libelli sui locos congessit, quibus Octaviae scriptorem Senecae tragoedias et in primis 'Troades' imitatum esse confirmaretur, ostendere studuit totam fabulam ex Tacito pendere locis, quibus ei similitudo quaedam inter Tacitum et Octaviae scriptorem intercedere videbatur, enumeratis pp. 20—47. item locos ex Senecae libris prosa oratione conscriptis desumptos cum similibus Octaviae composuit, ut planum faceret, unde, quae in Octavia narrantur, petita essent. id enim pro certo habet Braun: nos de omnibus rebus, quae in ea fabula commemorantur, ab aliis quoque scriptoribus edoceri neque ullam in ea rem tangi, quae non ex rerum scriptorum libris, qui quidem ad nostram aetatem pervenerunt, hauriri potuerit. sic ex Taciti imitatione, quae res Braunio certissima est, progressus p. 56 sq. ad suam de Octaviae origine sententiam proferendam et stabiliendam pervenit. etenim cum Octavia, utpote ex Taciti annalibus hausta sine dubio post a. 117 conscripta sit, proximis autem saeculis talis tragoedia nemini placere potuerit, necessario sumendum esse contendit eam studiis Romanorum scriptorum resuscitatis i. e. post saec. XII demum esse compositam. eodem igitur modo, quo Albertinus Mussatus (qui a. 1328 vel 1330 mortuus est) in tragoedia 'Achilleis' inscripta (composuit ille etiam tragoediam 'Ecerinis') Senecam imitatus sit, Octaviae quoque scriptorem rebus ipsis ex Tacito depromptis Senecam imitando secutum esse. cum autem Senecae studia in primis saec. XIIII floruerint, veri simile esse Octaviam illo saeculo fortasse a Seneca quodam (significat Senecam Camertinum, qui c. a. 1420 Anconae vixit) conscriptam esse. codices enim, quibus Octavia tradita sit, saec. XV non vetustiores esse. et fabulam illam nono loco ab ipso scriptore consulto in codices insertam esse, ut ipsius Senecae opus putaretur. haec fere Braun. cuius commenta cum iam a G. Richtero satis explosa sint[2]), pauca tantum hoc loco exponam. ac primum permulti codices, quibus Octavia continetur, iam saec. XIIII scripti sunt,[3]) deinde ante Alb. Mussatum, ut iure Richter ait[4]), nemo erat, qui in scribendas tragoedias operam impenderet, et Mussatus ipse, qui cum Nic. Trevetho (qui a. 1327 mortem obiit) studia Senecae tragoediarum resuscitavit, Octaviam haud dubie noverat, id quod de Colucio Salutato (1330—1406) constare addere

---

[1]) In libello, cui inscripsit: 'Die Tragödie Octavia und die Zeit ihrer Entstehung' (Kiliae a. 1863).

[2]) In ann. phil. t. LXXXXV. 260 sq. et ed. praef. p. XII sq.

[3]) In quibus Laur. 37, 6 (a. 1368 exar.), Ambr. D 276, Vat. lat. 1769, Ambr. H 77 inf. (a 1380 n.) alii; cf. Leonis ed. II, p. 339.

[4]) Cf. ed. praef. p. XII.

potuit Richter; is enim in epistula[1]) de Octavia a quonam Seneca conscripta esset disputavit. neque Braun, quod item Richter contra eum optimo iure protulit, ostendit, quomodo factum esset, ut tot Octaviae loci[2]) in omnibus codicibus corrupti essent. gravissimum autem argumentum, quo uno Braunii opinio evertitur, Leo adtulit[3]). Vincentius Bellovacensis enim, qui saec. XIII vixit, in speculo historiali, quod medio fere eo saeculo compositum est, l. VIIII c. 102 haec profert: 'scripsit etiam idem Seneca . . . . tragoedias . decem' et in 'floribus tragoediarum eius', quos cc. 113 et 114 collectos invenies, Octaviae versus 428, 434, 435 exscripsit: 'idem (sc. Seneca) in Octavia: luxuria blanda pestis victrix orbis immensas opes iam pridem avaris manibus ut perdat rapit'. haec excerpta aliis quoque spec. hist. locis leguntur atque in ceteris speculis, naturali[4]), morali, doctrinali. singulae tragoediae, ex quibus versus vel versuum partes adferuntur, hoc ordine in spec. hist. l. VIIII capitibus se excipiunt: c. 113: 'Troades, Thyestes, Octavia, Hercules Oet.', c. 114: 'Hercules fur., Thebais, Hippolytus, Oedipus, Medea, Agamemnon'. deterioris autem librorum generis fuisse exemplar, quo usus est Vincentius, comprobatur et titulis 'Thebais, Hippolytus', et scriptura versus Thy. 347 *non auro nitidae trabes* ('trabes' enim *A* exhibet, 'fores' *E*). quod si seriem tragoediarum, quae est in *A*, cum ea, quae in excerptis conspicitur, comparaveris, intelleges ordinem immutatum esse. certe ea quae leguntur in c. 114 priore, excerpta in c. 113 posteriore loco ponenda fuisse adparet. quae res confirmatur eo, quod Vincentius in spec. hist. III 59 Herculem Oetaeum ultimum in Senecae tragoediis locum obtinere dicit. iam transpositis capitibus illis vides Agamemnonem sextum locum occupare. qua in re memorabile est id, quod Aldhelmus, qui saeculo VII vixit, in libro 'de septenario et de re metrica ac grammatica ad Acircium regem[5])' Agamemnonem sextum (Senecae tragoediarum) volumen dicit. unde, id quod Leo intellexit comm. s. c. p. 41, exemplar, ex quo Vincentii excerpta fluxerunt, eodem ordine tragoedias, quo in Aldhelmi exemplari singulae fabulae se excipiebant, positas continuisse veri simile est. Aldhelmi vero exemplar, quod quasi

---

[1]) In Colucii epistularum sylloge ed. a Ioh. Rigaccio Florentiae a. 1742 t. II n. XLI. ex hac epistula Peiperus in praefationis supplemento Vratislaviae a. 1870 ed. p. 2 adn. ** nonnulla adtulit.

[2]) Plerumque nomina propria foede corrupta sunt, veluti v. 41, 731, 882, 887, 980.

[3]) In prolegomenis ad anecdoton quoddam Lugdunense, eclogas e tragoediis Senecae continens, quod Leo in commentationibus in honorem Fr. Bücheleri, H. Useneri editis a societate philologa Bonnensi a. 1873 in lucem emisit, p. 29sq.

[4]) Hoc in speculo nonnullos versus e Senecae tragoediis adferri iam Richter et Peiper in ed. praef. p. XIIII adn. ** animadverterunt.

[5]) Ed. Mai class. auct. V p. 588.

abavus habendum est libri, ex quo flosculi illi apud Vincentium extantes desumpti sunt, Octaviam sine dubio continebat, ut omnes, quos habemus, codices deterioris classis et Vincentii exemplar. et fortasse Boetius, qui a. 524 mortuus est, in libris philosophiae consolationis locos quosdam Octaviae imitatus est, quamquam unus[1]) tantum locus Boetii, quem Peiper[2]) adtulit, alicuius momenti esse videtur, dico I 1, 3sq.:

*ecce mihi lacerae dictant scribenda camenae*
*et veris elegi fletibus ora rigant,*

conferenda sunt, quae in Oct. v. 329sq. leguntur:

*laceratque comas rigat et maestis*
*fletibus ora.*

tamen similia saepius in ceteris fabulis occurrunt, veluti Tro. v. 409sq., 965 et Phoen. 441, Med. 388, 937, Phaed. 382, 990, Oed. 952, 978, Ag. 922. nonne igitur credibile est Boetium eodem modo, quo Octaviae scriptorem, id quod postea videbimus, talia imitatum esse? neque ullo certo loco prolato probare possumus[3]) Claudianum Octaviam ante oculos habuisse.[4]) sed etsi certiora Octaviae vestigia in Claudiani et Boetii carminibus non conspiciantur, tamen dubitari nequit quin iam illis temporibus Octavia cum ceteris fabulis coniuncta fuerit. recensio enim illa codicum, ex qua omnes libri, qui Octaviam continent, originem duxerunt, ineunte saec. V vel exeunte IIII facta esse videtur. certe Lactantius Placidus, Thebaidis Statianae interpres, quem intra annos CCCXC et CCCCXXX floruisse veri

---

1) Ceteri enim loci, quos Richter et Peiper praef. p. XII adn. ** congesserunt, non tales sunt, ut aliqua cum probabilitate dicere possimus Boetium Octaviam respexisse.

2) In 'praef. supplemento' s. c. p. 35.

3) Quod in Richteri et Peiperi ed. praef. p. VIII adn. legimus.

4) Quamquam non cum Paullo Habruckero (cf. eius diss.: 'quaestionum Annaeanarum capita IIII' inscriptam, quae Regimonti Prussorum a. 1873 prodiit, p. 7 adn. 2) adfirmare possum Claudianum exemplar recensionis *E* ante oculos habuisse. nam tribus illis locis Claudiani, quos ille ad sententiam suam probandam adtulit, de imitatione profecto dubitari potest. contulit ille Claud. in Eutr. I 375 *rapit caeli per inania cursum* cum Sen. Phaed. 449 *'nunc cursus rape'* ('luxus' *A*). sed cf. Med. 380: *alumna, celerem quo rapis tectis pedem?* et Phaed. 738 *ocior cursum rapiente flamma* et Lucani Phars. III 116 *rapere gressus.* Claudianum igitur ex Phaed. v. 738 quoque sua desumere potuisse concedendum esset, si de imitatione omnino cogitare liceret. quod item de altero loco non licet; nam quis credet Claudiano XI 32 scribenti *saevas Amazones* obversatum esse Sen. Troad. v. 243 *saeva* ('versa' *A*) *Amazon.* quodsi denique similibus locis apud Claud. d. r. Pros. I 11 et apud Sen. Herc. f. 302, 'Eleusin' legitur (*E*, 'Eleusis' *A*), inde concludere non possumus Claudianum, si re vera Senecam respexit, librum rec. *A* in manibus habuisse; nam fortasse etiam in archetypo rec. *A*, ante saec. V factae, forma antiquis temporibus usitatior (cf. Priscianum VI 28) 'Eleusin' extitit. adde, quod non in omnibus Claudiani libris forma 'Eleusin' extat; sat boni codd. praebent 'Eleusis'. ceterum cf. Statii Theb. XII 132 'Eleusin — arcanas — extulit ignes'.

simile est[1]), Thy. v. 347[2]) sic adfert: *non auro nitidae trabes*, quae id quod iam supra diximus est scriptura rec. *A*. accedit, quod folia rescripta Ambrosiana, quae recensionis deterioris scripturas nonnullas exhibent[3]), saec. V p. Ch. scripta esse videntur, quod G. Studemund, vir talium rerum peritissimus, nos edocet.[4]) neque plane veri dissimile est, quod Peiper[5]) contendit, Boetio, cum phil. cons. III 12 v. 26 *deflet Taenara commovens* scriberet, Her. O. versus 1064 sq. obversatos esse sic scriptos, ut in *A* extant: *cantu Tartara flebili et tristes Erebi deos movit* (*E* 'vidit' exhibet, quod Bothe in 'vicit' correxit). contra in eo, quod Ennodius in apolog. pro synodo Med. v. 459, qualis in *A* scriptus est, adfert: *exuli exilium imperas nec das* ('exul exilium' *E*), certum indicium inesse nego Ennodium hunc versum in libro recensionis *A* legisse, id quod Usener censuit[6]), qui scribendum esse coniecit: 'quo me remittis exulem? exilium imperas nec das.' nam Etrusci scriptura mero librarii errori tribuenda esse videtur. quamquam enim hic liber unicus bonus est inter Senecae tragoediarum codices, tamen in eo ut in omnibus libris manu scriptis sat multa menda obviam fiunt; lineolam sane librarius facile omittere potuit.[7]) sed utut res se habet, id quidem certum est recensionem *A* iam initio saeculi V extitisse atque Octaviam ea aetate in corpus traegoediarum Senecae receptam esse vel iam receptam fuisse.

Sed iam de Richteri commento[8]) verba faciamus, qui Octaviam saeculo IIII conscriptam esse opinatur. et suspicionem sibi ortam esse dicit ab eodem homine et Octaviam compositam et recensionem *A* confectam esse, qui, dum opus suum viri clarissimi auctoritate tueri studeret, inter eius opera vel quae eius esse credidisset suum interposuerit. argumenta

---

1) Cf. Habruckerum p. 8: 'Lactantium autem sin minus aequalem, at certe haud multum aetate minorem Servio fuisse scimus (A. Schottky 'de pretio Lactantii commentarii in Stat. Theb. et de nomine etc.' diss. inaug. Vratislav. a. 1842 ed. p. 39). cum vero Servius exeunte saec. IIII., ineunte V. . . . vixerit . . . Lactantium intra annos 390—430 floruisse veri simile est.'

2) Ad Statii Thebaidis III 530.

3) Cf. Studemundi verba in Leonis ed. v. II p. XXVIII prolata, quae p. 2 adtulimus.

4) Cf. quae Studemund in Leonis ed. v. II p. XVII profert.

5) In Boetii editione p. 231; Peiperum Habrucker l. c. p. 7 secutus est.

6) Cf. Mus. Rhen. t. XXVIII 391.

7) Ceterum quod ad huius versus scripturam adtinet, iure editores scripturam, quae in *A* extat, retinuisse mihi videntur. aptissime enim haec Medea ad Iasonem loquitur: monet eum se eius causa patriam reliquisse. adde quod in his verbis gravis figura, declinatio, inest, de qua vide quae Quint. VIIII 3, 42 exposuit. sat multa eius figurae exempla ex Sen. trag. petita R. Smith congessit in diss. 'de arte rhetorica in Sen. trag. conspicua' (Lipsiae 1885) p. 87. quae omnia evanescunt, si cum Usenero facimus: neque huius coniectura recepta melior evadit sententia.

8) Cf. ed. Sen. praef. p. XII sq.

autem, quibus comprobet sententiam illam, haec profert: primum Octaviam aliquo ante Boetium tempore extitisse ex re metrica probabile videri, deinde vero ante Frontonis (100—175 p. Ch.) aetatem non potuisse scribi et propter ea, quae Braun et Vater protulerint, et propter rationes metricas, ex quibus adpareat Octaviam post Herculem Oetaeum compositam esse. 'ut vero accuratius', ita pergit ille p. XIII, 'Octaviae aetatem definiamus, ne a vero nimis longe aberremus non veremur, si pari fere intervallo eius auctorem seiunctum esse dicimus a Frontonis et Boetii saeculo. rerum enim in hac tragoedia tractatarum . . . fons est primarius Tacitus, cuius studia postquam diu iacuere resuscitata esse quarto saeculo auctore, ut videtur, Tacito Caesare Vopiscus, Hieronymus, Orosius testantur. quid igitur impedit, quominus hoc ipso saeculo Octaviam scriptam esse nobis persuadeamus? eidem vero saeculo volgaris recensionis originem deberi arbitramur. . . . quodsi Octavia paullo ante recensionis volgaris originem composita est, quidni illam ab initio cum hac coaluisse putemus?' Richter igitur ut Braun censet Octaviae scriptorem, dico hominem illum, qui rec. *A* confecit, consulto ut fraudem faceret, hanc fabulam nono loco posuisse neque scivisse Senecam ante Neronem supremum diem obiisse.[1]) eandem fere atque ille sententiam Th. Birt protulit[2]) neque tamen novis argumentis stabilivit. sed quam futtilia hercle sunt ea argumenta, quibus haec opinio nititur! quid enim, ut cetera omittam, nos cogit, ut statuamus deteriorem illam recensionem IIII demum saeculo confectam esse? quod equidem scio, nihil. neque propterea, quod Senecae philosophi auctoritatem per Lactantium, Hieronymum, Augustinum restitutam esse constat,[3]) negari potest recensionem illam iam ante saec. IIII ortam esse. ceterum iam B. Schmidt[4]) recte docuit Octaviam multo meliorem esse quam ut sumere possimus hanc tragoediam ab stolido illo librario, qui recensionem *A* confecit — nam stolidum hominem eum fuisse ex multis scripturis patet — compositam esse. conferas quaeso Vateri de Octavia iudicium[5]): 'tragoedia ipsa longe superare videtur quidquid tragoediarum a Romanis scriptum est'. quo in iudicio, quamquam id nolim adsensu meo compro-

---

[1]) Cf. eius verba in ann. phil. LXXXXV 264: 'Wenn er trotz der chronologischen Inconvenienz, in dem dem Philosophen untergeschobenen Werke . . . auf den Tod des Nero hinweisen zu lassen, hoffen mochte Glauben zu finden, so möchte ich auch hierin einen Beleg für die anderweitig erwiesene Thatsache finden, dass der Verfasser der Zeit des Nero, ja der des Tacitus jedenfalls nicht mehr nahe stand: er war sich des von ihm verschuldeten Anachronismus wahrscheinlich gar nicht mehr bewusst.'

[2]) Mus. Rhen. XXXIIII 559.

[3]) Sunt Richteri verba opinionem suam defendentis; cf. ed. praef. p. XIII.

[4]) Ann. phil. LXXXXVII 559, quo loco de Richteri et Peiperi editione censuram egit.

[5]) Ann. phil. suppl. XVIIII 618.

bare, tamen veri aliquid inesse videtur; nam Octavia, quod ad dicendi genus et rem metricam adtinet, haud parvi aestimari debet. praeterea Braun[1]) iure negavit quicquam nobis traditum esse de similibus poematis IIII saeculo compositis. Herculem Oetaeum autem Richter adferre non debebat, quia de tempore, quo ea fabula composita est, ne ipse quidem, qui eam totam[2]) a Seneca abiudicavit,[3]) certi quicquam proferre potuit. quodsi denique ille contendit Octaviae scriptorem utpote a Neronis aetate nimis remotum eam nono loco inseruisse, cum nesciret Senecam ante Neronem supremum diem obiisse, id mihi quidem sane perversum esse videtur. nam is, qui Octaviam conscripsit, res Neronis temporibus gestas, quod ex tragoedia ipsa elucet, bene noverat, ut prorsus incredibile sit eum in talem errorem incidisse. restat igitur id unum argumentum, quod Richtero cum Vatero, Braunio, Birtio commune est, statuenti res in Octaviae fabula tractatas ex Taciti annalibus aliorumque scriptorum operibus haustas esse, unde iam constare hanc tragoediam ante a. 117 compositam esse non posse. quod argumentum ab aliis neglectum vel, ut rectius dicamus, non refutatum est. Lucianus Mueller enim[4]) Octaviam Flaviorum temporibus conscriptam esse adfirmavit metricis rationibus, ut videtur, ductus; post eum Fr. Buecheler[5]) contendit eam perparvo intervallo a Neronis morte distare et ante Tacitum ortam esse. nec tamen hanc sententiam argumentis confirmavit neque eos, qui contrarium statuerant, refutavit. adstipulati sunt Aem. Baehrens[6]) et Leo.[7]) Car. Meiser quoque, qui quaestionem de tempore Octaviae tetigit,[8]) eam paullo post Neronis mortem a. 69 vel 70 conscriptam esse persuasum habet. quae cum ita sint, ante omnia in hanc rem inquirendum esse censeo, num re vera ex comparatione inter Octaviae et Taciti aliorumque scriptorum locos instituta elici possit Octaviae auctorem in tragoedia sua componenda Tacitum vel alios

---

[1]) Ann. phil. LXXXXVIIII 876, quo loco frustra suam de Octavia sententiam defendere conatus est.

[2]) Leo ed. vol. I p. 48sq. ostendere studuit eius fabulae versus inde a DCC a Seneca non esse profectos, sed continuatoris operae deberi (cf. p. 73); ante eum Habrucker l. c. p. 47sq. coniecerat fabulae initium (1—232) et finem (1691sqq.) ab alio quodam homine adiecta esse. L. Tachau denique Philol. XXXXVI 378sq. comprobare conatus est vv. 104—172 a Seneca scriptos esse non posse et de initio (dico vv. 1—104) idem valere mox se declaraturum esse promisit.

[3]) In diss. (cf. p. 31) et edit. praef. p. VIII.

[4]) De re metr. Rom. p. 53.

[5]) Mus. Rhen. XXVII 474.

[6]) In miscell. crit. p. 114.

[7]) Cf. ed. v. I p. 1.

[8]) 'Ueber historische Dramen der Römer. Festrede gehalten in der öffentl. Sitzung der kgl. Acad. der Wissensch. zu München am 15. Nov. 1887', p. 18.

tamquam fontem adhibuisse omniaque sua ex illorum operibus desumpsisse. qua in quaestione tractanda videndum erit, quo iure nonnulli adfirmaverint omnes res in Octavia commemoratas nos ex rerum scriptorum operibus quoque compertas habere.[1]) et si qua re adducemur, ut eam post Taciti annales vel alius scriptoris opus quoddam compositam esse statuamus, ita ut prorsus negandum sit eam paullo post Neronis mortem scriptam esse, tum circumspiciendum erit, quo tempore intra saec. II—IIII hanc tragoediam extitisse veri simile sit; sin nihil inveniri poterit, quod nos cogat, ut sumamus Octaviae scriptorem hanc fabulam post Taciti vel posteriorum scriptorum tempora composuisse, inquiratur necesse erit, num quid ex dicendi genere vel re metrica proferri possit contra eam sententiam, quae ut accipiatur iam ipsum tragoediae argumentum suadere videtur, Octaviam paullo post Neronis exitum iis temporibus conscriptam esse, quibus mala domus Iuliae fortuna hominum animos quam maxime commovebat Neronisque nomen summo in odio erat. primum igitur de rebus gestis in hac fabula commemoratis nobis agendum erit.

## I.

Iam supra diximus a Vatero et Braunio[2]) in primis de Taciti imitatione, quam in Octavia detexisse sibi videbantur, disputatum esse. ac Vater nonnullas tantum res certo ordine non servato tetigit, Braun contra quaecumque potuit congessit, ut demonstraret Octaviam compositam esse ab homine, qui Taciti annales legisset atque in usum suum convertisset. is igitur, postquam perpauca de discrepantiis disputavit, quae inter ea, quae apud Tacitum et in Octavia de iisdem rebus narrantur, hic illic intercedunt, in universum nonnulla de ratione protulit,[3]) quam in re explicanda secutus esset. etenim negat in hac fabula quicquam nobis tradi nisi ea quae aliunde cognita habeamus, deinde inter ea, quae apud Tacitum extent, quaeque in Octavia de iisdem rebus proferantur, tantam similitudinem intercedere dicit, ut unusquisque statim sentiat hoc casu factum esse non posse. quoniam autem cogitari nequeat Tacitum ex tam turbido fonte, qualis Octavia sit, sua hausisse, statuendum esse illam fere totam ex Tacito fluxisse. quam rem Braun eo modo nobis comprobare conatur, ut demonstret singulas res et apud Tacitum et in Octavia eodem ordine narrari (interdum etiam eadem verba de iisdem rebus ab utroque scriptore adhibita esse) atque eodem modo inter se conexas esse. itaque

---

[1]) Cf. quae Braun p. 23 dixit: 'Wir behaupten gegenüber dem Satze der originellen Berichte, dass auch in der ganzen Octavia nicht ein einziges historisches Factum existiert, was wir nicht in den Schriften der Historiker über die damalige Zeit auch erwähnt fänden' etc.

[2]) L. c. p. 22—47.

[3]) L. c. p. 23.

singulos locos ex Tacito et Octavia desumptos, inter quos similitudo quaedam ei intercedere videbatur, composuit[1]). in quos omnes mihi accuratius inquirendum est, quia in tali quaestione vel unus locus maximi momenti esse potest. sed antequam de ordine, quo singulae res narrantur, disputemus singulosque locos inspiciamus, paucis argumentum Octaviae explanabo.

Vv. 1—33 Octavia vitae pertaesa miserias suas deplorat caedemque matris (Messalinae) et patris (Claudii) queritur. deinde (vv. 33—56) Octaviae nutrix miseram eius sortem ostendit et (vv. 57—272) cum alumna, quae mala sua deflere pergit, colloquens obsequium ei suadet, denique (vv. 273—376) chorus Octaviae fautorem se praestans Romanorum inertiam et servilem patientiam arguit, Neronis immanitatem ostendit, matris necem a filio scelesto iussam multis verbis describens. iam Seneca in scaenam prodit et (vv. 377—437) pristini exilii solitudinem pro praesenti vitae suae condicione praedicat, antiqui temporis mores laudibus extollit, suam ipsius aetatem graviter incusat. sequitur eum Nero, qui v. 438 Rubellii Plauti Corneliique Sullae caedem iubet, Seneca frustra (vv. 440—592) tyrannum ad mitiora hortante: nam is ad atrocissima se paratum praebet et adfirmat Octaviam coniugem domo se expulsurum Poppaeamque inducturum esse. tum (vv. 593—645) Agrippinae umbra inducitur ab inferis excitata, quae Poppaeae Neronisque exitum praedicit. deinde Octavia prodit, quae (vv. 646—668) chorum orat, ne nimis sortem suam lugeat: extremam fortunam sibi non esse pertimescendam. chorus autem (vv. 669—689) hanc spem vanam esse adfirmat suadetque ei, ut mox cruentam domum relinquat; tum canticum exorsus coniugium, quod Nero cum Poppaea Sabina celebrandum parat, detestatur. iam ipsa Poppaea producitur somnium quoddam cum nutrice sua communicans, quae alumnam consolatur somniumque, quo iterum Neronis interitus significatur, interpretando in melius vertere studet (vv. 690 — 761). postquam chorus cantico (vv. 762—779) Poppaeae pulchritudinem laudavit, adcurrit nuntius, qui (vv. 780—805) chorum de populi favore, quo is Octaviam amplectitur, seditionem minitante certiorem facit. chorus autem (vv. 806—819) negat ea re quicquam mutatum iri in Neronis sententia; invictam enim esse Amoris potentiam. tum Nero iterum in scaenam progressus iubet acerrimis poenis plebem adfici, Octaviam vero in insulam remotam devectam interfici, quamquam praefectus tyranno clementiam commendat (vv. 820—876). sequitur chori canticum, quo populi favorem iam multis perniciosum fuisse ostenditur (vv. 877—898). deinde (vv. 899—923) Octavia a

---

[1]) Quod maxima ex parte iam Ritter fecerat, qui tamen locos non totos exscripsit, sed numeris tantum significavit.

ministris inducitur, iam animo quae se maneant praesagiens. ac postquam chorus eam quodam modo consolaturus (vv. 924—957) aliarum domus Augustae mulierum sortem commemoravit, iam (vv. 958—972) se ad mortem trahi sentit. ultimis denique tragoediae versibus (vv. 973—982) chorus precatur, ut Octavia tristi morte liberetur.

Vides res ita procedere: post caedes Plauti et Sullae Nero Octavia repudiata nuptias cum Poppaea Sabina faciendas parat et civili motu propter Octaviae favorem exorto eam in Pandatariam insulam deportari ibique interimi iubet. eodem ordine apud Tacitum res narrantur. quod Braunio argumento fuit, ut contenderet Octaviae scriptorem Tacitum imitatum esse. componi enim posse docet[1]): Oct. 437 sqq.: Ann. XIIII 57; Oct. 462 sqq.: Ann. XIIII 57, 58; Oct. 571 et 592: Ann. XIIII 59; Oct. 446, 718: Ann. XIIII 60; (Oct. 657: Ann. XIIII 64; Oct. 682: Ann. XIIII 61;) Oct. 785 sqq. et 794 sqq.: Ann. XIIII 60, 61; Oct. 827: Ann. XIIII 61; Oct. 861: Ann. XIIII 61; Oct. 874 sqq.: Ann. XIIII 62; Oct. 899: Ann. XIIII 61; Oct. 907: Ann. XIIII 62; Oct. 909: Ann. XIIII 61; Oct. 914: Ann. XIIII 63; Oct. 960: Ann. XIIII 64.

Sed quo ordine quaeso is, qui Octaviam scripsit, res, quibus eius tragoediae argumentum continetur, narrare potuit nisi eo quo re vera gestae sunt quoque Tacitus eas tradidit? num is hunc ordinem invertere potuit? potuitne Sullae et Plauti caedem post populi motum factam fingere? minime; debuit immo res ita enarrare, ut factae erant. quid igitur mirum, quod apud Tacitum hae res eodem ordine quo in Octavia se excipiunt? nonne ergo perversum tibi videtur inde concludere Octaviae argumentum ex Tacito desumptum esse? neque eo, quod omnia fere, quae ex Octavia comperimus, apud Tacitum leguntur, evincitur ea ex hoc fonte fluxisse. nam etsi omnia, quae in hac fabula narrantur, apud Tacitum quoque extarent, nihil inde sequeretur ad Braunii sententiam confirmandam. quae res tum demum alicuius momenti esset, si aliis argumentis comprobari posset Octaviae scriptorem Taciti narrationem tamquam fontem adhibuisse. videamus igitur, num ex singulis locis iure Braun collegerit illum plane ea, quae apud Tacitum narrantur, secutum esse. qua occasione data aliorum quoque rerum scriptorum locos, qui alicuius momenti sunt, inspiciamus.

V. 10 sqq. Octavia Messalinam matrem his verbis invocat: *semper genetrix deflenda mihi . . . tua cum maerens vulnera vidi*, apud Tac. Ann. XI 38, ubi Messalinae mors describitur, legimus: *ne secutis quidem diebus odii gaudii, irae tristitiae, . . . signa dedit* (sc. Claudius), *non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios* (sc. Britannicum et Octaviam) *maerentes.*

---

[1]) Hos locos fere omnes iam Ritter contulerat.

Tacitus igitur et Octaviae scriptor eadem voce 'maerens' in eadem re describenda usi sunt. sed quid inde? quis quaeso ex hac re cum Braunio[1]) concludet huic Taciti locum ante oculos obversatum esse? Tacitus 'maerentes' scripsit propter antecedens 'laetantes', Octaviae scriptor eadem voce, aptissima sane ad rem minimeque quaesita, usus est eodem modo, quo similibus locis eam adhibuit, velut v. 46, 60, 104, 176. risum igitur movet Braun, qui tali loco aliquid tribuendum esse censeat.[2])

In Oct. 21 sq.: *tulimus saevae iussa novercae* . . ., 47 sqq.: *(maeret* . . . *soror)* . . . *coniux nec graves luctus valet* . . . *tegere* et Tac. Ann. XIII 16: *Octavia quoque* . . . *dolorem caritatem omnis affectus abscondere didicerat* quae similia insint, non video. itemque inter Oct. 45 sq.[3]): *cuius* (Neronis) *extinctus iacet frater* (Britannicus) *venenis* et Tac. Ann. XIII 15 sq. *cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum* nulla alia similitudo intercedit nisi quod de eadem re, de Britannici nece, agitur, quae praeterea Oct. 112 sq., 166 sq., 182, 226, 242 commemoratur. certe his locis omnibus Nero tamquam Britannici necis auctor apertissime significatur, sicut apud Tacitum l. c., apud Suetonium Ner. 33, Dionem Cass. LXI 7, Iosephum Flavium Ant. Iud. XX 8, 2, scholiastam ad Iuven. I 71. at minime profecto inde colligi potest Octaviae scriptorem hos omnes vel unum ex iis novisse; nam iam ante eos haec de Britannici nece fama uulgata erat.[4])

Sequitur locus, qui Braunio[5]) magni momenti esse videbatur, dico vv. 49 sq.: *crudelis viri | secreta refugit semper* (Octavia) *atque odio pari* . . .[6]) apud Tac. enim Ann. XIII 12, quo loco dum de Acte Neronis liberta nonnulla proferuntur, *Neronis secreta* commemorantur. quam rem Braun sine ullo iure pro se facere contendit. nam cum Tacitus haec eo loco dixerit, quo de Acte verba

---

[1]) Num is locum Taciti recte intellexerit, dubito; ita enim eum adfert, ut putes verba illa: 'signa dedit . . .' de Messalina dicta esse.

[2]) Numerat enim hunc locum inter eos, de quibus p. 23 dicit: 'Dies (sc. Octaviam ex Taciti narratione pendere) hoffen wir zu erweisen: 1) ‚Durch denselben äusserlichen in der Capitelfolge sich kundgebenden Zusammenhang, wo auch mitunter dieselben Worte sich verwandt finden.'

[3]) Claudii mors Oct. 25, 44, 65, 102, 164 sq. significatur, de qua ex Tac. Ann. XII 66, Suet. Claud. 44, Dion. Cass. X 34 edocti sumus. sed hi loci nihil ad rem de qua agimus faciunt, neque quicquam lucramur Suet. Claud. 17 et Oct. 26 sq. et 44 sq. inter se comparatis, ubi de Britannia a Claudio subacta mentio inicitur.

[4]) Quam narrationem veram esse quidam negaverunt; cf. Herm. Schillerum 'Gesch. des Röm. Kaiserreiches unter der Reg. des Nero' p. 97 adn. 8. sane permulta in his, quae de Britannici nece traduntur, insunt, quae parum veri similia videantur; sed dubium non est, quin iam temporibus illis fama de Nerone necis Britannici auctore percrebuerit.

[5]) Cf. eum l. c. p. 26 et 44.

[6]) Locus est variis coniecturis temptatus, de quo postea fusius nobis agendum erit.

fecit, contra Octaviae loco huius libertae mentio omnino non fiat, falsissimum mihi videtur conicere Octaviae scriptorem hoc unum verbum ex illo Taciti loco sumpsisse. neque ullius momenti est, quod apud Suetonium Oth. 3 legimus ‘omnium autem (Otho) consiliorum secretorumque Neronis particeps’. nihil igitur Oct. vv. 49 sq. ad quaestionem quam tractamus expediendam valent.

Octaviae nutrix se alumnae suae fidelem esse ipsa adfirmat vv. 51 sq.: *animum dolentis nostra solatur fides | pietasque frustra;* apud Tac. Ann. XIIII 60 haec de Octaviae ancillis leguntur: *actae ob id de ancillis quaestiones et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri; ex quibus una instanti Tigellino castiora esse muliebria Octaviae respondit quam os eius.* Dio Cassius etiam nomen huius ancillae cognitum habuit;[1]) cf. LXII 13: ἐπεὶ γὰρ τῶν περὶ τὴν Ὀκταουίαν ὄντων οἱ ἄλλοι πάντες πλὴν Πυθιάδος συνεπέθεντο μετὰ τῆς Σαβίνης αὐτῇ . . . μόνη ἡ Πυθιὰς οὔτε τι κατεψεύσατο αὐτῆς καίπερ πικρότατα βασανισθεῖσα καὶ τέλος ὡς ὁ Τιγελλῖνος ἐνέκειτο αὐτῇ, προσέπτυσέ τε αὐτῷ καὶ εἶπε ‘καθαρώτερον, ὦ Τιγελλῖνε, τὸ αἰδοῖον ἡ δέσποινά μου τοῦ σοῦ στόματος ἔχει. Braun opinatur Octaviae scriptori Pythiadem illam a Dione nominatam, a Tacito significatam ante oculos versatam esse, cum nutricem in fabula sua induceret. sed nulla prorsus causa adest, cur tale quid iure statui possit. neque si iam certum esset Octaviae auctorem ex Tacito vel Dione hausisse, colligere liceret eum in nutricis persona inducenda fontes suos respexisse. nam nutrix in Octaviae fabula eandem se praebet, qualem eam ex Senecae Medea, Phaedra, Agamemnone, Hercule Oetaeo cognitam habemus. hoc enim in fabulis, quales sunt Senecae tragoediae, in usu fuisse videtur, ut nobiles feminae una cum nutricibus suis inducerentur, quod ex Graecorum fabulis desumptum esse patet.

Cur deinde Braun verba, quae in Oct. 57 sq.: *o mea nullis aequanda malis | fortuna* et apud Tac. Ann. XIIII 63 extant: *non alia exul visentium oculos maiore misericordia adfecit,* inter se comparaverit, adsequi non possum. nulla enim inter utrumque locum similitudo intercedit. mox ad Oct. 67 sqq.: *fratrisque necem deflere vetat, | in quo fuerat spes una mihi | totque malorum breve solamen* et Tac. Ann. XIII 16 verba: *at Agrippinae is pavor . . . emicuit, ut perinde ignaram fuisse Octaviam sororem Britannici* (sic Med.) *constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque . . . omnis adfectus abscondere*

---

[1]) Dio igitur hoc loco plura praebet quam quae apud Tacitum de eadem re leguntur, id quod alicuius momenti esse videtur in quaestione explicanda, utrum is Tacitum excerpserit an alios quoque fontes adhibuerit, de qua re cf. Schillerum p. 29 sq.

*didicerat.* Braun[1]) adnotat Taciti quidem verba 'quippe sibi — intellegebat' ad Agrippinam pertinere; nam verba 'Octaviam sororem Britannici' Nipperdeio iudice interpolata esse; Octaviae scriptorem autem haec ipsa verba in codice suo legisse ideoque versus illos composuisse. quae temere effusa esse concedes. Nipperdey enim ipse postea intellexit verba illa 'Octaviam sororem Britannici' genuina esse neque dubitavit cum F. Rittero ante 'Octaviam' particulam 'atque' inserere, qua reposita iam nulla in his verbis inest offensio. de imitatione autem cogitari omnino nequit; nam Taciti verba 'quippe sibi extremum auxilium ereptum' ad Agrippinam spectantia prorsus alium sensum habent atque Octaviae illa 'spes una mihi totque malorum breve solamen'. quibus similia in Senecae tragoediis extant, cf. Tr. 462 'o nate . . . spes una Phrygibus, unica adflictae domus', 766 sq. 'o dulce pignus, o decus lapsae domus . . . genetricis o spes vana', 703 sq. 'unicum adflictae mihi solamen hic est', Med. 945, Phaed. 267, 578.

Oct. 93 sqq.: *licet ingratum* (Neronem) | *dirae pudeat munere matris* (Agrippinae) *hoc imperium cepisse, licet tantum munus morte rependat,* | *feret hunc titulum post fata tamen* | *femina longo semper in aevo* Braun[2]) scripsisse putat eum, qui hanc fabulam composuit, recordantem Taciti verba, quae extant Ann. XIIII 1: *flagrantior in dies amore Poppaeae* (Nero), *quae . . . principem . pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii, sed libertatis etiam indigeret.* quod equidem praefracte nego. nam quamquam in utroque loco similis inest sententia, id tum demum alicuius momenti erit, si constabit Octaviae scriptorem sua ex Tacito hausisse. sed, nisi fallor, optimo iure contendere possumus eum quae ipse sentiebat pronuntiasse. versibus, qui paullo post inde ab centesimo secuntur, Octavia mala sua enumerat: Tacitus Ann. XIIII 63 paucis miseram eius sortem complectitur, postquam eam in exilium pulsam esse narravit. utroque igitur loco Claudii Britannicique caedes et Neronis adulteria cum Acte liberta[3]) et Poppaea Sabina commissa enumerantur. sed haec omnia et is, qui Octaviam composuit, et Tacitus occasione data urguere debebant. mirum sane est, quod in Octavia neque hoc neque alio loco adulterii criminis, quod Tacitus refert (Ann. XIIII 60 sq.) confictum esse, ut iusta causa,

---

[1]) Cf. p. 26.

[2]) Cf. p. 44, ubi haec disputat: 'Wie vom Verf. der Octavia dargestellt ist, dass Nero sich der von Agrippina ihm verschafften Herrschaft schäme und Agrippina für ihr Geschenk mit dem Tode gleichsam belohnt wird, so wird er nach Tacitus Darstellung dadurch, dass ihm von Poppaea seine beschämende abhängige Stellung Agrippinen gegenüber gezeigt wird, endlich zum Muttermorde getrieben.'

[3]) Versibus 104 sq. *ac meae* | *subiecta famulae luce non grata fruor* Acten Neronis libertam respici puto, quia Poppaeam Sabinam Octavia dicere non potuit famulam suam esse; adde quod v. 125 legimus *adice his superbam paelicem* . . .; malis igitur iam enumeratis accedit Poppaea Sabina.

cur Octavia in exilium eiceretur, adesse videretur, disertis verbis mentio fit. uno tantum v. 107: *absit crimen a fatis meis* ad criminationes illas adludi videtur, ita tamen ut ea res uno verbo significetur. adde quod in tragoedia non propter adulterii crimen, sed propter populi rumores Octavia in exilium pellitur. quamquam dicere non possumus scriptorem illud crimen omnino non cognitum habuisse. neglexit id fortasse utpote ab Octaviae moribus prorsus alienum.

Oct. 125 sqq.: *adice his superbam paelicem, nostrae domus | spoliis nitentem, cuius in munus suam | Stygiae parentem natus imposuit rati* et Tac. Ann. XIIII 1: *flagrantior in dies amore Poppaeae* (Nero), *quae sibi matrimonium . . . incolumi Agrippina haud sperans . . . haec . . . nemo prohibebat credente nullo usque ad caedem eius* (Agrippinae) *duratura filii odia.* Poppaea Sabina tamquam Agrippinae necis auctor significatur. sed verba ipsa inter se non conspirant, quare de Taciti imitatione cogitari nequit. id quod etiam in Oct. 139 sqq.: *qui nato suo | praeferre potuit sanguine alieno satum | genitamque fratris coniugem captus sibi*[1]) | *toris nefandis flebili iunxit face* et ea quae Braun ex Tac. Ann. XII 5 et 25 adfert cadit. nam his Taciti locis[2]) eae res simpliciter narrantur, contra in Octavia verbis magnificis pronuntiantur. quodsi Braun ad Oct. 145 sqq.: *mactata soceri concidit thalamis gener | victima tuis ne fieret hymenaeis potens. | pro facinus ingens! feminae est munus datus | Silanus et cruore foedavit suo | patrios penates, criminis ficti reus* locos ex Taciti Annalibus petitos adscripsit, quibus de L. Iunio Silano agitur, quem imperator Claudius filiae desponderat[3]) a. XXXXI, nihil aliud quam quae versibus illis explicandis inservirent addidit. nullum enim omnino adest vestigium, quo Octaviae scriptorem Taciti[4]) verba novisse comprobetur. prorsus alia autem ratione Vater[5]) de his versibus disputavit. statuit enim scriptorem necem L. Silani cum Appii patris eius confudisse. nam cum hi versus omnes ad L. Silanum generum Claudii designatum maritumque Octaviae futurum spectent, quod reapse ita se habet, verba 'cruore foedavit suo patrios penates' ad Appii Silani tantum necem pertinere posse, quippe qui teste Suetonio[6]) in ipso

---

[1]) Sic codices hunc versum exhibent; sed multi in scriptura tradita offenderunt, qua de causa postea de eo accuratius agemus.

[2]) Legimus Ann. XII 5: *pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium iam fama, iam amore illicito firmabatur; necdum celebrare sollemnia audebant nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae. quin et incestum* et c. 25: *his evictus triennio maiorem natu Domitium filio anteponit.*

[3]) Cf. Dion. C. LX 5, 7 τὰς γοῦν θυγατέρας ἐν τῷ ἔτει τούτῳ (XXXXI) τὴν μὲν ἐγγυήσας Λουκίῳ Ἰουνίῳ Σιλανῷ, τὴν δὲ. . . .

[4]) Braun Ritterum secutus adfert Tac. Ann. XII 3. 4. 8.

[5]) Cf. p. 611 sq.

[6]) Claud. c. 37.

Claudii cubiculo necatus sit. 'quicumque enim', sic pergit, 'rem gestam ignoraverint, non dubitabunt, quin I. Silanus confossus sit in ipsa principis aula, ubi patrios penates caede sua maculare potuit, quia abnepos Augusti fuit et adfinitate coniunctus cum domo Caesarea.' at haec falsa esse statim adparebit. nam primum Octaviae scriptor hanc tragoediam non ea de causa composuit, ut homines imperitos de rebus Neronis temporibus gestis edoceret. certe si homines, qui Octaviam legebant, sciverunt L. Silanum Augusti abnepotem fuisse et adfinitate coniunctum cum domo Caesarea, dubitare non potuerunt, quin versus illi ad Lucium, non ad Appium pertinerent, quia sumamus necesse est homines de L. Silano ita edoctos etiam scivisse, ubi et quo modo ille periisset. quodsi Vater haec addit: 'nonne credibile est tragicum quoque de Appiana caede inaudivisse et hanc ipsam ob causam mactatum in Claudii thalamis Lucium offerre', satis habeo ad Taciti verba Ann. XII 81 'die nuptiarum (Claudii et Agrippinae) mortem sibi conscivit' (L. Silanus) relegare, ex quibus manifestum est illud 'thalamis' (Oct. v. 145) non de loco, quo L. Silanus perierit, sed de tempore i. e. de nuptiis Claudii et Agrippinae intellegendum esse. quod autem in Octaviae fabula legimus 'foedavit patrios penates', non de ipsa principis aula cogitandum est; immo verbis 'patrios penates', quibus ipsius Silani penates mihi significari videntur, adfinitas illa, qua L. Silanus cum Augusti domo coniunctus erat, tangitur. ea igitur, quae in Octavia de L. Silano dicuntur, non scriptorem produnt minus bene edoctum, quod Vater opinatus est, qui talibus locis commotus hanc tragoediam incerta post Traianum aetate compositam esse statuit, sed potius rerum, quas commemorat, peritissimum.[1])

Oct. 150 sqq.: *intravit hostis, ei mihi, captam domum | dolis novercae principis factus gener | idemque natus* et Tac. Ann. XII 8 sane eadem res exponitur, Domitio Neroni Octaviam desponsam esse; sed imitationis vestigia frustra quaeres. neque aliter res se habet eo loco, quem deinde Braun adfert, dico Oct. vv. 164 sqq., quibus caedis Claudii, Agrippinae, Britannici mentio continetur. quo cum loco conferri possunt ea quae Tacitus Ann. XII 66 sq., XIII 16. 18. 19 exponit. id tamen adnotandum videtur verba, quibus in Octavia Claudii caedes significatur (cf. vv. 25. 44. 65. 102. 164 sq.), in universum plane dicta esse neque disertis verbis significari,[2]) utrum Agrippina ipsa Claudio venenum dederit

[1]) Cf. etiam, quae Suetonius de L. Silano profert Claud. c. 27 'Octaviam Neroni . . . collocavit Silano ante desponsam . . . e generis Neronem adoptavit, Pompeium et Silanum non recusavit modo, sed et interemit', c. 29 '. . . occidit (Claudius), item . . . L. Silanum minoris (filiae) sponsum. . . . Silanus abdicare se praetura a. IIII Kal. Iun. morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum'.

[2]) Cf. Oct. 164 sq. *miscuit coniunx viro | venena saeva.*

necne.[1]) quodsi in Oct. 168 Britannicus *columen augustae domus* nominatur, non erat, cur Braun ad Taciti verba Ann. XIII 16 *quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat* (Agrippina) nos relegaret; nam haec prorsus alio sensu de Agrippina dicta sunt.

Oct. 183 sqq. nutrix Octaviam consolatur populi favorem ostendens. dicit enim: *confirmet animum civium tantus favor* | (Oct.: *solatur ista nostra, non relevat mala),* | *vis magna populi est* (Oct.: *principis maior tamen),* | *respiciet ipse coniugem* (Oct.: *paelex vetat*). quibuscum versibus Braun Taciti verba, quae Ann. XIIII 60 leguntur, comparari iubet: *inde crebri questus neque occulti per vulgum, cui minor sapientia* ⟨*et*⟩ *ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt. his * * * tamquam Nero paenitentia flagitii coniugem revocarit Octaviam.*[2]) sane conferri possunt hi loci inter se, quia ex Tacito clarum fit Octaviae scriptorem res gestas sat bene novisse, nec tamen quicquam amplius hac collatione lucramur. quodsi Braun putat Octaviae verba 'paelex vetat' demonstrare poetam ea quae apud Tac. Ann. XIIII 61 leguntur, dico Poppaeae verba, respexisse, valde errare mihi videtur. nam primum dubium est, num scriptor, qui Octaviam nutricis verbis: 'respiciet ipse coniugem' respondentem fecit: 'paelex vetat', omnino de certis quibusdam verbis Poppaeae cogitaverit. et si sumimus de verbis Poppaeae cogitandum esse, quis, quaeso, cum Braunio statuet eum Poppaeae orationem, quam apud Tacitum legimus, respexisse. id enim per se unusquisque rerum peritus scire potuit Neronem a Poppaea verbis quoque incitatum esse. sed Taciti ille locus non solum non demonstrat Octaviae scriptorem ex Tacito sua desumpsisse, immo contrarium verum esse ostendit. rectissime enim, nisi me omnia fallunt, iam Ritter[3]) negavit credibile esse eum, si Tacitum imitandum sibi sumpsisset, orationem illam gravissimam, qua apud Tacitum Poppaea Neronis iram et metum stimulare conatur, neglecturum neque in usum suum conversurum fuisse;[4]) nam ipsam Poppaeam talia dicentem optime inducere potuerat.

[1]) Varios enim rumores fuisse ex Suetonio constat, qui Claud. 44 haec tradit: 'et veneno quidem occisum convenit: ubi autem et per quem dato, discrepat. quidam tradunt epulanti in arce sacerdotibus per Halotum spadonem praegustatorem; alii domestico convivio per ipsam Agrippinam, quae boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat. etiam de subsequentibus diversa fama est. . . .' apud Tacitum per praegustatorem venenum datur, cf. Ann. XII 66 'paratum virus, cuius minister . . .', apud Dionem id Agrippina ipsa dat, cf. LX 34, 2 et 3. quae discrepantia notabilis videtur. cum Dione consentit Plin. N. H. XXII 22 (46), 92. ceterum cf. Ios. Fl. Ant. Iud. XX 8, 1; Iuv. sat. V 147, VI 620.

[2]) Locus in cod. corruptus legitur neque usque ad hoc tempus sanatus est.

[3]) Cf. p. VIIII.

[4]) Eodem spectant Meiseri verba p. 14 prolata: 'Kein dramatischer Dichter, und wäre er der grösste Stümper, der die meisterhafte Charakteristik bei Tacitus gelesen . . ., konnte dieses wirksame Motiv so unbeachtet lassen.' hoc unum is contra Braunium argumentum protulit.

Magni autem, ut videtur, momenti ad quaestionem de qua agimus expediendam sunt Oct. 193 sqq., quos iam Bothe et Ritter recte sic distribuerunt:[1]) Nutrix: *violare prima quae toros ausa est tuos | animumque domini famula possedit diu, | iam metuit eadem.* — Oct.: *nempe praelatam sibi.* | Nutr.: *subiecta et humilis, atque monimenta extruit, | quibus timorem fassa testatur suum.* iam a Grutero cognitum est hos versus ad Acten libertam a Nerone amatam pertinere. itaque his versibus adfirmatur Acten timere, ne eodem modo atque ipsa Octaviae alia (significatur Poppaea Sabina) sibi praeferatur, eiusque timoris tamquam testimonia monumenta extruere. Braun autem hos Taciti locos, quibus de Acte sermo fit, protulit: Ann. XIII 12. 13. 46, XIIII 63, XIIII 2. quorum ultimo tantum paucis Actae timor tangitur ('. . . immissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum . . .'), sed timor ab Agrippina motus. qua de causa minime dici potest Octaviae scriptorem in his versibus scribendis Taciti Annales respexisse. neque ante Braunium quisquam dubitavit, quin hoc Octaviae loco de re certiores fieremus, quam ex rerum Romanarum scriptore cognitam non habemus, dico Acten monumenta extruxisse. cum autem usque ad Ritterum interpretes rem ita explanassent, ut dicerent Acten de Neronis amore deiectam diis templa aedificasse, Ritter,[2]) cui Vater[3]) adsensus est, nisi de monumentis sepulcralibus cogitari posse negat. et Ritter[4]) ex eo, quod tota res tam exilis, tam secundaria esset, conclusit talem commemorationem ab eo tantummodo proficisci potuisse, qui suis oculis quae Acte molita esset vel eius operis reliquias vidisset. sed iure Vater[5]) huic Ritteri argumento opposuit talia Actes monumenta sepulcralia posterioribus quoque temporibus ab Octaviae scriptore videri potuisse. itaque nec Ritter nec Vater ex illis Octaviae versibus certi quicquam de tempore, quo haec tragoedia conscripta esset, elicere potuerunt. Braun[6]) vero hunc locum corruptum esse statuit, nulla alia de causa nisi quod res narratur, de qua neque ex Tacito neque ex alio scriptore quicquam compertum habemus, et scribendum esse coniecit: '. . . atque momenta extruit', quod interpretatus est 'und sie spinnt Beschuldigungen aus'.[7]) videtis, qua ratione Braun usus sit, ut opinionem suam probaret: locum, quod mox

---

1) In codicibus omnia haec verba nutrici tribuuntur.

2) Cf. p. X et adn. ad v. 194.

3) Cf. p. 608.

4) Cf. praef. p. X.

5) Cf. p. 606 sq.

6) Cf. p. 30.

7) Collatis Cic. Acad. I 12, Ov. Met. II 285, epp. ex Pont. IIII 13, 49, Gell. N. A. XIII 24, Sen. Ag. 149. HO. 718.

ostendam, sine dubio integrum, quia aliqua ex parte contra eum facere videbatur, corruptum esse statuit vel, ut rectius dicamus, corrupit; nam coniectura eius infelicissima est. sed locum ipsum accuratius inspiciamus. Ritterum et cum eo Vaterum de monumentis sepulcralibus cogitare iam supra dixi; et post eos, quod ego sciam, nemo praeter Braunium de hoc loco disputavit. sed vehementer dubito, num de sepulcralibus monumentis scriptor haec dicere potuerit: 'quibus timorem fassa testatur suum'; nam nihil aliud eis significari potest nisi monumentis extructis Acten testari se timere, ne alia sibi praeferatur. at eum timorem Acten monumentis sepulcralibus extructis testatam esse sumere non licet. accedit, quae res sane minimi momenti est, quod nullus titulus sepulcralis adhuc inventus est, qui ad Acten illam Neronis libertam referri possit. extat quidem titulus sepulcralis 'Claudiae Actes' Velitris repertus,[1]) sed hic ad libertam quandam Neronis libertae, cui 'Claudia Augusti liberta Acte' nomen erat, referendus esse videtur. nam ex alio titulo fistulae plumbeae inciso, qui Velitris repertus est,[2]) constat Acten Neronis libertam in illa regione villam possedisse.[3]) quae res cum ita se habeat, equidem ad veterum interpretum sententiam redeo. statuo enim his verbis significatum esse Acten diis templa extruxisse, quibus ab iis impetraret, ut Neronis amorem perpetuum facerent. quod ut sumam, titulo adducor, in quem forte fortuna incidi. Pisis enim in muro aedis cathedralis fragmentum epistylii, ut ex mensuris adparet, aedificii cuiusdam inventum est, in quo haec incisa leguntur:[4])

c|ERERI SACRVM
claudia| AVG LIB ACTE

ex quo marmore intellegimus Pisis, in antiquissima illa ac nobilissima Etruriae urbe, Cereris templum (nam litterae servatae ERERI hoc unum supplementum admittunt) extructum fuisse, ab Acte quadam dicatum. iam Norisius[5]) hunc titulum ad Acten Neronis libertam et concubinam rettulit, cui omnes, qui postea hunc titulum respexerunt, adsensi sunt. sed valde miror, quod eorum nemo adhuc Octaviae locum de quo agimus adtulit ad Norisii coniecturam iam per se sat probabilem confirmandam. hoc enim titulo Octaviae quoque locus explicatur et omni suspicione liberatur. hoc igitur fragmentum si Ritter et Vater novissent, certe

[1]) Cf. C. I. L. X 6599.

[2]) Cf. C. I. L. X 6589 CLAUDIAE · AUG · LIB · ACT?; non 'Acmes' supplendum est, sed 'Actes'. cf. additamenta ad no. 6589 et Lanciani 'Le Acque e gli Acquedotti' (Romae a. 1880) p. 244, syllog. no. 214 (collato titulo, qui est ibi 226 et in C. I. L. X 1903).

[3]) Tituli, qui a Raph. Fabretti (Inscr. ant. explic. Romae a. 1702) p. 124sq. collecti sunt, ad Actes, Neronis libertae, servos vel libertos pertinent. cf. C. I. L. VI 8760, ubi tituli servorum vel libertorum Actes adferuntur, ad quos adde C. I. L. VI 15027, X 7980, VI 15357.

[4]) Cf. C. I. L. XI 1414.

[5]) In dissert. de cenotaphiis Pisanis 3 c. 2, Venetiis a. 1681 edita.

non de monumentis sepulcralibus cogitassent. nam habemus iam, ut mihi quidem videtur, monumentum, quod Acte 'timorem fassa' extruxit, ut prohiberet, quominus Nero Poppaeam Sabinam matrimonio sibi iungeret. conferenda enim sunt, quae Servius in commentariis ad Verg. Aen. III 139 de Cerere protulit: 'quidam dicunt diversis numinibus vel bene vel male faciendi potestatem dicatam, ut Veneri coniugia, Cereri divortia[1])' et IIII 58: 'alii dicunt hos deos quos commemoravit nuptiis esse contrarios: Cererem, quia propter raptum filiae nuptias execratur vel ex quo Iovi nupta praelata Iunone repudiata est; nam cum Eleusine Cereris sacrum fit, aedes Iunonis clauditur . . . . et Romae cum Cereri sacra fiunt, observatur, ne quis patrem aut filiam nominet, quod fructus matrimonii per liberos constet.' quae cum ita sint, non dubito, quin Octaviae loco talia monumenta, quale est aedificium illud Cereri Pisis ab Acte extructum, significentur; probabile enim est eam, quam divitissimam fuisse ex libertorum vel servorum titulis scimus, diversis locis eius generis templa aedificavisse. iam demonstrasse mihi videor Octaviae scriptorem hoc loco rem tetigisse, de qua neque a Tacito neque ab alio scriptore edocti sumus quamque ille nisi ex intima rerum ipsarum scientia haurire non potuit. corruit igitur, quod Braun aliique, qui hanc fabulam multo post Neronis tempora compositam esse opinati sunt, pro certo adfirmaverunt, omnes res in Octaviae tragoedia tractatas nos ex aliis quoque scriptoribus compertas habere. quid quod ex his versibus ipsis suspicari possumus vix credibile esse huius fabulae scriptorem multo post Neronis aetatem vixisse. certe posterioribus quoque temporibus homines monumenta ab Acte extructa videbant, causam tamen extruendi scire non poterant. nam etiamsi Acten timorem fassam esse monumentis extructis cuidam, cum Actes monumenta sepulcralia vidisset, in mentem incidere potuit, tamen ab eis, qui postea templa ab Acte diis aedificata intuebantur, talem aedificandi causam divinatam esse prorsus negandum est.

Oct. 231 sqq.: *vidimus caelo iubar* | *ardens cometam pandere infestam facem,* | *qua plaustra tardus noctis aeterna vice* | *regit Bootes, frigore Arctoo rigens*[2]) stella crinita significatur, quae a. LX in caelo adparuit. Ritter[3]) Scaligerum secutus ex hac commemoratione conclusit Octaviae scriptorem

---

[1]) Cf. Prelleri Myth. Rom.³, t. II p. 65sq. adn. 4.

[2]) Sic cum Bothio scribendum est. in codicibus extat: 'frigido Arctoo rigens', quod ferri nequit. Pontanus quidem duos Lucani locos adtulit, VIII 363 et 250, ubi 'frigus Arctoum' legitur; sed ante omnes adferendi erant Med. 683: 'Taurus cohercet frigore Arctoo rigens', Oed. 546 'frigore aeterno rigens', quos versus Richter in ed. ad Oct. v. 234 adnotavit.

[3]) Cf. praef. p. XI 'aevi Neroniani cometen ait describi tam accurate et tam luculente, ut etiam hinc ad aequalem poetam vel aetate supparem deduci videamur'.

Neronis temporibus vixisse. sed recte Vater[1]) Scaligero et Rittero opposuit ornatu poetico detracto nihil in tragoedia superesse praeter vulgaria et trita nisi quod cometa ille plagae septemtrionali adsignaretur. quae res maioris momenti esset, nisi apud Senecam Quaest. nat. VII 21 haec legeremus: 'sex mensibus hic (cometa), quem nos Neronis principatu laetissimo vidimus spectandum se praebuit, in diversum illi Claudiano circumactus: ille enim a septemtrione in verticem surgens orientem petiit semper obscurior, hic ab eadem parte coepit, sed in occidentem tendens ad meridiem flexit et ibi se subduxit oculis' et VII 29: 'intra sextum mensem dimidiam caeli partem transcurrit hic proximus (cometa), a septemtrione motus sui initium fecit...' Octaviae scriptor igitur quae de cometa narravit ex Seneca haurire potuit; quamquam hoc certe veri simile non est. quod vero Braun[2]) ad hos eosque qui proxime secuntur versus 245 sq.: *pro summe genitor, tela cur frustra iacis* | *invicta totiens temere regali manu* adscripsit Tac. Ann. XIIII 12 et 22, quorum priore loco prodigia post Agrippinae mortem facta, altero cometa ille memorantur, tota similitudo, quae illi inter Octaviae et Taciti locos intercedere videbatur, in eo posita est, quod eaedem res narrantur. de imitatione ne cogitandum quidem est. nam ea, quae profert Octaviae scriptor, ex Taciti libris quos nos habemus haurire omnino non potuit, quia, quod iam vidimus, ibi non extant. itaque hic quoque locus contra Braunium facit. neque poëtam ex Senecae scriptis sua mutuatum esse veri simile est. noverat ille quidem sane Senecae opera, ut postea videbimus. sed cur quaeso statuamus eum haec libro satis amplo perlecto potius comperisse quam aut suis oculis vidisse aut fama cognita habuisse.

Oct. 257 sqq. et Tac. Ann. XI 34 Messalinae flagitiorum mentio fit; artiore autem vinculo hi loci inter se non sunt coniuncti. cum Oct. 262 sqq.: *illi soluta crine succincta anguibus* | *ultrix Erinys venit ad Stygios toros* | *raptasque thalamis sanguine extinxit faces* Braun nonnullos locos ex Tac. Ann. XI 31. 35. 37. 38 desumptos composuit, quibus Messalinae exitus narratur. putat enim eum, qui vv. 262 sq. scripsit, 'simulacrum illud vindemiae, quod Messalina paullo ante caedem suam per domum celebrabat',[3]) respexisse, quod equidem non video; nam in furiarum descriptione nihil inest, quod miros nos habere possit, neque Messalina ipsa in Octavia 'ultrix Erinys' nominatur, quod Braun arbitratus est, qui in v. 262 falsam[4]) codicum scrip-

---

[1]) Cf. p. 601 sq.

[2]) Cf. p. 30 sq.

[3]) Cf. Tac. Ann. XI 31 'feminae pellibus accinctae adsultabant ... ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens.'

[4]) Adverbium 'illo' ineptum est, quia secuntur verba 'ad Stygios toros'; contra 'illo' in 'illi' mutato Messalinae ipsius mentio aptissima est. adde quod in codd. *A* saepissime terminationes commutatae sunt.

turam 'illo' pro 'illi' (Messalinae), quod Bothe restituit, secutus est. neque, qui Oct. 288 sqq.: *nos quoque nostri sumus immemores | post fata ducis, cuius stirpem | prodimus*, quos chorus pronuntiat, et Tac. verba Ann. XIIII 60: *actae ob id de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri* perlegerit, adfirmare poterit Octaviae scriptorem Taciti verba respexisse.

Oct. 310—356 Agrippinae naufragium fusius narratur, quod aliis quoque locis vv. 127, 600 sq., 954 sq. significatur. cum hac narratione componenda sunt ea quae apud Tac. Ann. XIIII 5, Suet. Ner. 34, Dionem LXI 13 leguntur. ac primum de Tacito verba faciamus. sunt enim in eius naufragii descriptione nonnulla, quae ab eiusdem rei narratione in Octavia extante diversa sunt. ex Oct. 317 sqq.: *fertur in altum provecta ratis | quae resoluto robore labens | pressa dehiscit sorbetque mare* videmus scriptorem de navis dissolutione statim facta cogitasse, quae res, si Taciti descriptionem satis accuratam respicimus, non ita evenit. iam audiamus ipsum narrantem: *nec multum erat progressa navis . . . cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave; pressusque Crepereius* (qui una cum Acerronia ex familiarium numero Agrippinam comitatus est) *et statim exanimatus est: Agrippina et Acerronia . . . protectae sunt. nec dissolutio navis sequebatur . . . visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere.* sed aliae quoque res diversae sunt. etenim apud Tacitum Crepereius tantum ille perit et paullo post Acerronia contis et remis et navalibus telis conficitur atque Agrippina ipsa vulneratur, in Octavia vero neque Creperei Acerroniaeque caedis neque Agrippinae vulneris[1]) mentio fit; contra v. 327 legimus: *multos mergunt fata profundo.* deinde Tacitus Agrippinam silentem[1]) in mare incidisse tradit, in Octavia autem in dissolutae navis parte haerens, ut videtur, vestes scindit, lacerat comas, medio in mortis periculo rhetoris more declamat. sed etiamsi haec, quae modo prolata sunt, poetae tribuenda sunt, tamen id, quod apud Tacitum dissolutio navis, quae in Octavia statim fit, non sequitur, iam obstare videtur, quominus statuamus Octaviae scriptorem sua ex Tacito desumpsisse. minime vero adsentiri possum Vatero iudicanti[2]) hanc in naufragio describendo discrepantiam prodere poetam remotiorem ab aevo Neroniano fuisse. etenim si is qui Octaviam composuit posterioribus temporibus fuisset et in tragoedia sua componenda Taciti Annales in usum suum convertisset, quod Vater aliis locis statuit, non video, quomodo ille accuratissimam Taciti descriptionem naufragii prorsus neglegere et rem aliter depingere po-

---

[1]) Scriptorem tamen bene edoctum esse videmus ex vv. 954 sq., ubi Agrippinae vulneratae mentio fit.

[2]) Cf. p. 605.

tuerit; nam praeterquam quod Agrippinam in mare deiectam servis adiuvantibus nando servatam esse et a Tacito et ab Octaviae scriptore narratur, inter utriusque scriptoris verba nulla similitudo intercedit. tamen is qui hanc fabulam conscripsit non omnia, quae ab Taciti narratione diversa sunt, finxisse videtur. legimus enim apud Dionem l. c. haec: παρέδωκεν (ὁ Νέρων) αὐτὴν (τὴν Ἀγριππῖναν) Ἀνικήτῳ ἀπελευθέρῳ ὡς καὶ κομιοῦντι οἴκαδε ἐπὶ τοῦ πλοίου οὗ κατεσκευάκει. ἀλλ' οὐ γὰρ ἤνεγκεν ἡ θάλασσα τὴν μέλλουσαν ἐπ' αὐτῇ τραγῳδίαν ἔσεσθαι, οὐδ' ὑπέμεινε τὴν ψευδολογίαν τῆς ἀνοσιουργίας ἀναδέξασθαι, διελύθη μὲν ἡ ναῦς καὶ ἡ Ἀγριππῖνα ἐς τὸ ὕδωρ ἐξέπεσεν, οὐ μέντοι καὶ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καίτοι καὶ ἐν σκότῳ καὶ διακορὴς μέθης οὖσα, τῶν τε ναυτῶν ταῖς κώπαις ἐπ' αὐτὴν χρωμένων, ὥστε καὶ Ἀκερρωνίαν Πόλλαν τὴν σύμπλουν αὐτῆς ἀποκτεῖναι, διεσώθη. apud Dionem igitur navis illius, 'cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram'[1]) Agrippinam, dissolutio statim fit eodem modo, quo res in Octavia narratur. tamen Dio quoque nonnulla tradit, quae ab Octaviae scriptore non commemorantur: veluti apud eum Anicetus navi illi praepositus est, cuius rei in Octavia nulla fit mentio, quamquam vv. 366 sq. in nece Agrippinae describenda Anicetus apertis verbis significatur. idem de Tacito statuendum est. deinde unus Dio narrat Agrippinam ebriam fuisse, cum in mare deiceretur. ex Agrippinae comitibus autem, quorum multos interiisse Octaviae scriptor narrat, Dio Acerroniae tantum mentionem inicit, de Crepereio illo aliisque nihil comperisse videtur. quae si respicimus, statuamus necesse est neque in Taciti neque in Dionis naufragii illius descriptione quicquam inesse, quod comprobare possit Octaviae scriptorem in ea re describenda Taciti vel Dionis[2]) narrationem tamquam fontem adhibuisse. neque id discerni potest, utrius scriptoris narratio cum descriptione, quae in Octavia extat, maiorem similitudinem habeat. in ea enim re, quae gravissima est, quod dissolutio navis statim fit, Octaviae scriptor cum Dione consentit contra Tacitum, in Octavia vero eodem modo atque apud Tacitum Agrippina non extemplo in mare incidit, quod Dio tradit. nulla igitur imitationis vestigia adsunt; immo ex locorum comparatione, quam instituimus, apertum esse puto Octaviae scriptorem in naufragio depingendo nec Tacitum nec Dionem secutum esse. nam si quis quod fecit Braun id statuit, debet explicare, cur is res aliter confinxerit, cur, si omnium rerum notitiam ex illis tantum scriptoribus hauserit, Agrippinae vulneris, Creperei et Acerroniae caedis, quae res ad summam Neronis crudelitatem depingendam aptissimae erant, non diserte mentionem fecerit. nihil igitur in his inest quo comprobetur hanc fabulam posterioribus demum temporibus

---

1) Sunt Taciti verba Ann. XIIII 3.

2) Discrepantias, quae inter Taciti et Dionis naufragii descriptiones intercedunt, Schiller p. 39 explicavit.

conscriptam esse; immo contrarium verum videtur. nam si quis III vel IIII saeculo Agrippinae naufragium describere voluisset, Tacitum vel Dionem secutus esset ut gravissimum auctorem. at is qui Octaviam composuit aut fontes adhibuit, quos non novimus,[1]) aut utpote aequalis quam de ea re conceperat famam amplexus est. nam ea quae in Octavia a ceterorum scriptorum narrationibus diversa leguntur ab eo ficta esse propterea credibile non est, quia eius modi suspicionis nulla omnino nobis ansa data est. simplicissimum igitur mihi quidem videtur sumere Octaviae scriptorem rhetorico modo rem ita narrasse, ut ab hominibus paullo postquam facta est narrabatur. nam varios de Agrippinae naufragio rumores fuisse ea quae apud Dionem extant cum Taciti narratione collata satis demonstrant.

In descriptione caedis Agrippinae Octaviae scriptor (cf. 356 sqq.) et Tacitus inter se consentiunt. apud hunc enim Ann. XIIII 8 haec extant: *iam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum 'ventrem feri' exclamavit; multisque vulneribus confecta est.* ad quae verba in nonnullis codicibus recentioribus[2]) adscripti sunt Octaviae vv. 368 sqq.: *caedis moriens illa ministrum | rogat infelix, utero dirum | condat ut ensem: | 'hic est, hic est fodiendus' ait | 'ferro monstrum qui tale tulit'.* sed multo magis conveniunt ea, quae Octaviae scriptor tamquam ultima Agrippinae verba profert: 'hic est, hic est fodiendus (venter) ferro, monstrum qui tale tulit', cum iis, quae apud Dionem LXI 13 leguntur: καὶ ἀναπηδήσασα ἐκ τῆς κοίτης τήν τε ἐσθῆτα περιεῤῥήξατο καὶ τὴν γαστέρα ἀπογυμνώσασα «παῖε ταύτην», ἔφη, «Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν. exempla autem quae sequeretur poëta in hac oratione conformanda habuit hos Senecae locos: Phoen. 447 'hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro', Oed. 1038 sq. 'hunc dextra, hunc pete | uterum capacem, qui virum et natos tulit'. talia igitur enuntiata apud rhetores in usu fuisse videntur; et in rhetorum scholis et libris Agrippinae necem saepe tractatam esse quis non credat. atque ex tali fonte fortasse et ipsa verba, quae apud Dionem leguntur, fluxerunt. sed utut haec res se habet, nihil nos cogit, ut sumamus Octaviae scriptorem ea quae commemorat ex Tacito vel Dione vel ex Suetonio Ner. 34[3]) sumpsisse. quid quod una

---

[1]) Suetonius, qui praeter Tac. et Dion. paullo accuratius de Agrippinae vitae fine egit, de naufragio haec tantum dicit (Neronis v. 34) '. . . sed ut diversa omnia nandoque evasisse eam (Agrippinam) comperit (Nero), inops consilii . . .'

[2]) Budensem et Agricolae librum Vater p. 613 nominat. in editione principe haec verba non extant; post Puteolanam vero circumferebantur in editionibus, donec Lipsius ea eiecit.

[3]) Verba eius sunt haec: '. . . inops consilii (Nero) L. Agerinum libertum eius . . . arripi constringique iussit, matrem occidi, quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. adduntur his atrociora nec incertis auctoribus: ad visendum interfectae cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse.'

res, ne tale quid statuamus, nos prohibere videtur. in Octavia enim de foedis illis verbis Neronis corpus matris occisae inspicientis nulla fit mentio. contra ab rerum scriptoribus statim, postquam Agrippinae caedes narrata est, commemoratur Neronem matrem necatam adspexisse, membra eius contrectasse, alia vituperasse, alia laudasse. et cum Suetonius Ner. 34 et Tacitus Ann. XIIII 9[1]) dubitanter haec tradant, Dio LXI 14[2]) rem ut certam profert, quam postea ab hominibus fictam esse ex Taciti verbis patet.[3]) Octaviae autem scriptor, cuius vel maxime intererat Neronem ut crudelissimum atque atrocissimum hominem depingere, si ex Tacito, Dione, Suetonio sua deprompsisset, 'atrociora illa', ut Suetonii verbis utar, utpote ad rem suam aptissima, non neglexisset. nam rhetores, ad quos referendus est Octaviae scriptor, id quod postea videbimus, non taedet tales res narrare, immo libentissime δεινότατα proferunt.[4])

Quid deinde Taciti verba Ann. XII 8: *at Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat* composita cum versibus 377 sqq., quos primos Seneca in Octavia pronuntiat: *quid me. fortuna . . .* | *alte extulisti, gravius ut ruerem edita* | *receptus arce* ad Braunii opinionem stabiliendam valeant, equidem non intellego. Oct. 437 Nero Plauti Sullaeque capita abscisa sibi referri iubet; apud Tacitum autem legimus Ann. XIIII 57 tyrannum relatum[5]) Sullae caput illussisse et alio loco Ann. XIIII 59 Plauti caput ad eum esse relatum. verbum referendi igitur et in Octavia et apud Tacitum de eadem re usurpatum obviam fit. sed primum videmus Tacitum ipsum de eadem re altero loco eodem verbo uti, deinde nescio, quo alio verbo is, qui Octaviam condidit, ex Braunii sententia uti debuerit, cum re vera Plauti et Sullae capita ad Neronem relata sint. quare ridiculum est cum Braunio statuere verba *mitte, qui referat* scripta esse ab aliquo, cui Taciti verba obversata essent. cur Braun deinde Oct. 440 *nihil in propinquos temere constitui decet* cum Tac. Ann. XIII 19 *destinavisse eam* (Agrippinam) *Rubellium Plautum . . .*

---

1) Verba eius haec sunt: '. . . haec consensu produntur. aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit sunt, qui tradiderint, sunt, qui abnuant'.

2) Haec ille tradidit: μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκεν, οὐκ ἐπίστευσεν . . . . καὶ διὰ τοῦτο αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι. καὶ αὐτήν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο . . . . εἶπε γὰρ ὅτι οὐκ ᾔδειν, ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον.

3) Quod iure adserit Schiller p. 19; cf. etiam Stahrium p. 232.

4) Δεινώσεως, figurae rhetoricae, quae in 'exaggeranda indignitate' posita est (cf. Quint. Inst. VIII 3, 38) exempla nonnulla ex Senecae fabulis petita R. Smith p. 21 sqq. congessit. ceterum cf. I. Koerbneri diss. 'Ueber den Rhetor Seneca und die Römische Rhetorik seiner Zeit' Marburgi a. 1864 ed. p. 48 adn. 243 et 244.

5) Cod. M praebet hoc loco: 'prelatum', Agric. lib. 'perlatum', quod in Bud. Guelf. in 'relatum' correctum est. 'perlatum' receptum est a Duebnero, probatum a Doederlinio. sed iure alii, in quibus sunt Orelli et Nipperdey, 'relatum' scripserunt coll. Ann. XIIII 59.

*ad res novas extollere coniugioque eius et imperio rem publicam rursus invadere* composuerit, non adsequor. num autem Octaviae scriptor, cum praefectum induceret, qui v. 439 *iussa haud morabor, castra confestim petam* pronuntiat, Tigellinum significare voluerit, difficile est dictu. si ea, quae Tac. Ann. XIIII 57[1]) de Tigellino tradit, respicimus, veri non dissimile videtur hominem istum nequam hoc Octaviae loco significari. ceterum praefectum illum prorsus alium esse invenies atque apud Tacitum Tigellinum. vv. 846 sqq. enim is mitiora docet et clementiam Neroni commendat. verum tamen Vaterum, qui temere inde conclusit[2]) Octaviae scriptorem Sofonium Tigellinum cognitum habere non potuisse, res fefellisse videtur. nam primum in tragoedia Tigellinus ipse nec nominatur nec diserte significatur; quid quod ne id quidem pro certo potest adfirmari eum omnino significari. deinde eius qui Octaviam composuit plurimum interfuisse videtur Neronem tamquam unum omnium flagitiorum auctorem oculis proponere. his addi potest, quod iam Ritter[3]) adnotavit, poetam fortasse ea de causa praefectum illum mitiorem aliquanto et aequiorem finxisse, ut Neronem perfectum tyrannum et omni humano sensu destitutum luculentius depingere posset. nam is qui Octaviam conscripsit in singularum personarum moribus describendis non fidei historicae, sed artis rhetoricae praeceptorum tantummodo rationem habuit. neque quae in Octavia in scaenam prodeunt personae aliter se gerunt quam illae, quae in Senecae fabulis inducuntur. qua de causa equidem dubito, num scriptor, cum iterum inde ab v. 846 praefectum introduceret, Faenium Rufum alterum Neronis praefectum respexerit,[4]) id quod Braun[5]) suspicatus est.

Oct. v. 449: *stulte verebor, ipse cum faciam deos* explicatur quidem eis, quae apud Tac. Ann. XII 69: *caelestesque honores Claudio decernuntur* et apud Suet. Claud. 45 et Ner. 9 leguntur, ubi de Claudii consecratione verba fiunt. sed aliud quid de his locis statui nequit. deinde Braun cum Oct. vv. 464 sqq., quibus Nero causam reddit, cur Sullam et Plautum e medio tolli iusserit: *exilia non fregere summotos procul | Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor | armat ministros sceleris in caedem meam | absentium cum maneat etiam ingens favor | in urbe nostra, qui fovet*

---

1) Verba sunt haec: 'validiorque in dies Tigellinus . . . . compertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos . . . exercitus commemorat . . . (nec ultra mora. Sulla sexto die . . . interficitur).'

2) Cf. p. 610.

3) Cf. adn. ad. v. 844.

4) De Faenii Rufi segni innocentia cf. Taciti verba Ann. XIIII 51, quibuscum non congruunt ea quae Nero Oct. 844 sq. de praefecto suo pronuntiat.

5) Cf. p. 42.

*spes exulum* confert Tac. Ann. XIIII 57, ubi Tigellinus Neronem in caedem Sullae et Plauti incitat. sed hi loci prorsus alius generis sunt. apud Tacitum enim Tigellinus Neronis suspicionem et invidiam movet, in Octavia autem Nero ipse a nullo incitatus talia profert, quamquam Seneca eius animum placare studet. et si Octaviae scriptor Taciti rationem habuisset, non Neronem, sed Tigellinum talia dicentem eum facturum fuisse probabile est; certe nulla fuit causa, cur totam rem inverteret. Octaviam plebi caram fuisse vv. 572 sq.: *vix sustinere possit hos thalamos dolor | videre populi, sancta nec pietas sinat* et Tac. Ann. XIIII 59: *Octaviam . . . studiis populi gravem* narratur; propiorem quandam similitudinem in his locis frustra quaeres, id quod etiam in Oct. 536 sq. (547 et 587) et Tac. Ann. XIII 12 *quando . . . . abhorrebat*[1]) cadit.

Iam id quoque, quod Oct. 593 sqq. Agrippinae umbra in scaenam inducitur, Braun[2]) ex Tacito explicare studet. apud hunc enim Ann. XIIII 10 legimus: *et erant, qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris* (Agrippinae) *audiri.* sed haec Taciti verba in causa fuisse, ut Agrippinae umbra produceretur, vix tum aliqua cum probabilitate statui posset, si demonstratum esset Octaviam re vera ex Tacito fluxisse. de vv. 599 sqq., quibus Agrippinae umbra de naufragio et caede sua exponit, supra fusius egimus. iam qui Tac. Ann. XIIII 11 sq. verba: *adiciebat* (Nero) *crimina longius repetita . . . . dies natalis Agrippinae inter nefastos esset* cum Oct. 609 sq. *saevit in nomen ferus | matris tyrannus, obrui meritum cupit* contulerit, ea quae in tragoedia Agrippina deplorat melius intelleget, aliud non cognoscet. Oct. 619 sqq. turpis Neronis vitae finis aperte significatur, quem Suetonius Ner. 47 sq. fusius describit. is vero, qui Octaviae versus composuit, ea quae a Suetonio traduntur bene comperta habuit. ac sane inter utriusque narrationes similitudo quaedam intercedit; cf. 620 sq.: *verbera et turpem fugam | poenasque* cum Suet. Ner. 49: *. . . . legit se hostem a senatu iudicatum et quaeri, ut puniatur more maiorum, interrogavitque quale id genus esset poenae; et cum comperisset, . . . . corpus virgis ad necem caedi,* v. 630: *desertus ac destructus . . . .* cum Suet. Ner. 47: *quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisivit et nemine reperto 'ergo ego' inquit 'neque amicum habeo neque inimicum'*, v. 630: *(quo reddat) . . . iugulum hostibus* cum Suet. Ner. 49: *iamque equites adpropinquabant . . . . quod ut sensit . . . . ferrum iugulo adegit.* sed quis, quaeso, contendere audeat

---

1) Oct. 536 sq.: *incesta genetrix detrahit generi fidem animusque numquam coniugis iunctus mihi.*
547 sq.: *probitas fidesque coniugis, mores pudor placeant marito.*
587: *aetasque frangat coniugis probitas pudor.*
Tac. Ann. XIII 12: *quando ab Octavia nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat.*

2) Cf. p. 45.

Octaviae scriptorem ex Suetonio sua desumpsisse? Taciti enim harum rerum narratio non ad nostram pervenit aetatem, ea autem quae nunc apud Dionem extant cum Suetonii descriptione prorsus congruunt.[1])

Oct. 627 sq.: *supplices dextram petant | Parthi cruentam* et Tac. Ann. XV 29 (28 N.): *ille* (Tiridates) *de nobilitate generis multum praefatus cetera temperanter adiunxit, iturum quippe Romam laturumque novum Caesari decus non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden* vox 'supplex' de eadem re adhibita est. sed ea sane de eis, qui infimis precibus aliquid petunt, semper fere usurpatur. qua de causa de artiore quodam vinculo, quo hi loci continentur, cogitandum non est. idem de Oct. vv. 624 sq. *licet extruat marmoribus atque auro tegat | superbus aulam,* qui antecedunt, dicendum est. Taciti et Suetonii verbis de aurea domo respectis, cf. Ann. XV 42 et Ner. 31, ea quae in Octavia extant illustrantur.

Oct. 646 sqq.: *parcite lacrimis urbis festo | laetoque die, ne tantus amor | nostrique favor principis acres | suscitet iras vobisque ego sim | causa malorum* Braun explicari opinatur eis, quae apud Tac. XIIII 60 leguntur: *actae ob id* (ut Octavia adulterii convinceretur) *de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri.* sed hoc quoque loco ut ceteris falsus est; nam in tragoedia Neronis uxor id tantum monet, ut lacrimis parcatur, ne mariti ira moveatur neve populi favor excitatus et sibi et ipsius fautoribus perniciosus sit, quod re vera postea factum est. apud Tacitum autem de alia re agitur.

Ex Oct. 657: *soror Augusti non uxor ero* et Tac. Ann. XIIII 64: *paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur* (Octavia), *cum iam viduam se et tantum sororem testaretur* videmus homines Octaviam reapse talibus verbis se defendentem finxisse. sed nisi iam inter nos constat Octaviae tragoediam post Taciti Annales conscriptam esse, ex tali similitudine nemo iure elicere poterit fabulae scriptorem ex Tacito pendere; immo statuamus oportet et ea quae Tacitus tradidit et ea quae in Octavia leguntur ad communem quendam fontem redire. item nihil ad Braunii sententiam comprobandam Tac. Ann. XIIII 60 verba: *exturbat* (Nero) *Octaviam steri-*

[1]) Eaedem enim res apud Xiphilinum quae apud Suetonium leguntur; ordo tantum quo singula Neronis dicta proferuntur diversus est. veluti Nero Xiph. LXIII 29, 2 in ipsa morte ὦ Ζεῦ exclamat οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι, apud Suetonium iam, antequam equites appropinquarunt, flens ad singula identidem dictitat: 'Qualis artifex pereo!' item illud 'ergo neque amicum habeo neque inimicum' Nero apud Suetonium multo ante quam apud Xiphilinum profert, qui tradit illum in ipsa mortis hora, cum nullus eorum, qui aderant, eum interficere vellet, exclamasse: ἐγὼ μόνος οὔτε φίλον οὔτε ἐχθρὸν ἔχω. cum Xiphilino Zonaras, alter Dionis epitomator, prorsus consentit, cf. XI 13. quae cum ita sint, pro certo adfirmare non possumus cum Schillero p. 29 Dionem in Neronis vitae fine describendo totum ex Suetonio pendere, praesertim cum ea quae Tacitus tradiderat non extent.

*lem dictitans. exim Poppaea iungitur* . . . valent ea quae is ad Oct. 671 sq. contulit, ubi chorus nos certiores facit Poppaeam iam Neroni iunctam esse.[1])

Nullum in usum paullo post Braun ad Oct. 694 sq.: *Caesari iuncta es tuo | taeda iugali, quem tuus cepit decor | et culpa Senecae* (sic codd.) *tradidit vinctum tibi | genetrix Amoris maximum numen Venus* verba ex Tac. Ann. XIII 45 petita adscripsit, quibus Poppaeae pulchritudo praedicatur. neque eis, quae Tac. ibidem c. 46 dicit: *sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans; mox acri iam principis amore ad superbiam vertens,* verba Oct. 696 *et culpa Senecae,* de quibus homines docti dubitant,[2]) ullo modo explicantur: apud Tacitum enim Nero non solum Poppaeae pulchritudine, sed etiam blandimentis artibusque eius capitur. id vero adnotandum est Ritterum haud recte hoc Octaviae loco usum esse, ut demonstraret tragoediae auctorem Neronis temporibus vixisse. quod si dicit[3]): 'quae illa Senecae culpa, non liquet; res nobis ignota est, sed aequali scriptori cognita fuit,' inde, quod nos de tali Senecae culpa nihil scimus, nemini concludere licet eum tantum, qui Senecae tempora viderit, aliquid de hac culpa compertum habere potuisse, qua in re ponamus oportet de vera Senecae culpa in hac fabula sermonem fieri, quam rem aliter se habere postea videbimus.

Ad Oct. 699 sqq.: *vidit attonitus | tuam formam senatus . . . . et ipse lateri iunctus atque haerens tuo | sublimis inter civium laeta omina | incessit* . . . . iam Delrius[4]) Tac. Ann. XV 23 verba: *iam senatus uterum Poppaeae commendaverat diis votaque publice susceperat* adtulit, quocum loco conferri etiam potest Oct. 590[5]): *et ipse populi vota iam pridem moror;* itemque cum vv. 721 sqq., quibus Poppaea somnium suum cum nutrice communicat, componi possunt, quae leguntur apud Tac. Ann. XIIII 10: *et erant, qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris* (Agrippinae) *audiri.* sed nemo hercle cum Braunio iudicabit eum, qui Octaviam composuit, cum v. 721 scripsit *inter tubarum saepe terribilem sonum,* Taciti locum ante oculos habuisse, nisi iam gravioribus argumentis

---

1) Quod etiam in Oct. 682 sq. et Tac. Ann. XIIII 61 ('effigies Poppaeae proruunt') cadit, ubi Poppaeae imaginum mentio fit.

2) Locus multis coniecturis vexatus, de quo in posteriore huius commentationis parte nobis agendum erit.

3) Cf. adn. ad h. v.; et hoc est tertium Ritteri argumentum, quo suam sententiam comprobare studuit. contendere autem eum memoria teneas hanc fabulam paullo post Neronis mortem conscriptam esse. de ceteris huius commentationis p. 24 sqq. et p. 26 sq. disputavimus.

4) Non Gronovius, ut Braun l. c. p. 39 dicit.

5) Quem versum recte in codicibus traditum esse postea demonstrare studebimus.

comprobatum erit hanc fabulam post Taciti Annales conscriptam e nam homines post Agrippinae caedem re vera credidisse tubarum sonit ex tumulo eius audiri Tacitus adfirmat. quam rem si is qui hanc t goediam conscripsit compertam habuit eiusque in Poppaeae quod fin somnio mentionem inicere voluit, non video, quibus aliis verbis omni uti potuerit. risum igitur movere debet, quod in Braunii libello[1]) ver *sonitum tubae* et *tubarum sonum* maioribus litteris expressa videmus. a que idem dici potest de Oct. 718 sq. et 726—728 et 744—747 collat cum eis, quae in Tac. Ann. XIIII 60 et 61 leguntur.[2])

Num Oct. 729 verba: *comitante turba* ad eos spectent, qui una cu Crispino, priore Poppaeae coniuge, necati sunt, quod Braun suspicatu valde dubium videtur; nam in vv. 728 sqq. nihil inest, quo ad talem con iecturam adducamur. qua de causa verba, quae in Tac. Ann. XVI 1 leguntur: *paucos quippe intra dies eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufius Crispinus ac T. Petronius cecidere,* cum Octaviae versibus conferri non possunt.

Cohors praetoria, quae in ipso Palatio stationem habuit, significatur v. 780: *quicumque tectis excubat miles ducis* et verbum sollemne *excubat* sine dubio iure a Raphelengio pro codicum scriptura *exultat* restitutum est,[3]) cf. Suet. Oth. 6 *sed obstitit respectus cohortis, quae tunc excubabat,*[4]) *ne oneraretur invidia, quod eiusdem statione et Gaius fuerat occisus et desertus Nero.* ex hoc quoque loco intelleges, quam bene is qui Octaviam conscripsit de rebus, quas tangit, edoctus fuerit.

Oct. 785 sqq. rumor plebis ex Octaviae favore ortus depingitur, Tacitus de eodem rumore Ann. XIIII 60 et 61 agit. sed Taciti descriptionem is qui Octaviam composuit nequaquam secutus est, quamquam Braun id pro certo habet. conferas quaeso vv. 785 sqq.: *quis iste mentes*

---

1) Cf. p. 40.

2) Verba sunt haec:

Oct. 718 sqq. *visa nam thalamos meos*
*celebrare turba est maesta: resolutis comis*
*matres Latinae flebiles planctus dabant.*

Oct. 726 sqq. *lata, quo praeceps toros*
*cerno iugales pariter et miror meos,*
*in quis resedi fessa.*

Oct. 744 sqq. *sed movent laeto die*
*pulsata palmis pectora et fusae comae?*
*Octaviae discidia planxerunt sacros*
*inter penates fratris et patrium larem.*

Tac. Ann. XIIII 60: *mox in Campaniam pulsa est* (Octavia) . . . *inde crebri questus nec occulti per vulgum . . . his *** tamquam Nero paenitentia flagitii coniugem revocarit Octaviam.*
c. 61: *quae* (Poppaea) *semper odio tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius . . .*

3) Recte metri causa verba transposuit Bothe; in codd. legitur: 'miles exultat ducis'.

4) Idem verbum de eadem re usurpatum legitur Tac. Hist. I 24 et 29.

*agitat attonitus furor?* | (Nunt.) *Octaviae favore percussa agmina | et efferata per nefas ingens ruunt* et Taciti verba c. 61: *exim laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur*, vv. 799 sqq.: *verba conveniunt feris | immixta factis, quae timor reticet meus. | sepire flammis principis sedem parant* et quae Tacitus tradit: *itur etiam in principis laudes,* quae Braun, qui cetera fere omnia excripsit, consulto non protulisse videtur. inde autem, quod et Oct. 794 et Tac. Ann. XIIII 61 *effigies* Poppaeae prorutae memorantur, nihil concludere licet; nam ridiculum est sumere Octaviae scriptorem, qui rumorem illum prorsus alio modo atque Tacitus descripsit,[1]) hoc unum verbum ex Tacito desumpsisse.

Quod deinde Braun ad Oct. 831 sqq.: *mox tecta flammis concidant urbis meis | ignes ruinae noxium populum premant,* quos Nero pronuntiat, Taciti verba adscripsit, quae Ann. XV 38 leguntur: *sequitur clades forte an dolo principis incertum (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior,* oblitus est monere apud Tacitum incendium illud non cum rumore ob Octaviae favorem orto coniungi, quae res alicuius momenti mihi esse videtur. adde quod in Octavia sicut apud Suetonium Ner. 38 disertis verbis Nero tamquam incendii auctor designatur, Tacitus vero incertum esse ait, utrum forte an principis dolo ea clades facta sit. sed in hac fabula Nero propter populi erga Octaviam favorem urbem delere constituit, apud Suetonium autem alia adfertur causa; narratur enim eum quasi offensum deformitate veterum aedificiorum et angustiis flexurisque vicorum urbem incendisse.[2])

Porro Braun inter se comparat Oct. 846 sqq. et Tac. Ann. XIIII 61 *(iamque ad Palatium . . . . disiecere),* vv. 851 sqq., 859 sqq. et nonnullos Poppaeae orationis locos, quae in eodem Taciti capite legitur. sed quamquam eis locis similes res commemorantur, tamen Taciti imitationem adesse negandum est. neque aliter iudicare possum de Oct. vv. 874 sq.: *devectam rate | procul in remotum litus interimi iube* et Taciti verbis: *varius sermo et ad metum atque iram accommodatus terruit simul audientem et accendit* (Ann. XIIII 62) . . . . *insulaque Pandataria Octaviam claudit* (63) . . . . *paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur* (64) inter se collatis. quodsi Braun contendit ea quae chorus vv. 877—898 profert, quibus iam multis populi favorem infaustum fuisse docet, scripta esse respectis verbis, quae in Tac. Ann. XIIII 60 extant: *inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt,* ingenue

[1]) Poppaea sane apud Tacitum in oratione, qua Neronem in Octaviam incitare conatur, res eodem fere modo auget quo Octaviae scriptor; sed haec similitudo facile explicatur eo, quod et rerum scriptor et poeta eodem fere sermonis colore utuntur.

[2]) Similia apud Tac. Ann. XV 40 leguntur: '. . . videbatur Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere.'

confiteor me hanc ratiocinationem omnino non intellegere, nam apud Tacitum secuntur verba: *Nero . . . . coniugem revocavit.* hi questus igitur Octaviae non perniciei fuerunt, sed rumor, qui postea insecutus est.

Octaviae verbis vv. 899 sq.: *quo me trahitis quodve tyrannus | aut exilium regina iubet* Braunio ad Poppaeae orationem, quae Tac. Ann. XIIII 61 legitur, respici videtur. sed Octaviae scriptorem, si illam Poppaeae orationem cognitam habuisset, tali modo eius rationem iniecturum fuisse quis est qui credat?

Ad Octaviae verba vv. 908 sqq.: *fratris cerno miseranda ratem | hac en cuius vecta carina | quondam genetrix, nunc et thalamis | expulsa soror miseranda vehar* Braun[1]) adnotat veri simile esse scriptorem ea de causa Octaviam sortem matris metuentem finxisse, quia apud Tacitum Nero Anicetum Agrippinae *necis patratorem*[2]) arcessat, ut *infensam coniugem depellat.* sed equidem non video, quo modo tale quid cogitari possit, cum de Aniceto in tragoedia nihil omnino dicatur. itemque non intellego, quae similitudo intercedat inter Oct. 914 sq.: *quis mea digne deflere potest | mala* et verba Tac. Ann. XIIII 63: *non alia exul visentium oculos maiore misericordia adfecit.*

Inde a v. 925 chorus miseram sortem feminarum, quae e domo Augusti ortae sunt, in Octaviae solacium commemorat et postquam vv. 932 sqq. Agrippinam (Agrippae et Iuliae filiam, Germanici uxorem) et vv. 941 sqq. Liviam (Drusi uxorem) nominavit earumque sortem paucis verbis rectissime exposuit, pergit vv. 944 sqq.: *Iulia matris fata secuta est; | post longa tamen tempora ferro | caesa est, quamvis crimine nullo.* apud Suetonium autem Claud. 29[3]) legimus duas Iulias a Claudio supplicio esse adfectas, id quod ex Senecae satura quoque, quae vulgo dicitur Apocolocyntosis,[4]) compertum habemus. legimus enim ibi X 4: *(tunc divus Augustus surrexit . . . . et summa facundia disseruit:) . . . . iste, quem videtis, per tot annos*

---

[1]) Cf. p. 47.

[2]) Cf. Ann. XIIII 62: 'et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus . . . igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse: locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret'.

[3]) Suetonii verba sunt haec: 'Appium Silanum consocerum suum Iuliasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto nec defensione ulla data occidit, item Cn. Pompeium maioris filiae virum et S. Silanum minoris sponsum.'

[4]) Hunc libellum, cui in antiquissimo Sangallensi codice inscriptum est 'Divi Claudii ΑΠΟΘΗϘΣΙΣ Annaei Senecae per saturam' (in ceteris titulus est 'ludus in mortem Claudii') — ἀποκολοκύντωσις propter ea nominatur, quae apud Dion. LX 35 extant — a Seneca conscriptum esse negarunt nostra aetate Stahr Agripp. I p. 338 sqq. et Riese Phil. XXVII p. 321 sq. at nequaquam firma ad hanc sententiam comprobandam protulerunt argumenta cf. Teuffelium in Litt. lat. hist. (ed. 4) p. 649 sq. (§ 289, 7).

*sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam rettulit, ut duas Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: unum abnepotem L. Silanum.* itemque apud Dionem LX 18 de duabus Iuliis sub Claudio occisis sermo est: τήν τε Ἰουλίαν, τὴν τοῦ Δρούσου μὲν τοῦ Τιβερίου παιδὸς θυγατέρα, τοῦ δὲ δὴ Νέρωνος τοῦ Γερμανικοῦ γυναῖκα γενομένην ζηλοτυπήσασα (ἡ Μεσσαλῖνα) ὥσπερ καὶ τὴν ἑτέραν ἀπέσφαξεν. in Octavia autem una tantummodo Iulia significatur, ea scilicet, quae ferro occisa est, non illa, quae fame periit; unde iam patet huius fabulae scriptorem ex illis auctoribus, quorum verba modo protulimus, sua non desumpsisse. nam si eorum scripta tamquam fontes adhibuisset, duas Iulias commemorasset. sed iam quaestio instituenda est, utra Iulia in Octaviae versibus significetur, utrum filia Drusi et Liviae versibus, qui proxime antecedunt, nominatae an filia Germanici et Agrippinae, cuius sors paullo ante vv. 934—941 deplorata est. Drusi quidem filiam prius Neroni Iulio Caesari (cf. Tac. Ann. III 29[1]) eoque mortuo C. Rubellio Blando (cf. Tac. Ann. VI 27[2]) nuptam dolo Messalinae interfectam esse ex Tac. Ann. XIII 32 coll. c. 43[3]) scimus. filia Germanici vero et Agrippinae, cui nomen Iuliae Livillae erat,[4]) novissimo partu edita[5]) a Tiberio in matrimonium data est M. Vinicio[6]) et cum ea Caligulam fratrem 'stupri consuetudinem fecisse' Suetonius Calig. 24 tradit; relegata a fratre,[7]) a Claudio revocata[8]) postea tamen ab eodem Messalinae fraude inducto, ut iam supra diximus, interfecta est. vetus quidam interpres ad Iuvenal. Sat. V 109 haec adnotavit: 'sicut inquit Probus sub Claudio quasi conscius adulteriorum Iuliae Germanici filiae in Corsicam relegatus (sc. Seneca) post octennium revocatus est.' apud Suetonium igitur et apud scholiastam illum Iulia Germanici filia adulterii arguitur. sed iam ad Octaviam revertamur. ex eo, quod Liviae Drusi uxoris in hac fabula mentio fit, videmus in vv. 929—957 scriptorem non id sibi proposuisse, ut exempla earum gentis Iuliae feminarum proferret, quae sine sua culpa relegatae essent; nam Liviae culpa a scriptore ipso significatur (cf. vv. 942 sq. *ferum | ruit in facinus poenam-*

---

[1]) 'Auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae, Drusi filiae.'

[2]) 'Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit, quod Iulia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi.'

[3]) Ann. XIII 32: 'post Iuliam, Drusi filiam, dolo Messalinae interfectam', ibid. 43: 'Iuliam, Drusi filiam, Sabinamque Poppaeam ad mortem actas'.

[4]) Cf. Th. Mommsenum in Hermae t. XIII p. 265.

[5]) Cf. Tac. Ann. II 54: 'tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit'.

[6]) Cf. Tac. Ann. VI 15: 'Vinicio Iuliam Germanico genita(m) coniungit'.

[7]) Cf. Suet. Cal. 29: 'relegatis sororibus non solum insulas habere se sed etiam gladios minabatur' et Dion. Cass. LVIIII 3: καὶ τὰς ἀδελφὰς πάσας διαφθείρας ἐς νῆσον τὰς δύο κατέκλεισεν.

[8]) Cf. Suet. Cal. 59 'per sorores ab exilio reversas' et Dion. Cass. LX 4 τήν τε Ἀγριππῖναν καὶ τὴν Ἰουλίαν καταγαγὼν τὰς οὐσίας σφίσιν ἀπέδωκεν.

*que suam)* neque Livia illa, quod quidem nos sciamus, umquam relegata est. immo chorus his omnibus feminis, Agrippina Germanici uxore, Livia, Iulia, Messalina, Agrippina Neronis matre commemoratis Octaviam consolari volt monens multarum stirpis Iuliae feminarum sortem miserrimam fuisse. id igitur, quod Iuliam Germanici filiam relegatam fuisse scimus, non in causa esse potest, ut statuamus voce *matris* (v. 944) Agrippinam Germanici uxorem significari, quod G. A. Swoboda fecit.[1]) immo si verba *post longa tamen tempora* . . . . cum Iuliae Drusi filiae sorte, qualem nos eam compertam habemus, consociari possunt, non dubitabimus statuere vocem *matris* ad Liviam versibus proxime antecedentibus commemoratam spectare, quae interpretatio se ipsa offert, et Liviae filiam designari. inquirendum igitur est, num filiae Drusi et Liviae sorti versus 944—946 conveniant. verba *post longa tempora* per se ad utramque Iuliam spectare possunt; Drusi tamen filia maior natu erat quam Germanici — illa enim iam a. XX p. Ch. Neroni Germanici filio consobrino suo desponsa est,[2]) sed Germanici filia a. XVII p. Ch. demum nata esse videtur[3]) — et maior Iulia etiam duobus annis post minorem occisa est, si modo Dio recte huius mortem ad a. XLI (LX 8), illius ad a. XLIII (LX 18) commemorat. itaque verba *post longa tempora* aptissime de Drusi filia dici potuisse nemo negabit, *ferro* autem una tantum Iulia caesa est, ut ex Apocolocyntosi constat. et is qui Octaviam composuit, cum hos versus scriberet, unam tantum respexit. quae res maximi momenti mihi esse videtur. nam nos quidem ceteris locis omnibus, quibus harum Iuliarum mentio inicitur, inter se collatis discernere non possumus, utra ferro caesa sit, quam difficultatem iam loco illo Octaviae sublatam esse vides. id vero nullo pacto nos scriptor edocere potuisset, si ea tantum scriptorum opera, quae ad nos pervenerunt, tamquam fontes adhibuisset. quodsi apud Dionem[4]) verbum ἀπέσφαξεν legimus, hoc ad utramque Iuliam spectare videtur neque proprio id sensu adhibitum est, cum ipse paullo post alteram Iuliam a Messalina occisam esse dicat; veri enim non dissimile est Dionem ne scivisse quidem, quod ex apocolocyntosi compertum habemus, alteram Iuliam ferro, alteram fame peremptam esse. restant verba Oct. v. 946: *quamvis crimine nullo,* quae comparari possunt cum eis, quae apud Suet. Claud. 29 leguntur: *crimine incerto . . . . occidit* et quae in Apocolocyntosi X 4 extant: *dic mihi, dive Claudi, quare quemquam ex his quos quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnasti?* sed si locorum illorum rationem

[1]) In interpret. germ. Sen. trag. vol. III p. 376.

[2]) Cf. Tac. Ann. III 29. IIII 60. VI 27; Dion. Cass. LX 18.

[3]) Cf. Mommsenum l. c. p. 255.

[4]) Cf. LX 18: τήν τε Ἰουλίαν, τὴν τοῦ Δρούσου μὲν . . . ὥσπερ καὶ τὴν ἑτέραν ἀπέσφαξεν.

habemus, in quibus[1]) de adulterii crimine Iuliae Germanici filiae mentio fit, nullo pacto credere possumus Octaviae scriptorem, qui nusquam rerum, quas commemorat, imperitum se ostendit, verbis 'quamvis crimine nullo' respicere voluisse Germanici filiam bis propter adulterii crimen in exilium pulsam, id quod eum, qui Octaviam composuit, bene compertum habuisse propter ceteras, quas tangit, res statuamus necesse est, sive hanc fabulam statim post Neronis mortem sive posterioribus temporibus conscriptam esse sumimus. itaque verba illa, quae in Oct. 944 sqq. leguntur, nisi de Drusi et Liviae filia dicta esse non possunt. nam quod Tacitus Ann. IIII 60 tradit hanc Iuliam Neronis mariti *vigilias, somnos, suspiria matri Liviae atque illam Seiano patefecisse,* hoc Iuliae non crimini datum est, ut Taciti ipsius verba docent.[2]) quodsi, ut huius disputationis summam faciamus, iam per se simplicior ea interpretatio esse videtur, qua *matris* voce (v. 944) Liviam in versibus, qui proxime antecedunt, significatam intellegimus, commendatur ea sola etiam verbis sequentibus *post longa tempora ferro caesa est, quamvis crimine nullo,* ita ut mihi quidem dubium non esse videatur, quin ab Octaviae scriptore Iulia Liviae Drusique filia significata sit. quae si recte disputata sunt, iam ex hoc loco comperimus, quod aliunde non compertum habemus, Iuliam Drusi filiam ferro, Germanici vero et Agrippinae filiam fame periisse. ex eo autem, quod Octaviae scriptor, quamquam plurimas res Neronis temporibus vel antea gestas commemoravit, ne uno quidem loco haud satis edoctum de eis rebus se praebet, sequitur hoc loco, quo quidem praeter res aliunde notas una traditur, quam ex alio fonte haurire non licuit, de scriptoris fide nullo pacto dubitari posse. immo concedendum est eum, qui Octaviam composuit, in temporum illorum historia optime versatum fuisse. nam uno tantum Apocolocyntosis loco X 4 Iuliarum mors accuratius significatur nec tamen ita, ut nos, quod iam vidimus, discernere possimus, utra Iulia ferro, utra fame

---

[1]) Cf. Suet. Calig. 24: 'cum omnibus sororibus suis consuetudinem stupri fecit'. schol. ad Iuven. Sat. I 109: '(Seneca) quasi conscius adulteriorum Iuliae Germanici filiae in Corsicam relegatus'. quibus locis adde Dion. Cass. LX 8: (Μεσσαλῖνα) τὴν Ἰουλίαν τὴν ἀδελφιδῆν αὐτοῦ . . . ζηλοτυπήσασα ὅτι περικαλλής τε ἦν καὶ μόνη τῷ Κλαυδίῳ πολλάκις συνεγίγνετο, ἐξώρισεν ἐγκλήματα αὐτῇ ἄλλα τε καὶ μοιχείας παρασκευάσασα . . . καὶ ἀπέκτεινεν αὐτήν.

[2]) Haec sententia optime congruit cum eis, quae in Nipperdei Taciti Annalium editione VIII. ab Andreseno curata ad hunc locum (IIII 60) adnotata sunt: 'ne nox quidem secura (Neroni), cum uxor vigilias somnos suspiria matri Liviae atque illa Seiano patefaceret nicht aus Feindseligkeit gegen ihren Mann; denn hätte Tacitus das gemeint, so würde er es bestimmt gesagt und nicht VI 27 (tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit, quod Iulia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem, equitem Romanum, plerique meminerant) ihre Missheirat als allgemein betrauert bezeichnet haben. Sie vertraute ihrer Mutter ihre Unruhe an, weil sie dieselbe für ihre und ihres Mannes beste Freundin hielt'.

perierit.[1]) nempe illis temporibus, quibus hic libellus scriptus est, haud multo post Claudii mortem necesse non erat legentes de ea re, quae cuique nota erat, edocere. atque eodem modo in libro, ex quo Suetonius et Dio Cassius, quae de his Iuliis tradiderunt, desumpserant, duae illae feminae mortis genere non distinctae fuisse videntur. quod enim inferioris aetatis scriptor, si modo potuit, facere debuit, ut duas Iulias distingueret, id ei, qui ipse ea tempora viderat, neglegere licuit, praesertim cum historiam conscribere nollet. iam cum Octaviae scriptor rem, cuius accuratam notitiam neque ex Suetonio neque ex Dione neque ex alio, quod quidem sciamus, scriptore[2]) eum haurire potuisse constat, melius compertam habuerit quam illi ipsi, suspicari licet Octaviam haud multo post Neronis tempora compositam esse ab homine, qui aut suis oculis tempora, quae descripsit, vidit aut ea quae protulit ex auctore desumpsit, qui res ea aetate gestas accuratius explicaverat.

Sed Tacitus Ann. XIIII 63, ubi Octaviam relegatam esse narrat, Agrippinam et alteram Iuliam, Germanici filiam dico, quam ab huius tragoediae scriptore non significari modo demonstravimus, coniunctas commemorat simili modo et eadem occasione data atque Octaviae scriptor. legimus enim apud Tacitum haec: *non alia exul visentium oculos maiore misericordia adfecit. meminerant adhuc quidem Agrippinae a Tiberio, recen-*

---

[1]) Tamen Fr. Bücheler ex Senecae, Taciti, Dionis locis collatis cum eis, quae Suet. Claud. 29 tradit: 'Iuliasque alteram Drusi alteram Germanici filiam occidit (Claudius)', coniecit Drusi filiam ferro, Germanici fame periisse. adnotat enim ad Apocol. (quem libellum edidit in 'symbola philol. Bonn. in hon. Ritschelii coll.' Lipsiae 1878) locum supra citatum (X 4): 'Beide (Julien) fielen durch Messalinas Eifersucht: zuerst die Tochter des Germanicus und da dieser durch Adoption Tib. Aug. filius divi Aug. nepos war, Urenkelin Augusts, die Nichte des Claudius, welche im Jahre 41 verbannt ward (mit ihr Seneca als Theilnehmer an ihren Ausschweifungen) und bald darauf den Hungertod starb. Dann die Tochter des Drusus, des Sohnes Tibers, folglich auch Urenkelin Augusts, zugleich Schwestertochter des Claudius, welche im Jahre 43 von Suillius angeklagt und hingerichtet ward; Dio LX 8 und 18, Tac. Ann. XIIII 63 und XIII 43. Letztere wird an dieser Stelle wie von Sueton vorangestellt, weil sie die ältere und durch drei Vermählungen bedeutendere war (mit Nero, Germanicus Sohn, mit Sejan und Rub. Blandus)'. tamen propterea, quod in Apocolocyntosi ea Iulia, quae ferro caesa est, prior nominatur, apud Suetonium vero Drusi filia, utpote maior natu, priore loco adfertur, suspicari non licet in Apocolocyntosi quoque maiorem Iuliam, quae posterior occidit, priore loco significari, neque verbum ἀπέσφαξεν, quod apud Dionem legitur, in causa esse potest, ut statuatur Drusi filiam ferro occisam esse; nam hoc proprio sensu adhibitum esse nemo pro certo adfirmabit nisi is qui Octaviae versus legerit. haec igitur res discerni nequit nisi Octaviae fabulae versibus in auxilium vocatis; Buecheler tamen Octaviae versuum rationem non habuit. itaque divinavit quidem verum, certis argumentis non comprobavit.

[2]) Ne ex Tacito quidem; nam is de Iuliarum morte haec tantum tradit Ann. XIII 32: 'nam post Iuliam, Drusi filiam, dolo Messalinae interfectam' et XIII 42: 'Iuliam Drusi filiam Sabinamque Poppaeam ad mortem actas'. sed in Annalium libris deperditis fortasse Iuliarum mors accuratius significata erat, quae res iam ad liquidum perduci nequit.

*tior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae.* quo loco clarum est, utra Iulia intellegenda sit; verbis enim *a Claudio pulsae* Germanici filiae alterum exilium tangitur; nam primum a Caligula una cum Agrippina sorore, Neronis matre, in Pontias insulas relegata est,[1] unde Claudius eam revocavit.[2] per se patet, cur Agrippinae Germanici uxoris et filiae eius, Iuliae, apud Tacitum mentio fiat: nempe quia aeque atque Octavia in exilium eiectae sunt. prorsus aliter autem, ut iam demonstravimus, in Octavia res se habet, ubi non omnes feminae domus Iuliae, quae in exilium pulsae sunt, commemorantur.[3] neque ullo iure Vater[4] et qui eum secutus est Braun[5] statuerunt ab Octaviae scriptore eandem Iuliam atque ab Tacito significari, cum Tacitum ille imitando expressisset. ea enim quae in Octaviae versibus extant (post longa tempora ferro caesam esse Iuliam illam quamvis crimine nullo) quaeque rectissime, ut vidimus, dicta scriptorem produnt rerum illarum peritissimum nullo pacto ex illo Taciti loco sumi potuisse manifestum est. nam si is Taciti locum legisset, verba eius sine dubio bene intellexisset; prorsus enim incredibile est eum, qui in tam multis rebus optime versatus est, non vidisse, ad utram Iuliam Taciti verba *a Claudio pulsae* spectarent, quod unusquisque nostrum primo obtutu cognoscit. itaque si is qui Octaviam conscripsit Taciti verba legisset, scivisset etiam ea ad Germanici filiam spectare, et si Tacitum imitari voluisset, hanc Iuliam Germanici filiam commemorasset, non alteram, cuius apud Tacitum hoc loco nulla fit mentio. adde quod Tacitus disertis verbis dicit eis, qui Octaviam vidissent, Agrippinae et Iuliae mentionem iniectam esse. non igitur Tacitus ipse harum feminarum meminerat, sed eo tempore, quo Octavia domo Augusta expulsa est, Romae homines ceterarum feminarum eiusdem domus meminerant. nonne ergo Octaviae scriptor id quod in omnium mente erat ipse commemorare potuit? at etiamsi re vera eaedem feminae apud utrumque scriptorem commemorarentur, id quod Vater et Braun falso, ut vidimus, statuerunt, tamen ex hac commemoratione non sequeretur unum ex altero hausisse. itaque hic Taciti locus, ex quo uno iam concludi posse putarunt Vater et Braun Octaviam post Taciti Annales conscriptam esse, non solum eorum opinionem non confirmat, sed clarissime ostendit in hac tragoedia componenda Taciti Annalium libros, qui ad nos pervenerunt, adhibitos non esse.

---

1) Cf. Dion. Cass. LVIIII 3: τὰς ἀδελφὰς πάσας διαφθείρας ἐς νῆσον τὰς δύο κατέκλεισεν (ad a. 37), LVIIII 22 τάς τε ἀδελφὰς . . . ἐς τὰς Ποντίας νήσους κατέθετο (ad a. 39), deinde Suet. Cal. 24 et 29, quos locos iam supra citavimus.

2) Cf. locos iam supra citatos, Dion. Cass. LX 4; Suet. Cal. 59.

3) Iuliae enim Augusti filiae in eandem atque Octavia insulam Pandatariam relegatae (cf. Tac. Ann. I 53) nulla fit mentio.

4) Cf. p. 659 adn. et p. 612.

5) Cf. p. 46 adn. 26.

Mirum tamen cuipiam possit videri, quod Octaviae scriptor Drusi tantum filiae mentionem fecit. nam propter ea quae supra exposita sunt sumere non licet alteram Iuliam ei ignotam fuisse. quod Vater opinatus est, qui propter hanc, quam sibi mente finxit, scriptoris ignorantiam statuit fabulam paullo post Neronis mortem scriptam esse non posse. quam ob rem circumspiciendum est, num fortasse causa aliqua reperiri possit, cur is alteram Iuliam, quamquam eam bene noverat, silentio praetermiserit: cum rhetoris modo exempla congereret, quibus Octaviae animus confirmaretur, in singulis feminis enumerandis iustum temporis ordinem secutus est. Iuliam autem Germanici filiam, quam ante alteram Iuliam periisse ex Dione constat[1]), temporis ordine servato continuo post Liviam commemorare debuisset, si hoc omnino voluisset. at ea neglecta maluit Liviae eius filiam addere, quia sic aptissime duae feminae coniunctae erant inter se contrariae. talem coniunctionem matris nocentis et filiae innocentis, quae ad eundem vitae finem pervenerunt, in declamationibus, quae usitatae erant in scholis rhetorum, frequentem fuisse satis probabile est. Drusi vero filia commemorata alterius Iuliae mentionem facere omnino non potuit rhetor nisi temporis ordine turbato. postquam igitur Liviae filiam ferro caesam esse dixit, iam Messalinam et Agrippinam profert eodem modo occisas (*ense* v. 953, *ferro* v. 957); ita Iuliae Liviae filiae apto modo cum matre sua coniunctae bene Messalinam et Agrippinam eundem vitae finem nanctas adiunxit. ergo tragoediae scriptor si Iuliam Germanici filiam temporis ratione habita statim post Liviam commemorasset, matrem et filiam eadem sorte coniunctas diremisset; sin temporis ordine neglecto post Liviae filiam vel una cum ea alterius Iuliae mentionem iniecisset, Liviae filiam, Messalinam, Agrippinam propter eundem vitae finem optime se excipientes distraxisset; nam Germanici filiam fame periisse iam inter nos convenit. sic explicari potest, cur altera Iulia omissa sit. accedit quod eius, qui Octaviam composuit, non intererat omnes domus Iuliae feminas, quae similem sortem passae erant, enumerare; nam poetam non rerum scriptorem se praebere voluit. sed iam disputationis, quam de Oct. 944 sqq. instituimus, finem faciamus: iterum[2]) vidimus Braunium aliosque, qui posterioribus temporibus Octaviae fabulam compositam esse statuerunt, falsos esse opinatos omnes res in hac fabula commemoratas nos ex aliis scriptoribus compertas habere.

Loci, quos ultimos Braun[3]) composuit — dico Oct. 960 sqq.: *quid iam frustra miserando moror? | rapite ad letum, quis ius in nos | fortuna*

---

[1]) Cf. LX 8 et 18.

[2]) Prior locus est Oct. 196 sq., cf. huius comm. p. 24 sqq.

[3]) Cf. p. 43.

*dedit* et Tac. Ann. XIIII 64: *ac puella . . . . nondum tamen morte acquiescebat. paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret* ne minimum quidem valent. nam vestigia Taciti imitationis, quae Braun adesse dicit, quamquam ea non diserte proponit, mea quidem sententia non adsunt.

Hi sunt loci, quibus Vateri, Braunii,[1]) Richteri, Birtii sententiae nituntur. sunt sane satis multi, sed ne unus quidem ullum Taciti imitationis vestigium ostendit. at contra hic illic tales discrepantias inter fabulam et Taciti Annales intercedere videmus, ut sumi nequeat Octaviae scriptorem ex Tacito hausisse. quod ex aliis quoque rebus adparere puto. etenim si tragoediae scriptor ea quae apud Tacitum extant ad scaenae usum componere voluit, primum causam non video, cur in singulis personis depingendis a Tacito recesserit.[2]) nam qui Senecae et Neronis colloquium, quod ab Octaviae scriptore compositum est,[3]) cum sermone eorundem a Tacito[4]) tradito comparaverit, concedet Neronem ab utroque scriptore prorsus diverso modo depingi: cum in Octavia Nero Senecae verbis non respectis hominem crudelissimum atrocissimumque se praebeat, apud Tacitum blandis utitur verbis, nihil quod offendere possit profert. mihi quidem incredibile videtur Octaviae scriptorem, si ex Tacito sua desumpsisset, colloquium illud Neronis et Senecae neglecturum fuisse, praesertim cum easdem personas inter se colloquentes inducturus esset. idem valet de Poppaea Sabina orationeque eius apud Tacitum extante et de praefecto. Braun[5]) autem hanc rem ita expedire studuit, ut diceret Octaviae scriptorem in personis depingendis Senecae tragoedias secutum esse. sed singulorum hominum mores a Tacito tam vividis coloribus descripti sunt et in eis, quibus ille Octaviae sortem enarrat, tam multa insunt, quae ad tragoediam componendam aptissima videantur, ut intellegere non possim, quomodo aliquis, qui res a Tacito tractatas in scaena proponere voluerit, haec omnia respuerit. certe Senecae imitatio, de qua postea fusius exponemus, hoc efficere non potuit; nam Senecam Octaviae auctor imitari poterat, etiamsi secundum Tacitum personas descripsisset. similitudo enim, quae inter Octaviam et Senecae fabulas intercedit, in eo posita est, quod

[1]) Sine ullo iudicio C. E. Sandström in 'commentatione de L. A. Senecae tragoediis' conscripta (diss. inaug. Upsaliae 1872 em.) horum sententiae se adiunxit. conferas velim quae p. 98 disputat: 'neque dubitandum est, quin is, qui Octaviam scripsit, hac ipsa Taciti narratione et ad componendam fabulam impulsus et in componendo diligenter usus sit'.

[2]) Quod iam Ritter intellexit; cf. edit. praef. p. VIII.

[3]) Cf. v. 440 — v. 592.

[4]) Cf. Ann. XIIII 53—56.

[5]) Cf. p. 20 sqq.

omnes personae more rhetorico locuntur. in Octavia omnes, qui in scaenam prodeunt, non aliter declamant atque in ceteris fabulis, quae eodem corpore continentur. quae tamen, quod ad argumenta attinet, tam diversae sunt ab illa praetexta. sed Octaviae scriptor personas etiam haec, quae apud Tacitum locuntur, declamantes inducere potuit. ex Senecae igitur imitatione discrimen, quod inter personarum mores apud hunc et apud Tacitum intercedit, explicari nequit. sed quaerat forsitan quispiam, uter homines ex vera eorum natura descripserit. ingenue fateor me ad haec nihil certi respondere posse; nam id quoque cogitari potest neutrum scriptorem homines, ut erant, ante oculos posuisse. certe ex Octavia non multum proficimus ad veros hominum mores cognoscendos. nam is qui eam composuit rhetorem se gerit, qui id agit, ut Neronem omnium hominum maxime detestabilem fuisse ostendat. quam rem Meiserum non intellexisse miror, qui[1]) putavit ex ratione, qua Poppaea Sabina ab Octaviae scriptore descripta est, demonstrari posse Tacitum eius mores ac naturam false descripsisse. atque haec de personis. sed etiam si externam fabulae adornationem, quae graece οἰκονομία dicitur, respexeris, reperies quae a Taciti narratione discrepent, velut ea quae de Octaviae exilio Campano narrantur:[2]) de causa exilii, quam Neronem ipsum protulisse Tacitus auctor[3]) est — dico sterilitatem Octaviae —, in tragoedia nihil memoratur. atqui haec argumenta sine dubio is qui Octaviam conscripsit in usum suum convertisset, si Tacitum secutus esset. sane de Taciti fide historica cur dubitemus, causa non est; nam poeta ille etiamsi ea quae Tacitus tradit ipse vidit, tamen cum rerum historiam scribere in animo non haberet, nonnulla neglegere vel, ut ad suum consilium aptiora fierent, immutare potuit, quod, si ille omnia sua ex Tacito desumpsit, certe minorem habet veri speciem. sed iam satis gravibus argumentis demonstrasse nobis videmur non solum nullum omnino Taciti imitationis vestigium in Octavia inesse, sed etiam tantas discrepantias inter narrationem de Octaviae exitu, quae apud Tacitum et in hac fabula extat, intercedere, ut negandum sit Octaviae scriptorem in tragoedia componenda Tacitum tamquam ducem secutum esse. neque aliter de Suetonio et Dione Cassio iudicare possumus; ceterorum autem

---

[1]) Cf. quae ille p. 14 sq. dixit: „Vielleicht wird noch einmal, wenn feststeht, dass der Dichter der Octavia vor Tacitus geschrieben, und sein Stück sich grösserer Autorität als bisher erfreut, daraus eine neue Waffe gegen Tacitus geschmiedet und eine Rettung Poppaeas unternommen."

[2]) Cf. Tac. Ann. XIIII 60. crimen adulterii, quod apud Tacitum maximi momenti est, tragoediae scriptor, ut supra (p. 21) dictum est, fortasse ea de causa non commemoravit, quod id ab Octaviae indole prorsus abhorrere videbatur.

[3]) Cf. Tac. Ann. XIIII 60: 'exturbat Octaviam sterilem dictitans'; Oct. 590: 'et ipse populi vota iam pridem moror' ea res breviter tantum significatur.

scriptorum opera, qui res Neronis temporibus gestas accuratius tractarunt, non ad nostram pervenerunt aetatem.

Ex tota igitur disputatione, quam de rebus in Octavia narratis vel commemoratis instituimus, quaeque ad tempus, quo haec tragoedia conscripta sit, definiendum haud parvi momenti esse videtur, haec nos elicuisse arbitramur: Ii qui contenderunt praetextae scriptorem in singulis rebus Neronis temporibus vel antea gestis describendis Tacitum ut auctorem secutum esse, falsi sunt.[1]) neque ex aliorum rerum scriptorum operibus, quae adhuc extant, is qui Octaviam composuit sua mutuatus est; quod tamen facere debuisset, si posterioribus temporibus vixisset, quibus hi rerum scriptores Tacitus, Suetonius, Dio Cassius gravissimi auctores habebantur. quodsi ii qui praetextam multo post Neronis tempora compositam esse iudicarunt opinati sunt omnes res in Octaviae fabula tractatas nos ex aliis quoque scriptoribus compertas habere, eos haud recte statuisse duobus locis (vv. 196 sq. et vv. 944 sq.) ostendimus, quibus res veras tradi argumentis extrinsecus petitis probasse nobis videmur. propter res igitur in Octaviae tragoedia commemoratas non solum non est, cur hanc fabulam multo post Neronis tempora compositam esse statuamus, sed etiam necessarium videtur sumere huius praetextae auctorem ipsum Neronis tempora vidisse et paullo post Neronis obitum eam conscripsisse. primum enim non omnia quae profert ex rerum scriptoribus, quorum opera nos novimus, desumere potuit,[2]) deinde hominem de rebus Neronis temporibus vel antea gestis optime edoctum se praebet; nam ne uno quidem inter tot locos, quibus res aut Neronianae aut prioris aetatis commemorantur, falsa profert neque ulla in re minus bene instructum se praebet quam ipsi rerum scriptores. adde quod has res omnes ut notissimas leviter tangit, non fusius explicat.

Sed dicat quispiam concedendum quidem nobis esse Octaviae scriptorem ea quae neque apud Tacitum leguntur neque ab alio scriptore nobis tradita sunt ad tragoediam componendam adhibuisse, inde vero

---

[1]) Falsa igitur ea sunt, quae Braun l. c. p. 56 protulit: „Wenn man bedenkt, in welchem Grade und mit welcher Aengstlichkeit sich der Verfasser an Tacitus angeschlossen hat, scheint die Octavia nicht einmal in der nächsten Zeit nachher, sondern da erst entstanden zu sein, wo man ausser Tacitus für die damaligen Begebenheiten fast keine andere Quelle mehr hatte, da wir kaum eine Nachricht in ihr finden, die uns dieser Historiker nicht auch gäbe". iam video Rankium quoque l. c. p. 65 sqq. de Tacito, Suetonio, Dione in universum disputasse neque aliter iudicasse.

[2]) De Iuliis (v. 944 sq.) Tacitum egisse veri simile est in Annalium libris deperditis, sed quae de Actes monumentis in Octavia leguntur unde haurire aliquis potuerit nescimus.

nondum concludi posse Octaviam statim post Neronis obitum conscriptam esse. nam primis p. Ch. n. saeculis aliorum quoque scriptorum opera praesto fuisse, ex quibus illa haurire potuerit, veluti C. Plinii, Cluvii Rufi, Fabii Rustici.[1]) sane ex his scriptoribus is qui Octaviam conscripsit sua desumere potuit — nam certi quicquam hac de re statui omnino nequit —, sed si quis posterioribus illis temporibus, quibus Richter aliique hanc fabulam scriptam esse statuerunt, res Neronis aetate gestas tractare voluisset, vix scriptorum opera ante Taciti Annales composita inspexisset aut inspicere potuisset. ceterum minime pro certo adfirmo iam propter res in hac tragoedia commemoratas prorsus incredibile esse eius scriptorem altero vel etiam tertio vel quarto p. Ch. saeculo vixisse: negavi tantum hoc veri simile esse. id vero iam constare puto nullam prorsus adesse causam, cur statuamus Octaviae scriptorem res, quas tractat, ex Tacito vel alio scriptore desumpsisse. Braunio autem, Richtero aliisque numquam in mentem venisset contendere Octaviam longe alio tempore compositam esse atque fabulas una cum ea traditas, nisi persuasum habuissent Octaviae scriptorem in tragoedia sua componenda Taciti Annalibus usum esse. gravissimum igitur illorum argumentum refutasse nobis videmur. quod autem res ipsas, quae in hac fabula tanguntur, suadere vidimus, nempe ut sumamus hanc fabulam paullo post Neronis interitum conscriptam esse, idem suadet tragoediae argumentum. quo enim quaeso tempore mala domus Iuliae fortuna hominum animos magis commovebat quam paullo post Neronis exitum, cuius odium eo ipso tempore apud homines admodum ardens fuit! accedit quod scimus tunc re vera fabulas praetextas conscriptas esse.[2]) nisi igitur alia proferri possunt, quae nos cogant, ut paullo post Neronem Octaviae tragoediam scriptam esse negemus, statuendum erit, quod per se maximam veri speciem habet atque etiam ex disputatione, quam de rebus in hac fabula tractatis instituimus, adparere videtur, Octaviae scriptorem Neronis aetate iam vixisse et haud

---

[1]) Auctores nominat Tacitus C. Plinium Hist. III 28. Ann. I 69, Cluvium Rufum Ann. XIII 20. XIIII 2, Fab. Rusticum Ann. XIII 20. XIIII 2. XV 61. praeter hos alios quoque res aetatis Neronianae scripsisse per se planum est; cf. Ios. Flav. Ant. Iud. XX 8, 2: πολλοὶ γὰρ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν . . .

[2]) A Curiatio Materno Vespasiani temporibus, cf. Tac. dial. de orat. 3: 'cum tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graecorum fabulis adgregare.' Tiberii vero temporibus Pomponius Secundus praetextas scripsisse videtur, cf. Charis. I 132 K 'P. S. in Aenea', qui titulus ad praetextam referendus est, et Pseudo-Acronem ad Hor. A. P. 288: 'praetextas et togatas scripserunt . . . . Pomponius'. A. Persius Flaccus quoque in pueritia praetextam composuit teste Probo Valerio: 'scripserat in pueritia Flaccus etiam praetextam † vescio.'

multo post eius mortem tragoediam suam composuisse. quae cum ita sint, iam ad alias res tractandas nos vertamus atque altero capite de Senecae tragoediarum imitatione, quae in Octavia conspicitur, exponamus.

## II.

Braun in libello, quem de Octavia conscripsit, cum sibi persuasisset eius scriptorem Senecae tragoedias omni ex parte secutum esse, id inter argumenta habuit, quibus nisus eam paullo post Neronem compositam esse negaret.[1]) qua de causa nobis inquirendum est, quo modo is, qui Octaviam conscripsit, Senecam ipsum imitatus sit. ac primum de oeconomia quae dicitur scaenica disputare in animo est. Braun[2]) enim demonstrare voluit Octaviae scriptorem in externa fabulae adornatione Senecae fabulam, quae 'Troades' inscribitur, tamquam exemplum secutum esse.

Primum igitur componi posse dicit Oct. 1—272 et Tro. 1—163. nam hic Hecubam primum solam,[3]) deinde una cum choro miseram patriae, domus, suam ipsius sortem deplorare, illic item Octaviam initio solam,[4]) dein una cum nutrice suam stirpisque suae calamitatem lugere.[5]) eodem modo Talthybii (Tro. 164—203) et Senecae personas in universum componi posse.[6]) multo magis adeo iurgia Senecae cum Nerone Oct. 440—592 congruere cum Tro. 203—370, ubi Agamemno contra Pyrrhum pugnet, ne Polyxena immoletur, donec Calchas virginem mactandam esse pronuntians rem discernat. canticum Tro. 371—408, in quo chorus Achillis animam adparere negat animamque una cum corpore interire adfirmat, in causa fuisse Braun putat, cur Octaviae scriptor Agrippinae umbram in scaenam induceret. deinde similitudo ei intercedere videtur inter Oct. 690—761, quo loco Poppaea somnium suum cum nutrice communicat, et Tro. 409—735, ubi Andromacha, somnio territa suadente sene in Hectoris tumulo filium abscondit, quem Ulixes, qua est sagacitate, e latebris protrahit. eodem enim modo, quo in Andromachae somnio Hector quasi persona primaria sit, in Poppaeae somnii viso Agrippinam primas partes agere. atque in Troadum fabula id, quod Andromacha in somnio viderit,

---

1) Quamquam Ritter, qui contrariam sententiam sequitur, eodem argumento usus erat, cf. eius verba in praef. p. XI.

2) Cf. p. 12 sqq.

3) Cf. vv. 1—66.

4) Cf. vv. 1—34.

5) Chori canticum, quod Oct. 273—376 extat, praetermittit.

6) Cf. quae dicit p. 14: 'Das Auftreten des Seneca . . . und des Talthybios . . . bieten nur die ganz allgemeine Parallele, dass sie, der eine durch seine Persönlichkeit, der andere durch seinen Bericht von der nächtlichen Erscheinung des Achilles die Katastrophe beschleunigen'.

per Ulixem fieri, in Octavia vero eis, quae nuntius vv. 780 sqq. proferat, cogitationem de eventu Poppaeae somnii inici. deinde ut in Troadibus Andromacha frustra Ulixem oret, ita in Octavia 806—819 chorum invictam Amoris potentiam praedicare, Tro. 813 Ulixem iubere Argolicae classis moram i. e. Hectoris filium abripi neque aliter Neronem imperare, ut Octavia in remotum litus devehatur. in extremis autem utriusque fabulae partibus Braun ipse profitetur haud multa similia inesse: Tro. 888—1009 et Oct. 899—923 in una tantum re congruere; nam et Hecubam et Octaviam queri, quod in exilium depellantur et navibus e patria vehantur, Tro. 1009 sqq. autem et Oct. 923 sqq. eandem sententiam, communi malo hominum animos levari vario modo illustrari; utramque denique fabulam querelis finiri et in utraque mulieres e scaena decedere, ut navem conscendant.

Haec fere Braun ad sententiam suam confirmandam adtulit, nec tamen id quod voluit probavit. nam ea, qua ille usus est, ratione omnes tragoediae, quae Senecae nomen prae se ferunt, cum Octavia comparari possunt. certe aliqua ex parte inter omnes similitudo quaedam intercedit. in omnibus enim eadem ars rhetorica conspicitur. quodsi in Troadibus et in Octavia assidue querelae effunduntur, hoc ad utriusque fabulae argumentum referendum est. sed hanc ob causam et propterea, quod in utraque fabula de somnio quodam mentio fit, minime statui potest Octaviae scriptorem in singulis fabulae partibus componendis et coniungendis Troades respexisse, praesertim cum in singulis rebus nulla fere adsit similitudo. Octaviae enim personarum, quales sunt Nero, Seneca, Poppaea, nutrix, in Troadibus similes non in scaenam prodeunt. et quot Troadum locos Octaviae scriptorem neglexisse statuendum esset, si probari posset eum illam fabulam imitando exprimere voluisse! de Troadum igitur imitatione cum Braunio cogitari non potest neque ulla alia inter Senecae tragoedias Octaviae adeo similis est, ut cum probabilitate quadam dici possit Octaviae scriptorem eam tamquam exemplum secutum esse. certe in universum dicere possumus in Octavia personas non aliter atque in Senecae fabulis se gerere, sed unaquaeque persona certos quosdam mores habet, velut Nero saevum tyrannum se praebet, Seneca philosophum; omnes vero rhetoris, non rerum scriptoris more depictae sunt. itaque aperta quaedam Senecae imitatio in personis, quae in Octavia inducuntur, deprehendi non potest. duplex chorus[1]) huic fabulae communis est cum Agamemnone et Hercule Oetaeo. quod autem Octaviae scriptor media in fabula Agrippinae umbram in scaenam induxit, adnotandum est in Senecae Agamemnone Thyestis umbram, in Thyeste autem umbram Tantali

[1]) Nam eundem chorum, qui vv. 273—376, 669—689, 877—898, 972—982 pronuntiat, etiam vv. 762—779, 806—819 loqui credibile non est, quod iam Swoboda vol. III p. 355 optimo iure adnotavit.

in scaenam prodire, — sed in prima statim fabula. lex autem illa tragoediae, ut de externis rebus quae ad argumentum intellegendum necessariae sint auditores edoceantur, quam legem Senecam tenuisse constat,[1]) ab Octaviae quoque scriptore observata est. de loco enim, quo res agitur, de tempore, de rebus ad argumentum cognoscendum necessariis Oct. 34 sqq. edocemur, quod sane aptius ante Octaviae querelas, quae vv. 1—33 continentur, fieri poterat, quamquam hac re non adducimur, ut cum Peipero[2]) vv. 34—56 ante vv. 1—33 ponendos esse censeamus, quia non nostrum est ea, quae a poeta minus bene instituta sunt, corrigere. regulam autem illam notissimam *ne quarta loqui persona laboret*,[3]) quam Senecam observasse H. Weil[4]) docuit, is quoque qui Octaviam composuit secutus est.[5]) sed qui hanc fabulam perlegerit, statim cognoscet eam numquam in scaena actam esse. tota enim fabula ex singulis scaenis constat nullo artiore vinculo inter se conexis.[6]) neque, sicut in Senecae fabulis, quae integrae nobis servatae sunt, singulae tragoediae partes chori canticis distinguuntur, ita ut de episodiis et stasimis quae dicuntur sermo esse possit. veluti post v. 592 chori canticum desideratur.[7]) contra hic illic cantica interposita sunt, ubi non requiruntur. adde quod carmina tragoediae initium et finem faciunt. hac quoque in re Octaviae scriptor a Seneca discessit, quod in canticis nullo alio metro praeter anapaestos usus est. quamquam igitur dici nequit Octaviam a Senecae fabularum genere prorsus diversam esse, tamen propter huius tragoediae oeconomiam scaenicam statuere non licet cum Braunio veri simile esse posterioribus temporibus Senecae imitatorem quendam Octaviam composuisse.

[1]) Exceptis Phoenissarum fragmentis, cf. Leonem ed. vol. I p. 76.

[2]) Cf. R. Peiperi 'Observatorum in Senecae tragoediis libellus', qui insertus est programmati gymn. St. Mariae Magd. Vratislav. a. 1863, p. 39.

[3]) Cf. Horat. A. P. v. 192.

[4]) Revue arch. a. 1865, I p. 21 sqq.

[5]) Partes sic inter tres actores distribui possunt, si protagonista Neronis partes suscipiat, deuteragonista Octaviae, Poppaeae, Senecae, tritagonista nutricis Octaviae, nutricis Poppaeae, Agrippinae umbrae, praefecti, nuntii. contra Richter in ed. Teubner. hanc tabulam proposuit: I. Octavia, Poppaea, II. Nero, III. nutrix Octaviae, nutrix Poppaeae, Seneca. IIII. mater Neronis, praefectus, nuntius.

[6]) Adde quod intra tres vel plures dies res aguntur. sed haec omnia fabulae argumento excusantur. quod Peiper non intellexit, qui in observ. libello p. 39 traditum versuum ordinem fere totum invertit. in editione igitur a Peipero et Richtero curata versus ita se excipiunt: 34—56, 1—33, 57—200, 222—272, 201—221, 377—592, 273—376, 593—983; sed Peiper supersedit addere, quo modo factum esset, ut genuinus ordo tanto opere turbaretur. ante Peiperum iam Swoboda suspicatus erat, hanc fabulam graviter corruptam ad nos pervenisse; multos enim versus excidisse et eorum, qui servati essent, ordinem esse immutatum.

[7]) Iam Delrius ad v. 592 haec adscripsit: 'videtur intercidisse chorus vel alium in locum irrepsisse'.

immo hac disputatione iam me probasse puto contrariam sententiam maiorem veri speciem prae se ferre; nam si quis nonnullis saeculis post Senecam eius tragoedias imitandas sumpsisset, non argumentum a Senecae fabulis alienissimum sibi elegisset nec tam diverso modo id tractasset.

Sed iam de alio Senecae imitationis genere, quod in Octavia adesse statuerunt homines docti, nobis exponendum est. saepe numero enim in hac tragoedia sententiae inveniuntur, quibus in una alterave ceterarum fabularum adeo similes extant, ut suspicio existat Octaviae scriptorem Senecae ipsius verba imitando exprimere voluisse. quae suspicio augetur, cum nonnumquam etiam singula verba ab Octaviae scriptore ex Senecae fabulis desumpta esse videantur. de ratione autem, qua is Senecae fabulas in verbis et sententiis exprimendis in usum suum converterit, tum demum iudicare poterimus, si ea quae huc faciunt accuratius inspexerimus. quae cum ita sint, iam locos ex Octavia et ceteris fabulis petitos proferam, inter quos, sive sententiam sive singula verba respexeris, similitudo quaedam intercedit. sed ne Richteri et Braunii meritis obtrectare videar, locos ab illis iam adlatos[1]) litteris R vel B additis significabo. ceterum versus ex Octavia desumptos, quos ordinem, qui est in hac fabula, secutus producam, versibus ex ceteris tragoediis petitis anteponam.

Oct. 1 sq. *Iam vaga caelo sidera fulgens | Aurora fugat, surgit Titan | radiante coma mundoque diem reddit clarum:* Hf. 123 sqq. *clarescit dies | ortuque Titan lucidus croceo subit.* [chor.] *iam rara micant sidera . | . mundo; nox victa vagos | contrahit ignes . . . . . Titan summa prospicit Oeta | . . . . Phoebique fugit reditura soror* [v. 125 R.], Oed. 1 sq. *iam nocte Titan dubius expulsa redit,* a quibus verbis tragoedia initium capit. Thy. 834 *et vaga picti sidera mundi, vaga sidera* in iisdem versus pedibus atque in Octavia. Med. 5 *clarumque Titan dividens orbi diem.* Ag. 56 *redde iam mundo diem,* de Phoebo dicta, HO. 488 *ferens Titan diem.* deinde cum verbis *Titan radiante*[2]) *coma* conferri possunt Phaed. 678. HO. 1518 [B] *radiate Titan. clarus* cum *dies* coniunctum legitur quoque Hf. 821 *vidit ut clarum diem,* Tr. 756 *claro die.* in Octavia adiectivum postpositum est.

Oct. 6 sqq. *repete . . . questus | atque aequoreas vince Alcyonas, | vince et volucres Pandionias.* eaedem fabulae a Seneca tanguntur Ag. 670 sqq. HO. 192 sqq. in singulis verbis similitudo non adest.[3])

---

[1]) Cf. Braunii libellum p. 12 sqq. et Richteri dissert. p. 40 sq.

[2]) Idem participium in eadem versus sede positum legitur Tro. 1035 *cum gregis ductor radiante villo.*

[3]) Cf. Cons. ad. Liv. Ovidio perperam adscriptae v. 107 *Alcyonum tales ventosa per aequora questus* et locos, quos Adler in progr. Anclam. a 1851, (cui inserta est commentatio de Cons. ad Liv.) p. 9 et Huebner in Hermae vol. XIII p. 152 et 165 ex Catullo, Propertio, Ovidio contulerunt.

Oct. 11 sq. *prima meorum causa malorum | tristes questus natae exaudi,* Oct. 650 *causa malorum.* exaudiendi verbum ter apud Senecam obviam fit legentibus: Phaed. 636 *éxaudí precés,*[1]) 1175 *vérbaque exaudí meá,* Thy. 114 *éxaudít sonós,* ubi in eadem versus sede positum est.

Oct. 15 *(utinam) mea rupisset stamina Clotho.* Parca item alia ratione commemoratur Thy. 617, HO. 769 vox *stamina* de Parcarum filis dicta in eodem versus pede extat Oed. 982 *mutare rati stamina fusi.*

Oct. 17 *spársa cruóre,* 735 *sparsám cruóre:* Hf. 445 *sparsám cruóre,* Med. 709 *sparsús c.,* Ag. 448 *sparsúm c.* in his tribus Senecae locis et Oct. 735 trimeter iambicus ab iisdem vocibus incipit.

Oct. 18 *o lux semper funesta mihi:* Hf. 207 sq. *nulla lux umquam mihi | secura fulsit.*

Oct. 21 *saevaé . novercáe,* 170 sq. *saeva .... noverca:* Phaed. 356 sq. *saevás | . novercás.*

Oct. 22 *vultusque truces,* 109 *tumidos et truces . . vultus tyranni,* 437 *trucique vultu:* Thy. 609 *ponite inflatos tumidosque vultus,* Phaed. 692 *vultu truci,* Hf. 371 *quid truci vultu siles,* Troad. 1152 *stat truci vultu ferox.*

Oct. 23 *tristís Erinýs,* 913 *tristís Erinýs,* 161, 263 *ultríx Erínys,* 619 *ultrix Erínys.* Erinyes in Senecae fabulis saepe nominantur, sed nusquam cum hominibus comparantur, sicut in Oct. 23 *tristis Erinys* Agrippina appellatur.

Oct. 28 *cuique Britanni terga dedere:* Phaed. 63 sq. *tibi dant . pectora tigres, | tibi . terga . . . uri,* Phoen. 190 *(nec victum malis) terga dare,* Oed. 86 *. . terga Fortunae dare,* Ag. 871 *terga dat victor tuus.*[2])

Oct. 31 *coniugis, heu mé, pater . .,* 169 *Britannice, heú me:* Tro. 476 *vivamus. heú me . . .,* HO. 1761, Tro. 681, Phaed. 898, 997, 1173; cf. Leo vol. I p. 66.

Oct. 32 *pater. | oppresse iaces,* 45 *éxtinctús iacét,* 166 *éxtinctús iacés.* iacendi verbo cum participio coniuncto saepe Seneca usus est: Hf. 1160 sq. *nati cruenta caede cónfectí iacént | perempta cóniunx.* Tro. 238 *iacuit peremptus Hector,* 312 (603 *inter éxtinctós iacét),* Med. 630 *Thracios sparsus iacuit per agros,* Oed. 789 *genitor sine ulla caede défunctús iacét,* 1040 *iacet perempta,* Thy. 197 *num quid ábiectús iacét,* HO. 209 sq. *iacuit | sparsus in aula,* cf. 1458, Agam. 925 (Phaed. 666 sq.).

Oct. 34 sqq. *fulgore primo captus et fragili bono | fallacis aulae quisquis attonitus stupet | subito latentis ecce fortunae impetu | modo praepotentem cernat eversam domum | stirpemque Claudi:*[3]) Tro. 1 sqq. *quicumque regno*

---

[1]) Cf. Ovid. Met. XIII 85 sq. *tantum miserere precesque | supplicis exaudi.*

[2]) Cf. Cons. ad. Liv. v. 18 *inque fugam barbara terga dedit,* 312 *ensibus et Suevos terga dedisse suis* et quae Huebner p. 164 ad hunc locum adnotavit.

[3]) Haec in codicibus leguntur. scripturam ab hominibus doctis vario modo mutatam cur servandam putem, postea fusius exponam.

*fidit et magna potens* | *dominatur aula nec leves metuit deos* | *animumque rebus credulum laetis dedit* | *me videat et te, Troia: non umquam tulit* | *documenta fors maiora, quam fragili loco* | *starent superbi. columen eversum occidit pollentis Asiae* [B], Oed. 6 sqq. *quisquamne regno gaudet? o fallax bonum* | *quantum malorum fronte quam blanda tegis* | *ut alta ventos semper excipiunt iuga . . . imperia sic excelsa Fortunae obiacent*, Ag. 57 sqq. *o regnorum magnis fallax* | *Fortuna bonis, in praecipiti* | *dubioque locas nimis excelsos*, Phaed. 773 sq. *res est forma fugax: quis sapiens bono* | *confidat fragili?* certum quendam Senecae locum Octaviae scriptorem in versibus illis componendis respexisse contendi nequit[1]); nam hi loci omnes in universum tantum inter se comparari possunt, cf. etiam Thy. 391: *stet quicumque volet potens* | *aulae culmine lubrico.*

Oct. 42 *ignota tantis classibus texit freta:* Tro. 370 *tum mille velis impleat classis freta*, Ag. 40 sq. *cuius secutae mille vexillum rates* | *Iliaca velis maria texerunt suis*, quo loco rates subiectum q. d. enuntiati est.

Oct. 46 sq. *maeret infelix soror* | *eademque coniunx*, 219 sq. *tu quoque, terris altera Iuno,* | *soror Augusti coniunxque*, 282 sqq. *fratris thalamos sortita tenet* | *maxima Iuno, soror Augusti* | *sociata toris* (909 sq. *nunc et thalamis expulsa soror)*, 658 *soror Augusti non uxor ero.* similia apud Senecam de Iunone leguntur, cf. Hf. 1 sq. [Iuno]: *soror Tonantis (hoc enim solum mihi* | *nomen relictum est)* [R], Ag. 348 sqq. *ades, o magni soror et coniunx,* | *consors sceptri,* | *regia Iuno.*

Oct. 48 *nec graves luctus valet (tegere):* HO. 1855 sq. *quas luctus gravis* | *in saxa vertet.*

Oct. 53 sq. *nec regi mentis potest* | *generosus ardor:* Tro. 279 *sed regi frenis nequit* | *et ira et ardens hostis.*

Oct. 54 *gen. ardor, sed malis vires capit:* Med. 910 *crevit ingenium malis.*

Oct. 55 *heu quam nefandum prospicit noster timor* | *scelus, quod utinam numen avertat deum*, 502 *nefando civium scelere*, 964 *numina divum*, 982 *numen superum:* Hf. 1148 *nescio quod animus grande praesagit malum*, (Phoen. 278), (Hf. 1004 *scelus nefandum*, Tro. 28 *deorum numen.*).

Oct. 68 sq. *(fratris) in quo fuerat spes una mihi* | *totque malorum breve solamen:* Tro. 462 *(o nate) spes una Phrygibus, unica adflictae domus*, 703 sq. *unicum adflictae mihi* | *solamen hic est*, Med. 945 *unicum adflictae domus* | *solamen*, Phaed. 267 *solamen annis unicum fessis, era*, 578 *solamen unum matris.*

---

1) Braun l. c. p. 12 suspicatus est Octaviae scriptori primos Troadum versus obversatos esse, sed quod *fragilis* utroque loco extat, casui tribuendum esse videtur. ad verba *eversam domum* cf. Oct. 898 *evertit Fortuna domos*, Agam. 733 *evertet domum*, 912 *eversa domus est*, Hf. 477 *Euryti . . eversi domus.*

Oct. 71 *magni resto nominis umbra:* HO. 1345 sq. *Herculem spectas quidem | mater sed umbram et vile nescio quid mei.*[1])

Oct. 72 *vox en nostras perculit aures:* Ag. 634 *tacitumque murmur percussit aures,* HO. 1436 sq. *quis sonus nostras ferit | caelestis aures?* 1944 sq. *unde, unde sonus trepidas aures | ferit.*

Oct. 74 sq. *cesset thalamis | inferre gradus tarda senectus?,* 673 sq. *cessat pietas | dum nostra gravi compressa metu:* Hf. 849 *pars tarda graditur senecta,* Phaed. 262 sq. *sic te senectus nostra praecipiti sinat | perire leto?,* HO. 717 *thalamisque maerens intuli gressum meis.* cessandi verbum apud Senecam ter cum infinitivo coniunctum extat: Tro. 870, Phoen. 91 sq., Ag. 986.

Oct. 75 sq. *excipe nostras lacrimas, nutrix | testis nostri fida doloris:* Tro. 800 *(oscula et fletus, puer) | lacerosque crines excipe,* Med. 568 *tu, fida nutrix,* Phaed. 432 *o fida nutrix.*

Oct. 77 *quis te tantis solvet curis | miseranda dies?:* Phaed. 100 sq. *non me quies nocturna non altus sopor | solvere curis.*

Oct. 79 *qui me Stygias mittet ad umbras*[2])*:* Phoen. 234 *non mitto ad umbras Ditis aeternas?,* HO. 1983 *numquam Stygias fertur ad umbras.*[3])

Oct. 81 sq. *non vota meos tua nunc casus | sed fata regunt,* 924 *regitur fatis mortale genus.* in Senecae fabulis *fata* cum aliis verbis coniunctum legitur Hf. 177, 396, Tro. 368, 528, Phaed. 440, HO. 180, 1953; cum Oct. 924 componi possunt Hf. 183 sq. *at gens hominum flatur | rapidis obvia fatis,* Oed. 950 *fatis agimur: cedite fatis.*

Oct. 86 *vincam saevos ante leones:* Tro. 796 *at ille saevus . . leo,* Oed. 97 *saevi leonis more.*

Oct. 87 sq. *fera quam saevi | corda tyranni:* Hf. 936 *non saevi ac truces | regnent tyranni,* HO. 6 *saevi tyranni,* 1869.

Oct. 96, 112, 289, 529 post fata: Tro. 654, Ag. 38.[4])

Oct. 98 sq. *animi retine verba furentis | temere omissam comprime vocem:* Tro. 517 *cohibe parumper ora questusque opprime,* Med. 381 *resiste et iras comprime ac retine impetum* [B], Ag. 981 sq. *vocis infandae sonum et verba opprime,* HO. 276 *questus comprime et flammas doma,* Med. 174 *compesce verba* [B], Tro. 349 *compescere verba,* HO. 1427 *compesce voces,* 1456 *compesce diras, genitor, irarum minas* [B], HO. 1374, 1674, *compesce lacrimas* [B], 1832 *compesce fletus* [B].[5])

---

[1]) Fortasse Octaviae scriptor respexit Lucani Phars. I 135 *stat magni nominis umbra,* quod iam Bentleius ad hunc Lucani locum adnotavit. Lucanum vero rhetorico modo res tractasse notum est, cf. Quint. X 1, 90.

[2]) In paucis libris manu scriptis legitur pro 'umbras' 'undas', cf. Hf. 185 *Stygias ultro quaerimus undas,* Med. 804 *tibi iactatur tristis Stygia ramus ab unda.*

[3]) Cf. Cons. ad Liv. 432 *nullaque per Stygias umbra renavit aquas.*

[4]) In hoc versu vox *titulus* eandem habet significationem atque in Cons. ad Liv. 16 *et titulum belli dux . . tulit,* cf. Ovid. Her. 7, 76; 15, 190, Trist. I 11, 30.

[5]) Cf. Cons. ad Liv. 427 *supprime iam lacrimas.*

Oct. 100 *toleranda quamvis patiar, haud umquam queant.* eadem vel simili eiusdem verbi forma finiuntur hi versus: Hf. 43, 1261, Tro. 925, Phoen. 146, Med. 23, 124, 548, Phaed. 120, 421, 941, Oed. 328.

Oct. 105 *luce non grata fruor:* Oed. 854 *luce, caelo frui.*

Oct. 108 *mori iuvabit,* 385 sqq. *o quam iuvabat intueri. iuvare* in ceteris fabulis vicies bis cum infinitivo coniunctum est.[1]

Oct. 108 sq. *poena nam gravior nece est | videre* . . . simili modo infinitivus positus est in Ag. 233 *non est poena sic nato mori,* HO. 930 *interim poena est mori.*

Oct. 115 *tristis umbra,* 169 sq. *levis tantum cinis | et tristis umbra,* 958 *me quoque tristes mittit ad umbras:* HO. 937 *et umbra tristis.*

Oct. 116 sq. *membra cum solvit quies | et fessa fletu lumina oppressit sopor,* 717 *somno resolvor:* Tro. 440 sq. *ignota tandem venit adflictae quies | brevisque fessis somnus obrepsit genis,* Ag. 75 sq. *non curarum somnus domitor | pectora solvit.*

Oct. 118 sq. . . . *armat infirmas manus | oculosque et ora fratris infestus petit,* 419 *saevas mox et armavit manus:* Phoen. 42 sq. *en ecce inanes manibus infestis petit | foditque vultus.*

Oct. 123 *tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,* 734 *tandem quietem magnus excussit timor:* Tro. 457 *mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit,* HO. 706 *vagus per artus errat excussos tremor.*

Oct. 125 *adíce his superbam paelicem:* Med. 471 *adíce expetita spolia,* 527 *his adice Colchos, adice et Aeeten ducem,* 783 *his adice pinnas,* HO. 364 *adice quot nuptas.,* Oed. 811 *nunc adice certas corporis nostri notas.*[2]

Oct. 134 *emergere umbris:* Hf. 279 *emerge, coniunx.*

Oct. 134 sqq. *fer auxilium tuae | natae invocanti, genitor aut Stygios sinus | tellure rupta pande, quo praeceps ferar,* Oct. 593 *tellúre rúpta:* Tro. 519 sq. *dehisce tellus*[3] *tuque, coniunx ultimo | specu revulsam scinde tellurem et Stygis | sinu profundo conde depositum meum,* HO. 1707 *nube discussa diem | pande,* 1711 sq. *pande tum Stygios lacus et redde fatis; approba natum prius,* Tro. 180 | *tellure fracta,* Thy. 88 | *tellure rupta.*

Oct. 142 *toris nefandis flebili iunxit face:* Hf. 346 sq. *iuncta regali face | thalamisque Megara.*

Oct. 145 *mactata soceri cóncidít thalamis gener:* Tro. 1167 *secura classis: cóncidít virgo ac puer.*

---

[1] Locos congessit Herm. Bill in progr. gymn. Weisskirchensis (in Moravia) a. 1887, ubi de infinitivo apud Senecam trag. usu nonnulla exposuit, p. 26.

[2] Cf. Cons. ad Liv. v. 283 *adice Ledaeos.*

[3] Cf. Phaed. 1238, Oed. 582, 868, Ag. 499.

Oct. 147 *pro fácinus íngens:* Thy. 234 *hunc fácinus íngens.*[1])

Oct. 147 sq. *feminae est munus datus | Silanus:* Phoen. 595 sq. *coniugi donum datus | arbitria thalami . . feram.*

Oct. 148 sq. *cruore foedavit suo | patrios penates:* Thy. 61 *patrios polluat sanguis focos.*

Oct. 150 *intravit hostis, ei mihi, captam domum.* in eadem versus sede posita haec interiectio legitur HO. 1402 *procedat agedum huc.* [Alcm.] *ei mihi, sensum quoque | (excussit);* eiusdem fabulae 1024, 1172, 1181, 1205 in versu ultimo extat; adde 1784 *ei miserae mihi* | .[2])

Oct. 151 *principis factús genér |:* Phoen. 510 *hostium es factús genér |.*

Oct. 152 sq. *iuvenis infandi ingeni | scelerum capacis*[3])*:* Oed. 930 sq. *ipse tu scelerum capax | sacer Cithaeron,* Phoen. 159 *corque tot scelerum capax |* [R], HO. 1419 *pro capax scelerum dies.*

Oct. 159 *per gradus scelerum omnium,* 501 *per honorum gradus:* Hf. 291 *tot per annorum gradus.*

Oct. 160 *tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus,* 285 sq. *sancta quid illi prodest pietas,* 573 *sancta nec pietas sinat,* 690 sq. *quo trepida gressum coniugis thalamis tui | effers:* Phoen. 455 *sancta si pietas placet,* Phaed. 903 | *pro sancta Pietas,* Med. 870 sqq. *quando efferet Pelasgis . . arvis gressum,* 891 *effer citatum sede Pelopea gradum.*

Oct. 160 sqq. *tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus | vacuamque Erinys saeva funesto pede | intravit aulam, polluit Stygia face | sacros penates, iura naturae furens | fasque omne rupit: miscuit coniunx viro | venena saeva, cecidit atque eadem sui | mox scelere nati,* 594 *Stygiam cruenta praeferens dextra facem:* Phaed. 550 *invenit artes bellicus Mavors novas | et mille formas mortis. hinc terras cruor | infecit omnes fusus et rubuit mare. | tum scelera dempto fine per cunctas domos | iere, nullum caruit exemplo nefas: | a fratre frater, dextera nati parens | cecidit, maritus coniugis ferro iacet . . ,* HO. 1014 *sustine Stygias faces,* Hf. 658 | *fas ómne mundi . . precor,* Med. 900 | *fas ómne cedat,* Thy. 47 sq. *fratris et fas et fides | iusque omne pereat,* 179 *fasque omne ruptum.*

---

1) Cf. Cons. ad Liv. 174 *Heu facinus* ... et locos, quos Adler p. 10 et Huebner p. 153 adtulerunt.

2) *Ei mihi* igitur in Herc. Oet. solo praeter Octaviam extat, qua re Leo (I p. 68 sq.) tamquam argumento usus est, ut fabulam illam magna ex parte a Seneca abiudicaret. sat multos ille ex aliorum poetarum operibus adtulit locos, ubi *ei mihi* legitur, sed omisit Cons. ad Liv. vv. 9, 88, 176. quaestionem vero, quae ratio inter HO. vel partem alteram huius tragoediae et Octaviam intercedat, dirimere ab hoc opusculo alienum est.

3) Sic Peiper versum restituit, in codd. extant: *scelerumque capax* vel c. *scelerumque* vel *scelerisque capax* vel *scelerum capax.* mendum facile explicatur, si respicimus id quod in cod. Lugdunensi XVIII, 6, E legitur *scelerumque capax*; *que* ex versu antecedenti inrepsisse videtur.

Oct. 168 *columen augustae domus:* Tro. 124 *columen patriae.*[1])

Oct. 170 sq. *cui lacrimas dedit | etiam noverca:* Ag. 521 *cladibus nostris daret | vel Troia lacrimas.*

Oct. 173 sq. *vultus deo | similes volanti:* Phaed. 199 *ille (Amor) per caelum volans.*

Oct. 177 *vince obsequendo potius immitem virum |:* Phaed. 272 sq. *meus iste labor est . . . | mentem . . flectere immitis viri | .*

Oct. 182 *me . . fata germani trahunt:* Hf. 306 sq. *aut omnes tuo | defende reditu sospes aut omnes trahe.*

Oct. 186 sq. *paelex vetat* | [Nutr.] *invisa cunctis nempe:* HO. 290 | *invisa paelex.*

Oct. 189 sqq. *iuvenilis ardor . . languescit facile nec durat diu | in Venere turpi ceu levis flammae vapor,* 433 *turpi libido Venere dominatur:* Phaed. 640 *pectus insanum vapor | amorque torret,* HO. 387 *haec illa Venus est.*

Oct. 192 *amor perennis coniugis castae manet:* Phaed. 226 *immitis etiam coniugi castae fuit.*

Oct. 195 *nempe praelatam sibi | :* HO. 304 *capta praelata est mihi | .*

Oct. 198 sq. *et hanc levis fallaxque destituet deus . . Cupido:* Phaed. 634 *o spes amantum credula, o fallax Amor!*

Oct. 200 *gaudium capiet breve:* Oed. 236 *nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis.*

Oct. 201 sqq. *passa est similes ipsa dolores | regina deum | , cum se formas vertit in omnes | dominus caeli divumque pater | et modo pennas sumpsit oloris | , modo Sidonii cornua tauri | . aureus idem fluxit in imbri,* 762 sqq. *si vera loquax fama Tonantis | furta et gratos narrat amores | quem modo Ledae pressisse sinum | tectum plumis pennisque ferunt | , modo per fluctus raptam Europen | taurum tergo portasse trucem | ,* 770 sqq. *quos et Ledae proferre potest | et tibi, quondam cui miranti | fulvo, Danaë, fluxit in auro.* Iovis amores, quos in rhetorum scholis (Senecae temporibus) semper semperque tractatos esse veri simile est, in Senecae fabulis quoque tanguntur; nonnumquam similibus verbis atque in Octavia, cf. Hf. 1—18 (9 *Tyriae per undas vector Europae nitet),* Phaed. 299 sqq. *induit formas quotiens minores | ipse qui caelum nebulasque ducit |*[2])*: candidas ales modo movit alas | dulcior vocem moriente cygno; | fronte nunc torva petulans iuvencus | virginum stravit sua terga ludo, | perque fraternos nova regna fluctus . . pro sua vector timidus rapina* [B], HO. 551 sq. *fulmine abiecto deus (Iuppiter) | cum fronte subita tumuit et rabidum mare | taurus puellae vector Assyriae scidit,* Oed. 715 sq. *natus Agenoris | , fessus per orbem furta sequi Iovis,*[3]) HO. 301 *taurum trucem.* certa Se-

[1]) Meiser p. 40 adn. 27 confert Curtii VIII 6, 8 *hoc Macedoniae columen ac sidus.*.

[2]) *Ducit* est scriptura codd. *A*, in *E* extat *fecit*; quare de genuina scriptura dubitari potest.

[3]) Cf. Ovid. Met. III 7.

necae imitatio in Octavia non extat; suis enim verbis scriptor fabulas a poetis saepe tractatas refert.[1])

Oct. 208 sqq. *fulgent caelo sidera Ledae* | , *patrio residet Bacchus Olympo* |[2]), *deus Alcides possidet Heben* | , *nec Iunonis iam timet iras* | , *cuius gener est qui fuit hostis:*[3]) Seneca Hf. 1—18 fusius eadem exposuit, cf. in primis 14 sqq. *hinc clara gemini signa Tyndaridae micant* . . *nec ipse tantum Bacchus aut Bacchi parens* | *adiere superos.*

Oct. 222 sqq. *iungentur ante saeva sideribus freta* | *et ignis undae, Tartaro tristi polus* | , *lux alma tenebris, roscidae nocti dies* | , *quam* . . ., 86 sq. *vincam saevos ante leones* | *tigresque truces* . *quam* . . *:* Hf. 373 sqq. *prius* | *extinguet ortus, referet occasus diem* | , *pax ante fida nivibus et flammis erit* | *et Scylla Siculum iunget Ausonio latus* | *priusque multo vicibus alternis fugax* | *Euripus unda stabit Euboica piger* [B], Phaed. 568 sqq. *ignibus iunges aquas* | *et amica ratibus ante promittet vada* | *incerta Syrtis, ante ab extremo sinu* | *Hesperia Tethys lucidum attollet diem* | *et ora dammis blanda praebebunt lupi, quam* [B], Thy. 476 sqq. *aetherias prius* | *perfundet Arctos pontus et Siculi rapax* | *consistet aestus unda et Ionio seges* | *matura pelago surget et lucem dabit* | *nox atra terris, ante cum flammis aquae,* | *cum morte vita, cum mari ventus fidem* | *foedusque iungent* [B], HO. 280 sq. *non flamma cursus pariter et torrens feret* | *et ursa pontum sicca caeruleum bibet,* 335 sqq. *ante ab occasu dies* | *nascetur, Indos ante glacialis polus* | *Scythasve tepida Phoebus inficiet rota* | *quam* [B], HO. 467 sqq. *carmine in terras mago* | *descendat atris Luna desertis licet* | *et bruma messes videat et cantu fugax* | *stet deprehensum fulmen et versa vice* | *medius coactis ferveat stellis dies,* 514 sq. *immixti licet* | *Ganges et Hister vallibus iunctis eant,* 1582 sqq. *ante nascetur seges in profundo* | *vel fretum dulci resonabit unda,* | *ante descendet glacialis ursae* | *sidus et ponto vetito fruetur* | , *quam.* his omnibus locis ἀδύνατα, ut ita dicam, proferuntur. quis vero dicere audeat Octaviae scriptorem certum quendam ceterarum fabularum locum respexisse? immo similibus verbis atque Seneca usus ea profert, quae ille adamaverat quaeque, ut ex ipsis Senecae fabulis iam patet,

---

[1]) Quis, ut unum proferam, contendet Octaviae scriptorem verba *dominus caeli divumque pater* (v. 204) scribentem Senecam imitatum esse, apud quem legimus HO. 1173 *mundi arbiter,* Hf. 597 *caelestum arbiter* (cf. Oct. v. 228 *caelitum rector,* Hf. 517 *caelestium rector parensque,* Phaed. 960, Hf. 205 *Olympi rector,* Hf. 299 *deorum ductor,* Phaed. 680 *divum rector atque hominum,* Phaed. 888 *creator caelitum,* Phaed. 903 *gubernator poli,* alia cf. ed. Leonis ind. nom. s. v. Iuppiter). unde manifestum est Octaviae scriptorem Senecae verbis non uti.

[2]) Richter nullo iure cod. Rehdigeranum S. I 6, 13 secutus versus 208 et 209 transposuit, itemque iniuria omnes hos versus (209—212) utpote huic loco ineptos uncis saepsit. exponuntur his versibus *Iunonis dolores* (v. 201). iure igitur Leo scripturam traditam servavit.

[3]) Meiser p. 40 adn. 27 confert Ovid. Trist. III, 5, 42 *Iunonis gener est, qui prius hostis erat.*

eius temporibus apud rhetores in usu fuisse videntur.[1]) ceterum cf. Hf. 592 *o lucis almae rector,* Ag. 726 *fugit lux alma,* Ag. 36 *nocti diem* | , HO. 462 *noctem dies* | .

Oct. 227 sqq. *utinam nefandi principis dirum caput* | *obruere flammis caelitum rector paret,* | *qui saepe terras fulmine infesto quatit* | *mentesque nostras ignibus terret sacris novisque monstris:* Med. 531 sq. *nunc summe toto Iuppiter caelo tona* | , *intende dextram, vindices flammas para* | *omnemque ruptis nubibus mundum quate.* | *nec deligenti tela librentur manu* | *vel me vel istum:* [B], Phaed. 155 *quid ille, qui mundum quatit* | *vibrans corusca fulmen, Aetnaeum manu* | *sator deorum?,* HO. 542 *qui fulmen Aetnaeum quatit,* Med. 841 sq. *sacros* | *edidit ignes face lucifera.*

Oct. 231 sq. *vidimus caelo iubar* | *ardens cometam pandere infestam facem:* Tro. 356 sq. *et stella longa semitam flamma trahens* | *dat signa fati,* Phoen. 430 sqq. *aut qualis cadit* | *delapsa caelo stella, cum stringens polum* | *rectam citatis ignibus rumpit viam,* Phaed. 738 sqq. *ocior cursum rapiente flamma* | *stella cum ventis agitata longos* | *porrigit ignes.*

Oct. 233 sq. *qua plaustra tardus noctis aeterna vice* | *regit Bootes:* Med. 314 sq. *flectitque senex* | *Attica tardus plaustra Bootes* [B], Ag. 70 *lucida versat plaustra Bootes* [B], Thy. 873 sq. *custosque sui tardus plaustri* | *iam non stabilis ruet Arctophylax* [B].[2])

Oct. 234 *Bootes, frígore*[3]) *Arctoó rigéns:* Med. 683 *frígore Arctoó rigens,* Oed. 546 *frígore aeterno rigéns.* quos locos quamquam simillimi sunt, Braun non adtulit[4]). hoc unum hemistichium Octaviae scriptor ex Senecae fabulis desumpsisse videtur. sed valde, nisi fallor, talia adamaverant scriptores rhetorici; sic legitur Lucan. Phars. X 250 *frigore ab Arctoo,* cf. VIII 363 *in Arctois . . pruinis.*

Oct. 240 *hic gravior illo pestis, hic hostis deum:* Tro. 627 sq. *fraude materna abditum* | *hostem, Pelasgi nominis pestem ultimam,* 892 sq. *pestis exitium lues* | *utriusque populi, cernis?*

---

[1]) Nimirum hac in re priorum temporum poetarum vestigia secuti sunt. cf. Verg. ecl. I, 59 sqq. et locos a Forbigero v. I p. 15 ad hos Vergilii versus collectos; talis ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου comparatio iam apud Homerum Il. I 234 sq. extat.

[2]) Cf. Ovid. Met. II 176 sq. *te quoque turbatum memorant fugisse, Boote,* | *quamvis tardus eras et te tua plaustra tenebant,* et Met. X 447.

[3]) In codd. legitur *frigido Arctoo*; sed duo adiectiva ferri nequeunt. quodsi Is. Pontanus ad hunc locum adnotavit: '*frigido Arctoo* posuit pro *frigidâ Arcto* sive *frigore Arctoo* . . . *frigus Arctoum* dixit (Lucanus), quod Senecae dicitur *frigidum Arctoum*', iure Bothe in adnotatione scripsit: 'vellem id probasset vir festinans; quod dum aliquis faciat, interim legamus suadeo, quod latinum sit *frigore Arctoo*'. ex Bothii coniectura igitur Oct. v. 234 restitutus est, non ex Pontani, ut adnotant Richter et Leo.

[4]) Adtulit Richter in adn. ad h. l.

Oct. 243, 521 | *hausít cruórem:* Hf. 636 *ad hauriendum sanguinem.*

Oct. 244 *fruiturque vita noxiam atque animam trahit:* Hf. 1142 *quas trahimus auras?*, Phoen. 220 *has ego auras ore pestifero traho?*, Oed. 599 *auras libero caelo trahunt*, HO. 893 *superest et auras ille caelestes trahit.*

Oct. 245 *pro summe genitor:* HO. 291 *súmme pró rectór deúm* |, 1275 *súmme pró rectór polí* |.

Oct. 247 *in tam nocentem dextra cur cessat tua?:* Hf. 614 sq. *iam diu pateris manus | cessare nostras*, Tro. 309 *(et nimium diu) a caede nostra regia cessat manus*, Phoen. 91 sq. *dextra quid cessas iners | exigere poenas?*, Phaed. 680 *cur dextra, divum rector atque hominum vacat | tua nec trisulca mundus ardescit face?*, Thy. 57 *dextra cur patrui vacat?*, HO. 872 *nulla nunc cesset manus.*

Oct. 248 *utinam suorum facinorum poenas luat:* Med. 146 *solus hic poenas luat* |, Oed. 222 *ut poenas luat* |.

Oct. 250 *orbis tyrannus, quem premit turpi iugo*, 839 sq. *gravi semper iugo | premenda:* Hf. 267 *sordido premitur iugo* |, Ag. 134 sq. *hinc animum iugo | premit cupido*, Hf. 1019 *iugoque pressum turpi.*

Oct. 253 *sed cede fatis atque fortunae tuae*, 634 *cedat ut tantis malis | genetricis ira:* Oed. 980 *fatis agimur: cedite fatis*, Tro. 508 *cedendum est malis*, Oed. 1008 *iam malis cessit pudor*, Ag. 507 *ars cessit malis*, HO. 1856 *cedite his cunctae malis.*

Oct. 263 *raptasque thalamis sánguine extinxít facés*, 822 sq. *quod non cruor civilis accensas faces extinguit in nos:* HO. 339 *meo iugales sánguine extinguám facés.*

Oct. 269 *prodidit lapsám domúm:* Hf. 1250 sq. *unicum lapsaé domús firmamen*, Tro. 766 *o decus lapsaé domús.*[1])

Oct. 270 *renovare luctus parce*, 963 *parce precari;* in Senecae fabulis parcendi verbum cum infinitivo coniunctum non invenitur.[2]) *parce* in eadem versus sede extat in HO. 982, 1013, 1507.

Oct. 272 *graves furoris quae sui poenas dedit*, 304 *dedit infandi sceleris poenas*, 811 *tristes dabitis poenas:* Med. 925 *poenas date* |, HO. 322 *poenas dabis*, 1457 *poenas dedit*, Hf. 1018, 1235, Phoen. 590, Med. 340, Oed. 1025, HO. 1973.

Oct. 283 sq. *soror Augusti | sociata toris:* Hf. 413 *sociemus toros.*

---

[1]) Meiser p. 40 adn. 27 adfert Verg. Aen. IIII 318 *domus labentis.*

[2]) Sed apud alios scriptores extat. atque in primis Ovidius imperativi formas *parce* et *parcite* cum infinitivo coniunxit, ut H. Bill quoque (p. 23) adnotat. veluti Her. 5, 43 *parce negare*, Art. am. II 557 *deprendere parcite*, Met. X 545, XV 75, 174; locos congessit Draeger Hist. Synt. II.[2] p. 335. adde Cons. ad Liviam 375 sq. *parce irritare, sollicitare parce.*

Oct. 290 *suadente metu,* 349 *cogente metu*: Oed. 511 *quae suadet metus,* Thy. 207 *quos cogit metus.*

Oct. 300 *victrix dira libido:* Thy. 46 *libido victrix.*

Oct. 304 *infandi sceleris:* Ag. 983 *sceleris infandi.*

Oct. 314 *properant placidos linquere portus,* 667 *propera tectis efferre gradus,* 730 *propera petere complexus:* Hf. 846 *et citi tectis properant relictis*[1]), Ag. 592 *portus aeterna placidus quiete.*

Oct. 315 sq. *resonant remis | pulsata freta:* Ag. 330 sq. *resonetque manu pulsa citata | vocale chelys.*

Oct. 319 *(ratis, quae) sorbetque mare:* Med. 408 sq. *quae Charybdis Ausonium mare | Siculumque sorbens,* Phaed. 1048 sq. *talis extremo mari | pistrix citatas sorbet aut frangit rates.*

Oct. 324 sq. *alii lacerae puppis tabulis | haerent:* HO. 115 *non puppis lacerae fragmina conligit.*

Oct. 329 *laceratque comas rigat et maestis | fletibus ora:* Tro. 409 *quid, maesta Phrygiae turba, laceratis comas | miserumque tunsae pectus effuso genas | fletu rigatis,* 965 *inrigat fletus genas,* Phoen. 441 *inrigat fletu genas,* Med. 388 *oculos uberi fletu rigat,* Med. 937 *ora quid lacrimae rigant,* Phaed. 381 sq. *lacrimae cadunt per ora et adsiduo genae | rore inrigantur,* 730 sq. *hanc maestam prius | recreate. crinis tractus et lacerae comae,* 990 *rigatque maestis lugubrem vultum genis,* Oed. 953 *ac rigat fletu genas* | , 978 *rigat ora foedus imber et lacerum caput ..,* Ag. 922 sq. *quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat pavetque maesta?*[2])

Oct. 335 *digna carina:* Med. 362 *digna carina.*

Oct. 338 sq. *exere vultus | Acheronte tuos:* Hf. 594 *exeris terris caput,* Phaed. 747 *exerit vultus rubicunda Phoebe,* Oed. 532 *altis exerens silvis caput,* Ag. 484 *ora lorus Oceano exerens?,* 554 *Neptunus imis exerens undis caput.*[3])

Oct. 350 *mansit tacitis | in pectoribus spreta tristi | iam morte fides:*[4]) HO. 477 *et fide tacita premas,* 480 *tacitam fidem.*

Oct. 359 sq. *cuius facinus vix posteritas | tarde semper saecula credent:* Phoen. 266 *(facinus) quod esse factum nulla non aetas neget,* Med. 423 sq. *faciet*

---

[1]) Bill p. 22 locos qui sunt XIIII congessit, ubi *properare* in Senecae fabulis et Octavia cum infinitivo coniunctum legitur. p. 31 de infinitivi in Octavia usu disputans Oct. 314 et 667 confert cum Hf. 846 et suspicatur Octaviae scriptorem Senecae locum respexisse. sed in coniunctione verborum *properant linquere* nihil quod singulare sit inest, quare statui nequit ea ex Senecae loco desumpta esse.

[2]) Nonnullos locos Braun p. 17 ad Oct. v. 691 adtulit; ceterum cf. Cons. ad Liv. 199 *lacrimisque rigantibus ora.*

[3]) Cf. Cons. ad. Liv. 46 *et vitiis exeruisse caput* et Ovid. Fast. I 300.

[4]) Richter in diss. p. 40 ad h. l. adscripsit, quae in Sen. dial. XII 19, 1 leguntur: *maximum adhuc solacium tuum tacueram, sororem tuam, illud fidelissimum tibi pectus.*

*dies, quod nullus umquam taceat,* Thy. 192 *fac, quod nulla posteritas probet,* 754 *(o nullo scelus) credibile in aevo quodve posteritas neget.*[1])

Oct. 363 *geminatque nefas,* 605 *geminavit nefas:* Hf. 387 *geminum nefas.*

Oct. 365 *patiturque moram sceleris nullam:* Hf. 773 *non passus ullas natus Alcmena moras,* Ag. 131 *quam ut moras possim pati,* Thy. 769 *pati iussus moram.*

Oct. 366 *missus peragit iussa satelles:* Tro. 679 sq. *iussa ocius | peragite,* HO. 997 *ita nulla perages iussa.*

Oct. 367 *reserat dominae pectora ferro:* Tro. 1001 *reclude ferro pectus,* Ag. 304 sq. *nil moror . . | aperire ferro pectus.*

Oct. 371 sq. *hic est, hic est fodiendus, ait, | ferro monstrum qui tale tulit:* Tro. 707 *hic est, hic ést terror, Ulixe,* Phoen. 447 *hunc petite ventrem qui dedit fratres viro,* Oed. 1038 sq. *hunc dextra, hunc pete | uterum capacem, qui virum et natos tulit,* HO. 992 sq. *sive maternum libet | invadere uterum,* 1678 sq. *nefas est ubera atque uterum tibi | laniare, qui me genuit.*

Oct. 377 sqq. *quid me, potens Fortuna, fallaci mihi | blandita vultu sorte contentum mea | alte extulisti, gravius ut ruerem edita | receptus arce totque prospicerem metus? | melius latebam procul ab invidiae malis | remotus:* Ag. 101 sq. *quidquid in altum Fortuna tulit | ruitura levat,* Thy. 391 *stet quicumque volet, potens | aulae culmine lubrico: | me dulcis saturet quies | obscuro positus loco | leni perfruar otio,* Ag. 247 sq. *impotens flatu nimis | Fortuna,* 593 sq. *nec impotentis procella | Fortunae.*[2])

Oct. 385 sq. *parens Natura:* Phaed. 959 *o magna parens Natura,* Phaed. 466 *providit ille maximus mundi parens.*

Oct. 388 *solis alternas vices:* Hf. 377, Phaed. 1028 *vicibus alternis,* Phaed. 411, Ag. 561, Thy. 25 *alterna vice,* Thy. 133 *alternae . . vices,* HO. 44 *solis excessi vices.*

Oct. 390 *lateque fulgens aetheris magni decus,* 425 *siderum magnum decus:* Phaed. 410 *clarumque caeli sidus et noctis decus,* Oed. 405 *lucidum caeli decus,* Hf. 592 *o lucis almae rector et caeli decus.*

Oct. 391 *in caecum chaos:* Med. 741 *et Chaos caecum,* Oed. 572, HO. 1134 *caecum chaos.*

Oct. 392 sq. *nunc ades mundo, dies supremus:* HO. 1103 *mundo cum veniet dies,* 1132 *pereat hic mundo dies.*

Oct. 396 *tenente regna Saturno poli:* HO. 938 *regna, qui torques poli.*

---

[1]) Nullo iure Richter verba *vix posteritas* interpolata esse statuit collatis Senecae verbis, quae Thy. 192 et 754 leguntur. immo Thy. v. 754 docet ea quae in codd. extant recte se habere.

[2]) Cf. Ag. 247 sq. *impotens flatu nimis | Fortuna,* 593 sq. *nec impotentis | procella Fortunae.*

[3]) Cf. Cons. ad Liv. v. 349 sq. *imposuit te alto Fortuna locumque tueri | iussit honoratum.*

Oct. 397 sqq. *tunc illa virgo, numinis magni dea | Iustitia . . cum sancta Fide . . regebat humanum genus, | non . . .:* Phaed. 206 sqq. *tunc illa magnae dira fortunae comes | subit libido: non . . .,* Med. 439 sq. *sancta si caelum incolit | Iustitia . . .*

Oct. 400 sqq. *non bella norant, non tubae fremitus truces, non arma gentes, cingere assuerant suas | muris nec urbes* et q. s.*:* Phaed. 531 sqq. *sua quisque norat maria; non vasto aggere | crebraque turre cinxerant urbes latus; | non arma saeva miles aptabat manu | nec torta clausas fregerat saxo gravi | ballista portas* [B]. inter utrumque locum re vera magna similitudo intercedit neque ex aliis Senecae fabulis similis locus adferri potest. tamen ne hic quidem certam Senecae imitationem statuere licet. persuasum enim habeo Octaviae scriptorem in hac aetatum descriptione Ovidii verba Met. I 89 sqq. respexisse.[1]) nam nonnulla, quae in Octavia leguntur quaeque Seneca non adtulit, ab Ovidio commemorantur. hic illic etiam ipsa Ovidii verba Octaviae scriptor respexit, cf. cum Oct. vv. 400—402 modo citatis Met. I 96 sqq. *nullaque mortales praeter sua litora norant. | nondum praecipites cingebant oppida fossae; | non tuba*[2]) *directi, non aeris cornua flexi, | non galeae, non ensis erant,* cum Oct. 404 sq. *et ipsa tellus laeta fecundos sinus | pandebat ultro* (414 sq. *vomere immunem . . . terram)* Met. I 101 sq. *ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis | saucia vomeribus per se*[3]) *dabat omnia tellus,* cum Oct. 417 sqq. *sed in parentis viscera intravit suae | deterior aetas: eruit ferrum grave | aurumque, saevas mox et armavit manus | . . . tecta defendit sua aliena telis aut petit praedae imminens. | neglecta terras fugit et mores feros | hominum et cruenta caede pollutas manus | Astraea virgo, siderum magnum decus*[4]) Met. I 138 sqq. *sed itum est in viscera terrae: | quasque recondiderat* (cf. Oct. 415 sq. *quae fruges suas | interius alte condidit sacro sinu) Stygiisque admoverat umbris | effodiuntur opes, inritamenta malorum. | iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum | prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque | sanguineaque manu crepitantia concutit arma. | vivitur ex rapto . . . . | victa iacet pietas, et virgo caede madentes, | ultima caelestum, terras Astraea reliquit.*

Oct. 402 *pérviúm cunctís itér:* Tro. 179 *pérviúm ad superos itér,* 433 *pérviúm est Danais itér.*

---

[1]) Ovidii verba Seneca ipse in Phaedrae vv. 530 sqq. conscribendis secutus est, nisi omnia me fallunt; cf. cum Phaed. 555 sq. *a fratre frater, dextera nati parens | cecidit maritus coniugis, ferro iacet | perimuntque fetus impiae matres suos.* Met. I 144 sqq. *non hospes ab hospite tutus, | non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est. | imminet exitio vir coniugis, illa mariti: | lurida terribiles miscent aconita novercae, filius ante diem patrios inquirit in annos.* quae Octaviae scriptor imitando non expressit.

[2]) Tubarum sonitus in Phaed. nulla fit mentio.

[3]) Cf. Phaed. 537 *sed arva per se feta poscentes nihil | pavere gentes.*

[4]) Omnes has res Seneca non respexit.

Oct. 419 et 499 *armavit manus*, cf. v. 118: Phoen. 275, Med. 522 sq., Phaed. 261, Oed. 873, Ag. 209, HO. 848 sq.; verbum *manus* semper in versu ultimo positum est.

Oct. 422 *praedae imminens:* Oed. 95 *praedae imminens* | .

Oct. 427 *maximum exortum est malum:* Tro. 427 *exoritur aliquod maius ex magno malum.*

Oct. 436 sq. *sed ecce gressu fertur attonito Nero* | *trucique vultu,* 778 *sed quis gressu ruit attonito:* Hf. 329 sq. *sed ecce saevus ac minas vultu gerens* | *. . venit . . (Lycus),* Tro. 522 *adest Ulixes, et quidem dubio gradu* | *vultuque,* Med. 675 sq. *namque ut attonito gradu* | *evasit,* Phaed. 959 *sed quid citato nuntius properat gradu.*

Oct. 437 *quid ferat mente horreo,* 818 *et nunc animus quid ferat horret*: Ag. 226 sq. *quod tempus animo semper ac mente horrui* | *adest,* 883 *horreo atque animo tremo.*

Oct. 438 *perage imperata,* 874 *et imperata perage:* Phoen. 36 *perage mandatum patris.*[1]

Oct. 446 *regenda magis est fervida adulescentia:* Tro. 250 *iuvenile vitium est regere non posse impetum* [B], Med. 558 *fervidam ut mentem regas.*

Oct. 447 *aetate in hac sat esse consilii reór:* reor in fine versus positum est, sicut v. 566, Hf. 348, Med. 443, Phaed. 525, 1119, Oed. 82 (693 *rear*).

Oct. 450 *hoc plus verere quod licet tantum tibi,* 453 sq. *inertis est nescire, quid liceat sibi,* | *id facere laus est quod decet non quod licet:* Tro. 335 sq. *quodcumque libuit facere victori licet.* | *minimum decet libere cui multum licet* [B], Ag. 271 sq. *id esse regni maximum pignus putant,* | *si quidquid aliis non licet, solis licet,* Thy. 214 sq.: *ubicumque tantum honesta dominanti licent,* | *precario regnatur.*

Oct. 452 *levis est dea (Fortuna):* Med. 219 *rapida fortuna ac levis.*

Oct. 455 *invisum opprimit (vulgus):* Tro. 257 *violenta nemo imperia continuit diu,* Phoen. 660 *invisa numquam imperia retinentur diu,* Thy. 207 sq. *quos cogit metus* | *laudare (domini facta), eosdem reddit inimicos metus.*

Oct. 456 *ferrúm tuétur principem:* Hf. 342 sqq. *omnis in ferro est salus:* | *quod civibus tenere te invitis scias* | *strictús tuétur ensis.*

Oct. 458 [Nẹr.] *metuant necesse est* — [Sen.] *quidquid exprimitur grave est:* Oed. 703 sqq. [Oed.] *odia qui nimium timet* | *regnare nescit: regna custodit metus.* [Cr.] *qui sceptra duro saevus imperio regit* | *timet timentes: metus in auctorem redit.*

Oct. 461 *hoc absit nefás* | *:* Med. 929 sq. *dirum nefás* | *a me absit.*

---

[1]) Richter in diss. sua p. 41 nos conferre iubet Senecae de ben. III 25, 1: *nihilque se deprecari, quominus imperata peragerent, dixit.*

Oct. 474 sq. *(pulcrum est) caede abstinere tempus atque irae dare,* | *orbi quietem, saeculo pacem suo:* Hf. 745 sq. *sanguine humano abstine* | *quicumque regnas,* Phoen. 292 sq. *(tu . . unus . . potes) civibus pacem dare,* | *patriae quietem,* 329 sq. *et abstineri sanguine a caro manus* | *doceam*, HO. 1541 *quis dabit pacem populo timenti.*

Oct. 476 *petitur hac caelum via*: Hf. 437 *non est ad astra mollis e terris via,* 743 *caelum petit,* Med. 1022 *patuit in caelum via,* Phaed. 1213 *patuit ad caelum via.*

Oct. 488 *tu pacis auctor, generis humani arbiter:* Hf. 205 *o magne Olympi rector et mundi arbiter,*[1]) 250 sq. *sensere terrae pacis auctorem suae* | *abesse,* 730 *quis iste veri rector atque aequi arbiter,* Phoen. 349 *auctorque placidae pacis veni.*

Oct. 500 *gentium domitor:* Hf. 619 *domitor orbis.*

Oct. 501 *(Iovi) aequatus . ipse (Caesar):* HO. 417 *non ut aequetur Iovi.*

Oct. 504 sq. *ille, qui meruit . . caelum:* Ag. 812 sqq. *tuus ille* | *bis seno meruit labore* | *adlegi caelo,* HO. 80 *haud dum astra merui,* 92 sq. *templa et aetheriam domum* | *. . . meruit,* 97 *quis astra natus laudibus meruit suis.*

Oct. 507 sq. *(iuvenes senes) sparsós per orbem, cum . . fugerent:* Hf. 1227 *vos per omnem, liberi, sparsos domum,* Tro. 345 *sparsús per omne regnum,* 472 sq. *sparsos fuga* | *cives reducas.*

Oct. 515 sq. *pavere volucres et feras saevas diu* | *tristes Philippi:* Hf. 1208 sq. *feras* | *volucresque pascens Caucasi abruptum latus,* Tro. 567 *pascis Idaeas aves.*

Oct. 524 *civíle béllum:* Phoen. 355 *civíle béllum.*

Oct. 525 sq. *enses hebetatos . . vulneribus:* Thy. 920 *pectora longis hebetata malis.*

Oct. 547 sq. *probitas fidesque coniugis, mores pudor* | *placeant marito,* 587 *aetasque frangat coniugis, probitas pudor:* Ag. 79 sqq. *iura pudorque* | *et coniugii sacrata fides* | *fugiunt aulas,* 112 sq. *periere mores ius decus pietas fides* | *et qui redire cum perit nescit pudor* [B], Thy. 215 sq. *ubi non est pudor* | *nec cura iuris sanctitas pietas fides.*

Oct. 550 *florem decoris singuli carpunt dies:* Phaed. 761 sq. *anceps forma bonum mortalibus,* | *exigui donum breve temporis,* | *ut velox celeri pede laberis!,* 770 sqq. *et fulgor teneris qui radiat genis* | *momento rapitur nullaque non dies* | *formonsi spolium corporis abstulit.* | *res est forma fugax,* HO. 385 sq. *sic nostra longum forma percurrens iter* | *deperdit aliquid semper et fulget minus.*

Oct. 554 sqq. *(Amor), quem summovere fulminis dominus nequit,* | *caeli tyrannum, saeva qui penetrat freta* | *Ditisque regna, detrahit superos*

---

[1]) Cf. HO. 1173 *pro mundi arbiter* | .

*polo?*, 806 sqq. *quid fera frustra bella movetis? | invicta gerit tela Cupido: | flammis vestros obruet ignes, | quibus extinxit fulmina saepe | captumque Iovem caelo traxit . . . non est patiens | fervidus irae facilisque regi: | ille ferocem iussit Achillem | pulsare lyram, fregit Danaos | fregit Atridem, regna evertit Priami, claras diruit urbes:* Amoris potentia in Senecae fabulis quoque commemoratur, cf. HO. 580 *Amoris horridi matrem*, 538 sqq. [Nutr.] *ocius iussa exequar, | alumna, precibus tu deum invictum advoca, | qui certa tenera tela dimittit manu.* | [Deian.] *te deprecor, quem mundus et superi timent | et aequor et qui fulmen Aetnaeum quatit, | timende matri te aliger saevae puer*, 550 sq. *nunc, nunc sagittam prome, qua quondam horridum | Iovem petisti*, 558 sqq. *tu fulminantem saepe domuisti Iovem, | tu furva nigri sceptra gestantem poli, | turbae ducem maioris et dominum Stygis* (472 *vicit et superos Amor*). plurimis vero verbis Amoris potentia describitur Phaed. 185 sqq. (a Phaedra), 274 sqq. (a choro); sed inter hos Phaedrae et Octaviae versus supra citatos, quod ad singulas res adtinet, nulla fere similitudo intercedit neque praeter Iovis amorum commemorationem quicquam utrique loco commune est. in Octavia enim Phoebi Dianae Herculis singularum bestiarum[1]) nulla est mentio, quamquam a Seneca adferuntur; contra de Achille et Priami regno in Phaedrae versibus illis verba non fiunt. quae cum ita sint, de Senecae imitatione in Octaviae loco vix sermo esse potest: immo dicendum est Octaviae scriptorem rem ab omnibus omnium temporum poetis tractatam illustravisse. quam rem Senecae temporibus in rhetorum scholis quoque tractatam esse iam ex Senecae fabulis colligi potest. tamen Octaviae scriptor, cum vv. 557 sqq. scripsit, ea respexisse videtur quae in Phaedrae fabula vv. 195 sq. leguntur. in Octavia enim Seneca cum Nerone colloquens ita de amore disputat: *volucrem esse* inquit *Amórem fingit immitem deum | mortalis error, armat et telis manus | arcuque sacras, instruit saeva face | genitumque credit Venere, Vulcano satum: | vis magna mentis blandus atque animi calor | Amor est; iuventa gignitur, luxu otio | nutritur inter laeta Fortunae bona | quem si fovere atque alere desistas, cadit | brevique vires perdit extinctus suas;* in Phaedra vero Seneca nutricem ad Phaedram haec dicentem facit (195 sqq.): *deum esse Amórem turpis et vitio furens | finxit libido, quoque liberior foret | titulum furori numinis falsi addidit. | natum per omnes scilicet terras vagum | Erycina mittit, ille per caelum volans | proterva tenera tela molitur manu | regnumque tantum minimus e superis habet | vana ista demens animus ascivit sibi | Venerisque numen finxit atque arcus dei. quisquis secundis rebus exultat nimis | fluitque luxu semper insolita appetit* . . . . videmus igitur ab Octaviae scriptore eandem rem simili modo tractari. et fortasse re vera ei qui Octaviam composuit Senecae

1) Sane conferri potest Oct. 569 *Amore grato, qui truces mulcet feras.*

locus ante oculos versatus est.[1]) nam Octaviae scriptorem Senecae fabulas bene cognitas habuisse certissimum est. id vero addere nobis liceat talem Amoris numinis negationem, ut ita dicam, prorsus scholasticam videri.

Oct. 567 sq. *interitu caret | cum procreetur semper humanum genus | amore grato*: Phaed. 469 sq. *excedat agedum rebus humanis Venus, | quae supplet ac restituit exhaustum genus: | orbis iacebit squalido turpis situ . . .*

Oct. 575 *maiora populus semper a summo exigit:* Agam. 264 *lex alia solio est, alia privato in toro.*[2])

Oct. 578 sq. [Sen.] *obsequere potius civibus placidus tuis,* [Ner.] *male imperatur, cum regit vulgus duces:* Hf. 352 sq. *invidia factum ac sermo popularis premet? | ars prima regni est posse et*[3]) *invidiam pati.*

Oct. 593 sqq. *gressum extuli | Stygiam cruenta praeferens dextra facem | thalamis scelestis: nubat his flammis meo Poppaea nato iuncta, quas vindex manus | dolorque matris vertet ad tristes rogos:* Phaed. 261 *proin castitatis vindicem armemus manum,* 1215 sq. *una face | ut concremarem prolis ac thalami rogos.*

Oct. 598 *impiae caedis (memoria):* Ag. 219 *caede impia (maculare).*

---

[1]) Quod Braun, qui Farnabium secutus p. 16 utrumque locum protulit, et Bill p. 32 statuerunt. quodsi hic dicit: 'In den Versen 357 f. volucrem esse amorem fingit immitem deum mortalis error, armat . . . ist die Construction, die Wortstellung und der Sinn gleich unpassend. Denn was hat *immitem deum* neben *volucrem esse deum* für eine Stelle? *Volucer* kann nach der Stelle Phaedra 186 (hic volucer omni pollet in terra impotens) und nach der Wortstellung nur 'allgegenwärtig' heissen, aber im folgenden wird der *immitis deus* characterisiert', primum non video, quomodo *volucer* hic significare debeat *ubique praesens;* idem enim et in Octavia et in Phaedra est, quod *ales.* atque in eis quae secuntur exponit Octaviae scriptor alia quoque praeter alas, tela dico arcum facem, ab hominibus errore deceptis Amori tribui. *immitem deum* est adpositio: aliter sane res se habet Phaed. 195, ubi *deum* praedicatum est. ceterum iure Smith p. 34 adn. 1 dicit in utraque tragoedia exprimi illud Ovidianum *divitiis alitur luxuriosus Amor* (Rem. Amor. 746), quod iam ante eum Leo observaverat, cf. ed. eius I 175 sq.

[2]) Cf. Cons. ad Liv. v. 347 *non eadem vulgusque decent et lumina rerum.* Bill l. c. p. 32 adnotat omnia quae Oct. vv. 570—592 a Nerone et Seneca proferantur imitatione expressa esse ex colloquio inter Agamemnonem et Pyrrhum, quod extet in Tro. 327—352; non solum in universum locos inter se comparari posse, sed in singulis quoque rebus. sed libenter confiteor me nullam fere similitudinem invenire potuisse, nisi forte propterea Bill in universum similitudinem statuit, quod utroque loco controversia adest, et propterea de singulis rebus verba fecit, quod Oct. 582 et Tro. 331 *nefas* sicut Oed. 398 in fine versus positum cum accusativo et infinitivo coniunctum legitur.

[3]) Sic enim hunc versum scribendum esse censeo. in codd. extant haec: *posse invidiam* (deterrimi nonnulli praebent: *p. te inv.* vel *p. ad inv.*). Richter coniecit: *in inv.* vel quod mihi quoque in mentem venit *et inv.*, Leo: *rumores pati* vel *plebis invidiam pati.* Dicendum erat aut *ars prima est . . pati posse* aut *ars regni est etiam . . pati p.* et scriptor rhetoricus modum excedens dixit, ut videtur: *ars prima regni est posse et invidiam pati.* sed iam video apud Smithium p. 33 versum sic scriptum esse: *a. p. regni est posse [et ?] i. p.*

Oct. 604 *(nefas) deflere votum fuerat:* Tro. 577 *nam mori votum est mihi,* HO. 1324 *parcis, ubi votum est mori.*

Oct. 606 *perempta ferro:* Tro. 312 *saevo peremptus ense,* Thy. 245 *ferro peremptus spiritum inimicum expuat.*

Oct. 613 *ínfelíx amór* | : Med. 136 *movit ínfelíx amór* | .

Oct. 621 sqq. *poenasque quis et Tantali vincat sitim,* | *dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem* | *Ixionisque membra rapientem rotam:* horum et Danaidum poenae in omnibus fere Senecae fabulis commemorantur, cf. Hf. 750 sqq. *(rapitur . . . Ixion rota),* Med. 744 sqq. *(rota resistat membra torquens),* Phaed. 1229 sqq. *(seni perennis Aeolio labor),* Ag. 15 sqq. *(redeunte totiens luditur saxo labor),* Thy. 1 sqq., HO. 942 sqq. *(unda deludat sitim),* 1011, 1068 sqq. *(Phrygius senex excussit rabidam sitim).* sed certum quendam locum Octaviae scriptor imitatus non est. et poenas illas, quarum commemorationem apud rhetores in usu fuisse Senecae tragoediae ostendunt, a poetis latinis cuiuslibet aetatis tractatas esse res est notissima.[1])

Oct. 627 *supplices dextrám petánt* (Parthi): Med. 248 *fidemque supplex praesidis dextraé petí.*

Oct. 629 *veniet dies tempusque, quo reddat:* Phaed. 37 sq. *veniet tempus, cum . . sonent.*

Oct. 630 *(reddat) . . iugulum hostibus:* Ag. 43 *daturus coniugi iugulum suae,* 973 *praebeo iugulum tibi.*

Oct. 631 *desertus ac destructus et cunctis egens:* Hf. 317 sq. *demersus ac defossus et toto insuper* | *oppressus orbe,* Tro. 449 *sed fessus ac deiectus et fletu gravis,* Med. 20 sq. *per urbes erret ignotas egens* | *exul pavens invisus incerti laris.* [B].

Oct. 646 sq. *parcite lacrimis urbis festo* | *laetoque die,* 714 sq. *laeta . . dies . cessit,* 744 *laeto die:* Med. 300 *vocat precari festus Hymenaeo dies,* 985 sq. *o festum diem, o nuptialem,* cf. Ag. 791, Thy. 943, Hf. 875 *Thebis laeta dies adest.*

Oct. 663 sq. *hos ad thalamos servata diu* | *victima tandem funesta cades:* HO. 348 sq. *me nuptiali victimam feriat die* | *infestus.*

Oct. 674 *gravi compressa metu:* Tro. 315, 1072 *gravi metu,* Ag. 246 *graves metus.*

Oct. 677 *fregit claros quae* (sc. vis populi Romani) *saepe duces,* 815 *(Amor) fregit Danaos:* HO. 978 *frange ut insontem Lichan.*

Oct. 679 *(dedit) fasces dignis civibus:* Phaed. 982 *tradere turpi fasces populus gaudet.*

---

[1]) Omnes fere scriptorum latinorum locos congessit A. Zingerle in comm. *de scriptorum lat. locis, qui ad poenarum apud inferos descriptionem spectant,* conscripta, cf. eius Comm. phil. coll. part. III p. 61 sq.

Oct. 691 *secretum petis:* HO. 478 *quid istud est, quod esse secretum petis?* sed hic *secretum* de re, illic de loco dictum est.

Oct. 692 *cur genae fletu madent?:* Phaed. 1121 *cur madent fletu genae?*

Oct. 694 sq. *Caesari iuncta es tuo | taeda iugali:* Hf. 346 sq. *iuncta regali face | thalamisque Megara,* 493 *sin copulari pertinax taedis negat,* HO. 404 *facibus suis me iungat Eurystheus licet,* Phaed. 597 *iugali . . face,* Ag. 158, HO. 339 *iugales faces.*

Oct. 700 *tura cum superis dares:* Hf. 918 *date tura flammis.*

Oct. 704 sq. *sublimis . . . | incessit (princeps):* Tro. 1088 sq. *sublimi gradu | incedit Ithacus.*

Oct. 705 *habitu atque ore laetitiam gerens:* Phaed. 829 sq. *regium in vultu decus gerens.*

Oct. 708 sq. *quorum toros celebrasse caelestes ferunt, | pelagique numen omne cónsensú parí:* Thy. 970 sq. *festum diem, germane, cónsensú parí | celebremus.*

Oct. 710 sq. *quae subita vultus causa mutavit tuos? | quid pallor iste, quid ferant lacrimae, doce:* Tro. 426 *quis te repens commovit adflictam metus?* [B].

Oct. 714 *(feror) defecta sensu:* Phaed. 374 sq. *vadit incerto pede | iam viribus defecta.*

Oct. 716 *inter Neronis iuncta complexus:* Phoen. 464 *iunge complexus prior.*

Oct. 717 sq. *placida frui | quiete:* Ag. 60 *placidam quietem.*

Oct. 718 sqq. *visa nam thalamos meos | celebrare turba est maesta: resolutis comis | matres Latinae flebiles planctus dabant:* Tro. 409 sqq. *quid, maesta Phrygiae turba, laceratis comas | miserumque tunsae pectus effuso genas | fletu rigatis?,* Phoen. 387 *flebiles questus,* HO. 1379 *flebiles gemitus,* HO. 1894 sqq. *date Bistoniae | verbera matres gelidusque sonet | planctibus Hebrus.*

Oct. 723 *quatiebat facem:* Thy. 251 sq. *geminas faces | Megaera quatiens.*

Oct. 725 sq. *diducta subito patuit ingenti mihi | tellus hiatu:* Hf. 281 *orbe diducto redi* [R], Oed. 582 sq. *subito dehiscit terra et immenso sinu | laxata patuit.*

Oct. 726 sq. *toros | cerno iugales:* Oed. 661 *tori iugalis nefas.*

Oct. 729 *comitánte túrba:* Hf. 837 *comitánte túrba,* Med. 629 *comitánte sílva.*

Oct. 733 *ensemque iugulo condidit saevum Nero,* 752 *iugulo quod ensem condidit:* Oed. 1037 *telum an patenti conditum iugulo inprimam.*

Oct. 734 sq. *tandem quietem magnus excussit timor; | quatit ossa et artus horridus nostros tremor* [1]) *pulsatque pectus:* Tro. 168 *pavet animus, artus*

---

[1]) Codices initium huius versus sic praebent: '*quatit ora et* . .'. Buecheler Mus. Rhen. XXVII p. 474 scribi iussit '*q. ossa et* . .', quod Leo recepit, idque optimo iure, ut ex

*horridus quassat tremor,* 457 *mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit,* 487 *sudor per artus frigidus totos cadit,* Tro. 623 sq. *reliquit animus membra . .| torpetque vinctus frigido sanguis gelu,* Med. 926 sq. *cor pepulit horror, membra torpescunt gelu | pectusque tremuit,* Phoen. 530 *membra quassantur metu,* Phaed. 1034 *os quassat tremor,* Oed. 224 *torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit,* 624 *stetit per artus sanguine effuso horridus,* 659 *et ossa et artus gelidus invasit tremor,* 1059 *horridus Morbi tremor,* Ag. 710 sq. *pallor genas | creberque totum possidet corpus tremor,* Hf. 414 *gelidus per artus vadit exangues tremor* (cf. 621 *membra laetitia stupent*), HO. 706 sqq. *vagus per artus errat excussos tremor, | erectus horret crinis, impulsis adhuc | stat terror animis et cor attonitum salit | pavidumque trepidis palpitat venis iecur.*

Oct. 742 *thalamos toros:* Med. 285 *regii thalami toros,* Oed. 20 *thalamos parentis Phoebus et diros toros.*

Oct. 745 *pulsáta pálmis péctora et fusae comae:* Tro. 64 *feríte pálmis péctora,* 114 *pulsu pectus tundite vasto,* Hf. 1100 sq. *percussa sonent | pectóra palmís,* Ag. 134 *invidia pulsat pectus,* HO. 1857 sq. *agedum senile pectus . . . pulsate.*[1])

Oct. 751 *stabiles futuros spondet aéternaé domús,* 925 sq. *nec sibi quisquam spondere potest | firmum et stabile:* Phaed. 1241 *recipe me aéternà domús.*

Oct. 753 *bella haud movebit,* 776 *qui moverunt horrida bella,* 806 *quid fera frustra bella movetis?:* Hf. 122 *movenda iam sunt bella.*

Oct. 754 *recollige animum, recipe laetitiam precor:* Hf. 311 *meliora mente concipe atque animum excita.*

Oct. 756 sq. *delubra et aras petere constitui sacras | caesis litare victimis numen deum:* Hf. 876 sq. *aras tangite supplices, | pingues caedite victimas,* 898 sq. *nunc sacra patri victor et superis feram | caèsisque meritas victimis aras colam,* Oed. 199 sq. *delubra petunt, | haut ut voto numina placent,* 303 *opima sanctas victima ante aras stetit,* Ag. 392ᵃ sqq. *delubra et aras caelitum et patrios lares | . . . supplex adoro.*

Oct. 759 *terrorque in hostes redeat attonitus meos,* 785 *quis iste mentes agitat attonitus furor:* Hf. 1219 *tumultu attonito carens (pectus)* [R], Thy. 260 *tumultus pectora attonitus quatit,* Tro. 1136 sq. *terror attonitos tenet | populos.*[2])

---

locis adlatis manifestum esse puto, cf. in primis Oed. 659. Richter rhetorico colore non intellecto hunc versum tamquam ab interpolatoris manu adiectum uncis saepsit, quia in uno codice (Londinensi [B]) casu quodam excidit (in margine ibi adscriptus est m. 2).

[1]) Cf. anapaestos in Apocolocyntosi XII 2 (52 et 53): *caedite maestis | pectora palmis* et Cons. ad Liv. 109 *sic plumosa novis plangentes pectora pennis.*

[2]) Baehrens Misc. crit. p. 122 ad Oct. 759 haec adnotavit: 'hic primum *attonitos* reponendum esse miror quod adnotare mihi reliquerunt anteriores'. sed miror, quod tale

Oct. 760 sq. *tu vota pro me suscipe et precibus piis* | *superos adora:* HO. 292 sqq. *vota quae superis tuli* | *cessere captae* ... | *illi meas audistis* . . *preces,* 1691 sq. *nullasne* . . *misit ad superos preces* | *arsurus aut in vota respexit Iovem.*

Oct. 765 *tectum plumis pennisque:* Med. 781 sqq. *reliquit istas plumas* . . . . . . *his adice pinnas* . .[1])

Oct. 769 *petet amplexus, Poppaea, tuos*, 730 *properat petere complexus meos:* Thy. 522 *meosque potius amplexus pete.*

Oct. 779 *pectore anhelo:* HO. 1414 *gravique anhelum pectus impulsu quatit,* Oed. 38, Ag. 713 *anhela corda.*

Oct. 789 *reddere penates* .. *parant* | , 228, 801, 903. His quattuor locis parandi verbum cum infinitivo coniunctum legitur ita, ut bisyllaba verbi forma semper in versu ultimo posita sit, quod etiam in novem[2]) ceterarum fabularum locos cadit inter undecim, quibus infinitivus a verbo parandi pendet.

Oct. 793 *temere praécipités agít:* Phoen. 299 *ira praécipités agít.*

Oct. 805 *haud morabor iussa praefecti exequi,* cf. 439 *iussa haud morabor:* Hf. 41 *minorque labor est Herculi iussa exequi,* Phaed. 618 *me decet iussa exequi*[3]), Ag. 304 sq. *nil moror iussu tuo* | *aperire ferro pectus,* HO. 538 *ocius iussa exequar.*

Oct. 818 *et nunc animus quid ferat horret:* Med. 670 *paret animus, horret, magna pernicies adest,* Ag. 5 *en horret animus,* 883 *horreo atque animo tremo,* Oed. 323 *horresco intuens.*

Oct. 819 *immitis dei (Amoris):* Phaed. 334 *puer immitis.*

Oct. 826 *impium plebis scelus:* HO. 1719 sq. *impium* | *scelus.*

Oct. 831 *mox tecta flammis concidant:* Hf. 998 *eversa manibus saxa concidant,* Med. 879 *concidit regni status,* HO. 221 *tibi cuncta domus concidit uni.*

Oct. 853 *abstrahere coniugem toris*: Med. 144 sq. *quique genetricem abstrahit* | *natis,* Phaed. 95 *solio ut revulsam regis inferni abstrahat.*

Oct. 861 *dirum caput:* Thy. 244 *dirum qua caput mactem via.*

---

quid adnotavit vir doctus; nam si Thy. 260 legisset, ubi propter metrum nihil potest mutari, sane miratus non esset. Hf. 1219 in det. codd. classe extat *attonitum pectus*, sed iure retinuerunt editores scripturam cod. *E*; itemque recte Leo Oct. 785 *attonitus* scripsit cum plerisque codd. contra Richterum, qui duorum librorum scripturas secutus *attonitas* recepit.

[1]) Cf. Cons. ad Liv. 109 *sic plumosa novis plangentes pectora pennis.*

[2]) Locos collegit Bill l. c. p. 23 et 32, falso addidit Oct. 904. sunt autem hi: Tro. 872, Phaed. 303, Oed. 28, 239, Ag. 218, 650, 717, Thy. 266, HO. 163 — Med. 184, HO. 613.

[3]) Quem versum num iure Richter et Leo Peiperum secuti ut interpolatum damnaverint, dubito. certe versu antecedenti (*mandata recipe sceptra, me famulam accipe*) idem expressum est quod v. 618; sed rhetorici dicendi generis proprium est unam eandemque rem vario modo efferre, quare in tautologia apud Senecam offendendum esse nego.

Oct. 862 *horrore vinctum trepidus astrinxit rigor:* Oed. 206 sq. *horrore quatior* .. | *trepidumque gemino pectus adfectu labat;* Ag. 508 *tenet horror artus;* ceterum cf. locos ad Oct. 734 sq. congestos.

Oct. 863 *parere dubitas?:* Med. 172 *profugere dubitas?*

Oct. 868 sq. *mulier, dedit natura cui pronum malo* | *animum, ad nocendum pectus instruxit dolis:* Med. 266 sq. *tu tu malorum machinatrix facinorum,* | *feminea cui nequitia ad audenda omnia* [B], Phaed. 559 (in aetatum descriptione) *sed dux malorum femina: haec scelerum artifex* [B], 687 *o scelere vincens omne femineum genus* [B].

Oct. 877 sq. *o funestus multis populi* | *dirusque favor:* Hf. 169 sqq. *illum populi favor attonitum* | *fluctuque magis mobile vulgus* | *aura tumidum tollit inani* [B], Phaed. 488 sq. *non aura populi (illum inflammat) et vulgus infidum bonis,* | *non pestilens invidia non fragilis favor* [B], Thy. 350 sqq. *quem non ambitio impotens* | *et numquam stabilis favor* | *vulgi praecipitis movet* [B]. Octaviae scriptor, quae in universum de populi favore dixit, comprobat exemplis Gracchorum et Livii Drusi, ex Romana historia petitis. ac temporibus illis in rhetorum scholis saepe de *funesto populi favore* declamatum esse quis non credat?[1])

Oct. 887 sq. *te .. leto* | *Fortuna dedit:* Hf. 1048 *vivis an leto dedit* | *idem* . . . *furor?*, Phaed. 695 sq. *leto dedit* | *odium dolusque.*

Oct. 895 sqq. *bene paupertas* | *humili tecto contenta latet:* | *quatiunt altas saepe procellae* | *aut evertit Fortuna domos:* Hf. 199 sq. *humilique loco sed certa sedet* | *sordida parvae fortuna domus:* | *alte virtus animosa cadit,* Phaed. 1132 sqq. *raros patitur fulminis ictus* | *umida vallis:* . . . *metuens caelo* | *Iuppiter alto vicina petit;* | *non capit umquam magnos motus* | *humilis tecti plebeia domus,* Ag. 96 *feriunt celsos fulmina colles.*

Oct. 902 (332) *victa malis:* Phoen. 189 sq. *victum malis* | *dare terga.*

Oct. 912 sq. *regnat mundo tristis Erinys*[2]): Hf. 67 sq. *et vacuo volet* | *regnare mundo.*

Oct. 915 sq. *quae lacrimis nostris questus* | *reddat aëdon?:* Ag. 670 sq. *non quae verno mobile carmen* | *ramo cantat tristis aëdon.*

Oct. 916 sqq. *cuius pennas* | *utinam miserae mihi fata darent!* | *fugerem luctus sublata meos* | *penna volucri procul et coetus* | *hominum tristes caedemque feram.* | *sola in vacuo nemore et tenui* | *ramo pendens querulo*

---

[1]) Qui Octaviam conscripsit, ea fortasse respexit quae in Senecae dial. VI (*ad Marciam de consolatione*) c. 16 leguntur: *ex una tibi familia duas Cornelias dabo: primam Scipionis filiam Gracchorum matrem* ... *Tib. Gracchum et Gaium Gracchum, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur et occisos vidit* . . . . . *Cornelia Livii Drusi clarissimum iuvenem illustris ingenii vadentem per Gracchana vestigia* ... *intra penates interemptum suos, amiserat incerto caedis*, quamquam hic de alia prorsus re atque in Octavia agitur; ceterum cf. Sen. dial. X 6, 1.

[2]) Meiser l. c. p. 40, adn. 27 adfert Ovid. Met. I 241 *qua terra patet, fera regnat Erinys.*

*possem | gutture maestum fundere murmur:* Hf. 146 sqq. *pendet summo stridula ramo | pennasque novo tradere soli | gestit querulos inter nidos | Thracia paelex, turbaque circa | confusa sonat murmure mixto | testata diem,* HO. 201 sqq. *cur mea nondum capiunt volucres | bracchia plumas? felix, felix, | cum silva domus nostra feretur | patrioque sedens ales in agro | referam querulo murmure casus | volucremque Iolen fama loquetur.*

Oct. 924 *regitur fatis mortale genus:* Hf. 183 sq. *at gens hominum flatur rapidis | obvia fatis incerta sui,* Oed. 980 *fatis agimur: cedite fatis.*

Oct. 925 sq. *nec sibi quisquam spondere potest | firmum et stabile:* Phaed. 978 sqq. *res humanas ordine nullo | Fortuna regit sparsitque manu | munera caeca peiora fovens,* 1142 sqq. *volat ambiguis mobilis alis | hora nec ulli praestat velox | Fortuna fidem.*

Oct. 927 sq. *pro quam casus volvit varios | semper nobis metuenda dies:*[1]) Tro. 261 sqq. *felicem decet | variosque casus tremere metuentem deos | nimium faventes,* Phaed. 1123 *quanti casus humana rotant!*

Oct. 962 sq. *testor superos — | quid agis, demens? parce precari:* Tro. 644 sq. *testor immites deos, | deosque veros coniugis manes mei,* Phaed. 604 *vos testor omnes caelites,* Oed. 14 *caelum deosque testor,* Thy. 1102 *piorum praesides testor deos,* HO. 42 *te clare Titan, testor,* 1022 sq. *testor . . Phoebi rotam | superosque testor.*

Oct. 966 *Erebique deas scelerum ultrices:* Med. 13 *nunc, nunc adeste sceleris ultrices deae,* 967 sq. *ultrices deas | manesque ad imos ire securas iube,* HO. 1065 sq. *et tristes Erebi deos | vicit.*

Oct. 970 sq. *armate ratem, date vela fretis | ventisque petat puppis rector:* Tro. 1044 sq. *et tuba iussi dare vela nautae | cum simul ventis properante remo | prenderint altum.*

Oct. 973 *lenes aurae zephyrique leves:* Hf. 699 *leni . . zephyro,* Oed. 37 sq. *non aura lenis . . ., non zephyri leves,* 884 *zephyro levi,* Ag. 431 sqq. *hinc aura . . lenis impellit rates | . . . . unda vix actu levi | tranquilla zephyri mollis afflatu tremit.*

Hi sunt loci, quos inter se comparandos esse duxi. iam quid hac comparatione demonstratum est? manifestum iam ego esse puto, quonam modo Octaviae scriptor in tragoedia sua componenda Senecae fabulas in usum suum converterit. vidimus eum nullum versum totum ex his fabulis mutuatum esse; unum tantum hemistichium[2]) integrum desumpsisse videtur. neque adseverare possumus eum praeter hunc locum certa quaedam Senecae verba imitando exprimere voluisse. plerumque enim ad unum

---

[1]) De horum versuum scriptura postea disputabimus.

[2]) V. 234 verba *frigore Arctoo rigens* (cf. Med. 683), Bothii coniectura recepta, de qua supra p. 60 disputavimus.

Octaviae locum complures ceterarum tragoediarum versus adscribendi erant. nihilo minus tamen similitudo, quae inter Octaviam ceterasque fabulas intercedit, satis magna est. sunt fere Senecae verba, quae in hac fabula leguntur, verborum coniunctiones eaedem sunt in Octavia atque in ceteris fabulis, idem color. quot in Octavia et aliis tragoediis versus ab eisdem verbis incipiunt, quot eisdem finiuntur! quae diversa sunt a Senecae dicendi genere (p. 7 ea habes congesta), ea pusilla sunt et ad diversos auctores, non ad diversa tempora referenda. in universum quidem ea orationis abundantia, quae in ceteris fabulis saepe usque ad vitium aucta est, in Octavia non conspicitur: immo genus dicendi simplicius est ac nonnumquam etiam rectius. tamen nisi iam propter alias res certissimum esset Octaviam a Seneca conscriptam esse non posse, certe propter sermonem nequaquam a Seneca posset abiudicari. is igitur qui Octaviam composuit Senecae fabulas lectitaverat atque optime cognitas habebat. iam quamquam constat posterioribus etiam temporibus poetas Senecae tragoediis legendis multam operam impendisse, tamen propter mirum illum in omnibus rebus consensum tutius est statuere Octaviam non multo post Senecae mortem compositam esse. quod Quintilianus Inst. or. X 1, 125 de Seneca in universum dicit, eum fere in adulescentium manibus fuisse, id quin ad eius tragoedias potissimum referendum sit, non dubito. in primis autem in rhetorum scholis eae lectitabantur atque inde sententiae, colores, quae declamationibus ornamento essent, sumebantur. nonne haec de eo quoque valent, qui Octaviam composuit? tamen is tragoediam suam non eo consilio conscripsit, ut Senecae fabulas imitaretur, id quod iam ex ipso Octaviae argumento patet, sed ea quae e Seneca didicerat in suum usum convertit. itaque propter hanc Senecae imitationem, quam in Octavia adesse vidimus, veri simillimum est tragoediam non multo post Senecae ipsius fabulas conscriptam esse. dico veri simillimum esse neque iam ex ea una causa certissimum; nam Boetius quoque, ut unum exemplum proferam, multa ex Senecae fabulis desumpsit. sed qui ea aetate poetas saeculi primi post Christum natum imitati sunt, non eodem modo eorum vestigia presserunt, quo Octaviae scriptor. respexerunt enim plerumque certos quosdam locos,[1]) non totum dicendi genus suum fecerunt. num porro credibile est posterioribus temporibus, III vel IIII p. Ch. saeculo, hominem quendam Senecae orationem

[1]) Veluti Claudianus, cf. Ieepii ed. vol. II praef. p. LXXVII sqq. Octaviae scriptor quoque hic illic certos quosdam priorum poetarum locos respexit, quod in descriptione aetatum vidimus; quam rem in hac dissertatione non persecutus sum, quia ad Octaviae tempus definiendum nullius momenti est. quod si Meiser p. 19 contrarium statuit (contulit ille p. 40 adn. 27 nonnullos locos), dicendum est posteriores quoque poetas in vestigiis scriptorum aetatis Augusteae proximeque insequentis semper institisse.

ita quasi imbibisse, ut nulla in re posterioris aetatis hominem se prodiderit? nam nemo adhuc, quod ad Octaviae dicendi genus adtinet, quicquam proferre potuit, quo eam a primo p. Ch. saeculo alienam esse comprobaret. quae res maximi momenti est. accedit quod ea fabula eadem arte, quae rhetoricum prae se fert colorem, composita est atque ceterae tragoediae. sed antequam de arte in Octavia conspicua exponam, paucis aliud Senecae imitationis genus absolvendum est. is enim, qui hanc tragoediam condidit, praeter fabulas etiam opera quae ille prosa oratione conscripsit adsidue lectitasse videtur.

Iam Farnabius ad Oct. 385 sq. *o quam iuvabat, quo nihil maius parens | Natura genuit, operis immensi artifex |, caelum intueri* ... adscripserat ea quae Seneca Dial. XII 8, 4 sqq. dicit: *quicquid optimum homini est, id extra humanam potentiam iacet. nec dari nec eripi potest. mundus hic, quo nihil neque maius neque ornatius rerum natura genuit, animus contemplator admiratorque mundi* . . . . . . (6) *dum mihi solem lunamque intueri liceat, dum ceteris inhaerere sideribus* ... *spectare tot per noctem stellas micantes* et Delrius cum eis quae in Octavia 564 sqq. de Augusto dicuntur comparari iussit Sen. De clem. I 10 sq.: *haec Augustus senex aut iam in senectutem annis vergentibus. in adulescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quae invitus oculos retorquebat. comparare nemo mansuetudini tuae audebit divum Augustum, etiamsi in certamen iuvenilium annorum deduxerit senectutem plus quam maturam: fuerit moderatus et clemens, nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Sicilia classes et suas et alienas, nempe post Perusinas aras et proscriptiones.* quos locos si quis cum Octaviae versibus composuerit, statim cognoscet poetam eos respexisse atque imitando effingere voluisse. Seneca enim, dum in hac fabula inducitur, eadem profert, quae in libris supra commemoratis disputat. atque ea, quae ille secum ipse reputans ab Octaviae scriptore fingitur vv. 377—435, ex Dial. XII cc. 6—10 desumpta sunt. iure enim Braun[1]) Farnabium secutus contulit Oct. 377 sqq. cum Sen. Dial. XII 6, 4. 5. 7; 8, 3. 4. 6; 9, 2, ubi de exilio, de mundi contemplatione sermo fit, Oct. 397 sqq. *tunc illa virgo* . . . . . . *Iustitia* . . *terris regebat mitis humanum genus* cum Sen. Dial. XII 9, 3 *iam omnibus templis formosius erit, cum illic iustitia conspecta fuerit,* Oct. 426 sqq. *cupido belli crevit atque auri fames.* cum Sen. Dial. XII 10, 2 *di istos deaeque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit.* praeterea conferas Oct. 383 sq. *ubi liber animus et sui iuris mihi | semper vacabat studia recolenti mea* et Dial. VII 4, 3 *quid enim prohibet nos beatam vitam dicere liberum animum et*

[1]) Cf. p. 48 sq.

*erectum et interritum ac stabilem extra metum, extra cupididatem positum, cui unum bonum sit honestas,* VIII 2, 1 *hoc, quod dico in duas dividam partes: primum, ut possit aliquis vel a prima aetate contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi quaerere atque exercere secreto,* 5, 3 *curiosum nobis natura ingenium dedit et artis sibi ac pulchritudinis suae conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sua, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida et non uno genere formosa solitudini ostenderet,* X 5, 3 *semiliberum se dixit Cicero: at mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procedet, numquam semiliber erit, integrae semper libertatis et solidae, solutus et sui iuris et altior ceteris. quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?* verbis autem, quae Dial. XII 10, 7 extant: *quid tam multa conquiritis? scilicet maiores nostri, quorum virtus etiamnunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum, quibus terra cubile erat, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant* Octaviae scriptor inductus esse videtur, ut pristinarum aetatum felicitatem secundum Ovidium describeret.

Altercationis vero inter Senecam et Neronem, quae legitur Oct. 438—592, primarius fons est Senecae liber I De clementia. quae ille ibi defendit contra Neronem, hic profert 3, 3 *nullum tamen clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet.* ac nonne componi possunt Oct. 442 *magnum timoris remedium clementia est* et 11, 4*[1]) *clementia ergo non tantum honestiores sed tutiores praestat ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus,* 13, 5 *hic princeps suo beneficio tutus nihil praesidiis eget, arma ornamenti causa habet,* 19, 6 *salvum regem in aperto clementia praestabit,* Oct. 443 sq. [Ner.] *extinguere hostem maxima est virtus ducis* [Sen.] *servare cives maior est patriae patri* et 12, 1* *quid ergo? non reges quoque occidere solent? sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet; tyrannis saevitia cordi est. tyrannus autem a rege distat factis non nomine* . . . (2) . . *sed mox consequemur quomodo hostibus irascendum sit, utique si in hostile nomen cives et ex eodem corpore abrupti transierint,* 5, 1 *parcendum itaque est etiam improbandis civibus non aliter quam membris languentibus et si quando misso sanguine opus est, sustinenda est* [*manus*], *ne ultra quam necesse sit incidat,* 5, 7* *servare proprium est excellentis fortunae . . . deorum itaque sibi animum adserens princeps alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat. quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur,* 11, 2 *haec est Caesar clementia vera*

---

[1]) Locos asteriscis notatos iam Braun adtulit.

. . . *numquam civilem sanguinem fudisse,* 26, 5 *haec divina potentia est gregatim ac publice servare: multos quidem occidere et indiscretos incendii ac ruinae potentia est,* Oct. 446 *regenda magis est fervida adulescentia* et 1, 3* *(. . . . iuvat . . . . ita loqui secum) in hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuvenilis impetus, non temeritas hominum et contumacia.* quantum discrimen inter regem et tyrannum intersit Seneca 12, 3 sq.* exponit. idem discrimen ex Oct. 454 sqq. elucet, ubi Nero verum tyrannum se ostendit, Seneca regis officia proponit. praeterea componi possunt[1]) Oct. 462 sq. *an patiar ultro sanguinem nostrum peti* et 9, 4* *quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar me sollicito?,* Oct. 488 sq. *tu pacis auctor generis humani arbiter | electus orbem iam sacra specie regis* et 1, 2* *(iuvat . . ita loqui secum) egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer? egone vitae necisque gentibus arbiter?* loco, qui est 11, 1*, respecto *comparare nemo mansuetudini tuae audebit divum Augustum* patet, cur Octaviae scriptor ad Augusti exemplum Neronem et antea Senecam spectantes fecerit. ac desumpsit etiam nonnulla ex illo Senecae loco, cf. Oct. 482 *tibi numen incruenta* (Fortuna) *summisit suum* et 11, 3* *praestitisti, Caesar, civitatem incruentam . . .,* Oct. 506 sqq. (Augustus) *quot interemit nobiles . . . ., tabula notante . . . . pavere volucres . . . . tristes Philippi . . .* et 11, 1* *nempe post mare Actiacum.* ceterum cf. cum Oct. 574 sq. [Ner.] *prohibebor unus facere quod cunctis licet?* [Sen.] *maiora populus semper a summo exigit* De clem. I 1* *grave putas eripi loquendi arbitrium regibus quod humillimi habent? . . . alia condicio est eorum, qui in turba . . latent . .* (2) *quam multa tibi non licent, quae nobis beneficio tuo licent,* et Dial. XI 7, 2 *Caesari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent,* cum Oct. 578 sqq. *obsequere potius civibus placidus tuis . . .* De clem. I 13, 1 *placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua.* longum est omnes locos, quibus similis sensus inest, proferre. certe iam manifestum esse puto Octaviae scriptorem Senecam talem depingere voluisse, qualem ex scriptis philosophis eum cognitum habuit. et colloquio Senecae et Neronis inserto poeta, nisi fallor, ostendere voluit imperatorem illum omnia magistri sui praecepta neglexisse atque omni ex parte verum tyrannum se praebuisse. qua de causa philosophum ea ipsa, quae ad Neronem scripserat, imperatori suadentem, hunc contra dicentem fecit.

---

[1]) Adde ad Oct. 457 [Ner.] *decet timeri Caesarem* [Sen.] *at plus diligi* c. 19, 6: *unum est inexpugnabile munimentum amor civium.* Octaviae versum autem defendendum esse contra Leonem infra demonstrabo.

Id ipsum vero, quod is qui Octaviam scripsit libros illos Senecae in usum suum convertit, indicat hanc fabulam haud multo post philosophi mortem compositam esse. atque habemus alia talis Senecae imitationis exempla. inter carmen enim quod inscribitur Consolatio ad Liviam paucis eisque recentissimis codicibus nobis traditum quodque multis in rebus cum Octaviae tragoedia comparari potest,[1]) et Senecae consolationes ad Marciam (Dial. l. VI) et ad Polybium (Dial. l. XI) scriptas tanta est similitudo, ut statuatur necesse sit elegiae scriptorem Senecam adsidue lectitavisse.[2]) et is qui elegias in Maecenatem composuit in codicibus perperam Vergilio adtributas prioris carminis materiam ex Senecae epistula CXIIII desumpsisse videtur, quod primus M. Haupt sagacissime coniecit.[3]) quod si ea quae magister meus dilectissimus Carolus Schenkl in Mel. Vindob. II 68 sq. de Consolatione ad Liviam disputans adfirmavit iam inde, quod Consolationis auctor ex Seneca hauserit, adparere eum haud multo post philosophum vixisse, recte se habent, quod mihi quidem certum est, eadem iure de Octavia dici possunt. et Senecae scripta in rhetorum scholis adsidue tractata esse iam supra diximus. itaque etiam propter Senecae imitationem eorum sententia abicienda est, qui Octaviae fabulam posterioris aetatis scriptori tribuerunt.

Adde quod inter Consolationem ad Liviam et Octaviam quaedam quoque similitudo argumenti intercedit. utroque enim carmine de eorum, qui ex

[1]) Sicut Octavia, etiam Consolatio ad Liviam, cento ille Ovidianus, cuius scriptor Propertium Tibullum Vergilium quoque despoliavit, magni scriptoris nomine perperam insignita est. dicendi autem proprietates in causa fuisse videntur, cur falso utrumque carmen nomine inscriberetur. de epicedii quoque aetate variae hominum doctorum extiterunt sententiae. etenim Adler in progr. Anclamiensi, Gruppe in libro, cui inscripsit 'Aeacus' p. 158, Baehrens Poet. lat. min. I p. 97 sq., O. Hirschfeld 'Die kaiserlichen Grabstätten in Rom' (in actis acad. Berol. a. 1886) p. 3 sq. ante Senecam eam conscriptam esse opinati sunt, hic quidem a. p. Ch. VIIII. contra Huebner Herm. XIII 145 sqq. et Buecheler 'Philol. Kritik' p. 21 sq. eam alteri p. Ch. saeculo adsignant. Haupt denique Opusc. I 315 sqq. carmen illud adtribuit homini, qui saec. XV in Italia vixerit. maxime probabilem vero de huius elegiae aetate atque auctore sententiam Car. Schenkl. Mel. Vindob. II p. 68 sqq. protulit, qui eam aetate Neroniana in rhetoris cuiusdam schola ab adulescentulo compositam esse statuit. ac sane, si rhetoricum colorem spectas, illud Drusi epicedium aptissime cum Octavia componi potest. neque vero G. Wiedingii dissertatione (de aetate Consolationis ad Liviam, Kiliae a. 1888 ed.) perlecta meam sententiam mutandam censeo; is enim Consolationem primis Tiberii imperatoris annis confectam esse opinatur nec tamen, ut mihi quidem videtur, probavit Senecam Lucanum Statium Martialem al. epicedii scriptorem imitatos esse; immo contrarium verum iudico.

[2]) Quod primus Haupt Opusc. I 349 cognovit, Adler p. 14 sq. fusius exposuit. qui tamen falso conclusit Senecam quaedam ex epicedio de Druso hausisse.

[3]) Cf. Opusc. I 349. elegiae quoque in Maecenatis mortem scriptae Senecae temporibus compositae esse videntur, cf. Schenkelium p. 70.

gente Iulia orti erant, sorte agitur. iam cum rectissime animadverterit studium illud, quo homines casus illius gentis prosequebantur, iam Domitiani et Traiani aetate imminutum vel adeo exstinctum esse, nonne quaeso vel ex hac re intellegitur Octaviam non multo post Neronis tempora conditam esse?

Sed quoniam disputatio de Senecae imitatione absoluta esse videtur, nunc agamus de colore rhetorico, qui in Octavia conspicitur.

## III.

Iam supra diximus Octaviae scriptorem rhetoris modo singularum personarum mores depinxisse; totam vero tragoediam rhetoricum plane colorem prae se ferre ex singulis rebus adparet, quod nunc exponere in animo est. permulta quidem, quae ad rem faciunt, Smith ex ceteris Senecae fabulis congessit, Octaviae vero hic illic tantum rationem habuit neque ita res tractavit, ut eluceret, quaenam similitudo inter hanc et ceteras fabulas intercederet. quare equidem ordine, quem ille in singulis rebus tractandis secutus est, servato, quo facilius Octavia cum ceteris fabulis comparari possit, ea quae ad hanc recte aestimandam faciunt breviter perstringam.

Ipsum Octaviae argumentum: tyrannus philosophi monitis neglectis uxorem in exilium eicit, rhetori optime convenit. scimus enim[1]) argumenta ad tyrannos pertinentia in rhetorum scholis in deliciis fuisse.

Quod deinde ad declamationem (I) adtinet[2]), Octavia quoque huius artis exercendae multas opportunitates recitatori adferre potuit. nam omnes fere personae, quae in scaenam prodeunt, declamitant. atque in his declamationibus omnia sententiarum genera invenimus, quae in pronuntiando auditores delectare et movere possunt, de quibus cf. Sm. p. 5.

Sed iam ad doctrinam rhetoricam (II.) nos vertamus. qua in re cum Smithio Quintilianum sequemur, qui in libris VIII et VIIII de elocutione, quam *φράσιν* Graeci vocabant, egit; cuius tres gradus distinxit: perspicuitatem, probabilitatem, ornatum. cum autem duo priores gradus omnium scriptorum sint, in tertio vero *plus quam in ceteris dicendi partibus orator sibi indulserit,*[3]) iure Smith in ornatus solis generibus indicia artis rhetoricae quaesivit. et primum respiciendae sunt descriptiones (1); eas enim apud rhetores eorumque discipulos valde in usu fuisse ex

---

[1]) Ex Senecae rhetoris controversiis, cf. Excerpta Contr. III 6, V 8 Contr. VIIII 4 (27) M. al. et Koerbneri dissertationem, cui inscriptum est 'Ueber den Rhetor Seneca und die röm. Rhetorik seiner Zeit' (Marburgi 1863) p. 36.

[2]) De qua cf. Smithium p. 6 sqq.; numeris uncis circumscriptis, quos adieci, singula Smithii dissertationis capita capitumque partes significavi.

[3]) Sunt Quintiliani verba VIII 3, 1.

eorum reliquiis patet, cf. Smith. p. 13 sq. in Senecae fabulis descriptiones frequentissimae sunt, id quod mihi quoque ut Smithio (p. 15) maximum artis rhetoricae indicium esse videtur. neque in Octavia descriptiones desunt. nam ut ea praetermittam, quae vv. 231 sqq. de cometa dicuntur, vv. 314—375 multis verbis naufragium et caedes Agrippinae describitur. porro aetatum descriptio vv. 397—435 continetur, Augusti facta vv. 505 sqq. enumerantur. adde Neronis et Poppaeae nuptiarum descriptionem, quae num apte inter Poppaeae nutricis interrogationes: *cur genae fletu madent?* et *quae subita vultus causa mutavit tuos?* (692/710) interposita sit, dubitare licet. paullo post vv. 714 sqq. sequitur narratio somnii Poppaeae et in fabula fere ultima a choro multarum stirpis Iuliae feminarum misera sors describitur. adde quod etiam in adfectibus depingendis Octaviae scriptor scholasticum se prodit, cf. 123 *tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,* 437 *mente horreo,* 712 sqq. *confusa tristi . . . metu | visuque mente turbata feror, defecta sensu,* 735 sq. *quatit ossa et artus horridus nostros tremor | pulsatque pectus,* 818 *animus horret,* 862 *horrore vinctum trepidus adstrinxit rigor*[1]). descriptionis vero ornamenta, quae Quint. VIII 3, 61 sq. adfert, *ἐνάργειαν* dico similitudinem brevitatem *ἔμφασιν δείνωσιν φαντασίαν,* in Octavia quoque extant. etenim *ἐναργείας*, virtutis res clare atque ut cerni videantur enuntiandi, cuius Quint. VIII 3, 70 hoc exemplum adfert *mihi frigidus horror membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis* praeter vv. 735 sq., 862 in descriptionibus plurima extant; cf. 320 sq. *tollitur ingens clamor ad astra,* 368 sqq. 896 sqq. al. similitudines leguntur vv. 7 sq., 22 *illa tristis Erinys,* 59 *Electra,* 191 *ceu levis flammae vapor,* 201 sq., quo loco Octavia cum Iunone confertur, quae comparatio v. 283, 658 iteratur, 237 sq. *non tam ferum Typhona . . . tellus edidit,* 706 sqq. *talis . . . Peleus coniugem accepit Thetin.* *ἐμφάσεως*, quae altiorem praebet intellectum quam quem verba per se ipsa declarant[2]) quaeque inter figuras est, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur,[3]) exempla sunt: 107, ubi Octavia verbis *absit crimen a fatis meis* adulterii crimen tangere videtur, 449 *stulte verebor, ipse cum faciam deos,* quibus verbis Nero ad Claudii consecrationem adludit, 521 *hausit cruorem incesta Romani ducis | Aegyptus iterum* (voce *iterum* Pompei mentio inicitur; *incesta* vero *Aegyptus* propter Cleopatram Ptolemaeo fratri nuptam dicitur; simul fortasse amores, quibus Cleopatra Caesarem et Antonium, Octaviae maritum, amplexa est, significantur) 536 *incesta genetrix detrahit*

---

[1]) Cf. locos, quos in capite antecedenti ad hos versus contulimus, et Smithium p. 19.

[2]) Cf. Quint. VIII 3, 83.

[3]) Cf. Quint. VIIII 2, 64.

*generi fidem,* i. e. adulteria Messalinae matris Octaviam filiam suspectam mihi reddunt, 590 *et ipse populi vota iam pridem moror,*[1]) i. e. populi prolem legitimam ex me desiderantis, 621 *poenasque quis et Tantali vincat sitim,* (de Neronis ante mortem siti, cf. Suet. Ner. 48 et Cass. Dion. LXIII 28), 624 *licet extruat marmoribus atque auro tegat superbus aulam,* quae verba ad domum auream Neronis spectant, al. δείνωσις in exaggeranda indignitate posita est.[2]) exempla huius figurae habes 306 sq., 369 sq., 512 sq. *non gemere dira tabe polluto foro, | stillante sanie per putres vultus gravi,* brevitatis, virtutis non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circumcise atque velociter[3]), vv. 44 sqq. *coniugis scelere occidit: | mox illa nati: cuius extinctus iacet | frater venenis. maeret infelix soror,* 102 sq. *genetrice caesa, per scelus rapto patre, | orbata fratre.* φαντασία in concipiendis visionibus nihil aliud est quam ἐνάργεια,[4]) de qua supra diximus. neque amplificandi vel minuendi species, de quibus Quintilianus post descriptiones egit VIII 4, 1—29, in Octavia non inveniuntur, veluti 57 sq. *o mea nullis aequanda malis | fortuna,* 86 sq. *vincam saevos . . .,* 157 sq. *quis tot referre facinorum formas potest . . .,* 222 sqq., 238 sq., 502 sqq., 650 sq. *non hoc primum | pectora vulnus mea senserunt.*

Sed iam ad sententias (2) transeamus; his enim et praecipue eis, quae proprie sententiae vocabantur, quas Graeci γνώμας appellabant, rhetores Romani Senecae temporibus frequentissime ad orationem ornandam utebantur.[5]) et in Senecae scriptis multas clarasque sententias inesse Quintilianus X 1, 129 dicit. ita in Octaviae tragoedia quoque rhetoricum scribendi genus ex nimia sententiarum frequentia cognoscitur. leguntur sententiae de vitiis saeculi de divitiis potentia fortuna sorte humili et excelsa amore favore populi prolatae. saepe etiam sententiae exemplis confirmantur; cf. vv. 440—461, 574—587, ubi Nero et Seneca sententiis inter se respondent, et praeterea vv. 185, 189 sqq., 377 sq. de fortuna homines *alte tollente, ut gravius ruant,* 431 sq. de saeculi vitiis, 472 sqq., 495 sqq., ubi et Seneca et Nero ad sententias, quas proferunt, inter se contrarias comprobandas eodem exemplo, dico Augusto, utuntur, 538 sq., 547 sqq., 554 sqq. et 807 sqq. de Amoris potentia, 557 sqq., 740 sqq., 868 sqq., 877 sqq. de populi favore multis iam pernicioso, quae res Gracchorum et Livii Drusi exemplis ostenditur, 895 sq., 924 sqq. *mortale genus fatis regi* exemplis feminarum Iuliae gentis docetur. post sententias apud Quintilianum VIII 6, 1 sqq. (3) tropi tractantur. qua in re longum est neque

---

1) De huius versus scriptura postea nobis erit disputandum.

2) Cf. Quint. VIII 3, 88.

3) Cf. Quint. VIII 3, 88.

4) Cf. R. Volkmanni lib. de arte rhet. Graec. et Rom. p. 381 sq.

5) Quod ex locis a Smithio p. 31 sq. collatis adparet.

profecto necessarium singulas res omnes proferre; nam unumquemque fere huius fabulae versum exscribere necesse esset, si omnia adferre vellem. quare singulorum troporum generum nonnulla tantum exempla ponam. translatio, quae *μεταφορά* graece vocatur, extat vv. 15 *rupisset stamina,* 106 *trepidante corde* .. *metu,* 116 sq. *membra cum solvit quies* | *et fessa fletu lumina oppressit sopor,* 123 *tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,* 132 *odio flagrat,* 142 *flebili iunxit face,* al. *συνεκδοχῆς* exempla sunt: 142 *toris nefandis flebili iunxit face,* 148 sq. *cruore foedavit patrios penates,* 205 sq. *pennas sumpsit oloris* | *modo Sidonii cornua tauri,* 888 sq. *quem neque fasces,* i. e. magistratus dignitas, *texere sui* al. saepe in Octavia una persona de se loquens plurali numero utitur, saepe etiam pluralis et singularis numerus in vicem se excipiunt, velut 266 sqq. *cecidit infelix parens,* | *heu, nostra ferro meque perpetuo obruit* | *extincta luctu,* 530 sq. *nos quoque manebunt astra, si saevo prior* | *ense occuparo quidquid infestum mihi,* 570 sq. *hic mihi iugales praeferat taedas deus* | *iungatque nostris* . . *toris,* 612 sq. *quem dedit poenam in meam* | *puero regendum noster amor,* 820 sq., 829 sq., adde 74,[1]) 658, 860, 930. *μετωνυμία,* quae est nominis pro nomine positio[2]) legitur vv. 191 *in Venere turpi,* 433 *turpi Venere,* 418 *deterior aetas* pro: homines deterioris aetatis, 310 sq. *videre nefas* | *saecula,* 359 sq. *cuius facinus vix posteritas* | *tarde semper saecula credent,* 616 sq. *imputat mihi* | *tumulum,* i. e. mortem, *nati,* 979 sq. *urbe est nostra mitior Aulis* | *et Taurorum barbara tellus.* *ἀντονομασίας* exempla extant in vv. 202 *regina deum* (Iuno), 204 *dominus caeli divumque pater* (Iuppiter), 208 *sidera Ledae,* 210 *Alcides,* 215, 228, 425 *Astraea virgo,* 508 *trium ferrum ducum,* 518, 525, 534, 536, 554, 657, 671, 687, 773, 803, 882, 975 sq., 978. *ἐπίθετον* quoque, quod adpositum latine[3]) dicitur, ornatus orationis est et epithetorum densitate saepe *ταυτολογία* enascitur; cf. exempla a Smithio p. 17 adlata et Oct. 155: *tantoque victrix facta succesu ferox* . ., 197 *timorem fessa testatur suum,* 274 sq. *utinam falso credita perdat* | *frustra totiens iactata fidem,* 464 *exilia non fregere summotos procul,* al. *ἀλληγορίας,* quam inversionem latini interpretabantur[4]), exempla praebent Oct. 262 sqq. *illi soluta crine, succincta anguibus* | *ultrix Erinys venit* . . ., 594 sq. *Stygiam cruenta praeferens dextra facem* . . ., 663 sq. *hos ad thalamos servata diu* | *victima tandem funesta cades,* 877 sqq. *o funestus multis populi dirusque favor, qui cum flatu* | *vela secundo ratis implevit* | *vexitque procul, languidus idem* | *deserit alto saevoque mari.* *περιφράσεως,* circumlocutionis, exempla plurima in Octavia obviam fient tibi legenti, cf. vv. 1 sqq. *iam vaga caelo sidera fulgens* | *Aurora fugat,*

[1]) Hunc unum Octaviae locum Smith p. 43 adtulit.

[2]) Cf. Quint. VIII 6, 23.

[3]) Cf. Quint. VIII 6, 40.

[4]) Cf. Quint. VIII 6, 44.

*surgit Titan | radiante coma mundoque diem | reddit clarum,* 7 sq. *vince Alcyonas . . . Pandionias,* 14 sq. *utinam . . . mea rupisset stamina Clotho,* 23 sqq., 70 sq., 74 *tarda senectus* (i. e. ego anus tarda),[1]) 79 *qui me Stygias mittet ad umbras,* 116 sq., 127 *Stygiae parentem natus imposuit rati,* 142, 153 sq. ὑπερβολῆς, quam Quint. VIII 6, 67 audacioris ornatus summo loco posuit, exempla esse possunt: vv. 57 sq. *o mea nullis aequanda malis | fortuna,* 86 sqq. *vincam saevos ante leones . . . . quam corda tyranni,* 157 *quis tot referre facinorum formas potest | et spes nefandas feminae et blandos dolos | regnum petentis per gradus scelerum omnium,* 235 sq. *en ipse diro spiritu saevi ducis | polluitur aether* al.

Tropos apud Quintilianum secuntur figurae (4), quarum ille VIIII 1, 17 duo distinxit genera: διανοίας, i. e. mentis vel sensus vel sententiarum figuras et figuras λέξεως, i. e. verborum vel dictionis vel elocutionis vel sermonis vel orationis. figurarum διανοίας (*A*), inter quas interrogationem responsum apostrophen aposiopesin schema adfectuum simulationem adfert, frequentissimus est apud Senecam usus; qua de re cf. Smithium p. 50 sqq., qui iure adfirmat ex eo potissimum rhetoricum Senecae dicendi genus cognosci, quod eius tragoediae multo ornatiores sint omni apparatu rhetorico quam Graecorum fabulae, quas Senecam ut exempla secutum esse constat. neque in Octavia res aliter se habet. ac primum is qui hanc tragoediam scripsit non solet adfirmare, sed exclamare, cf. 5 sqq. *age tot tantis onerata malis | repete . . questus,* 14 sqq., 18 sqq., 31 sq. *coniugis, heu me, pater, insidiis | oppresse iaces,* 55 sq. *heu quam nefandum prospicit noster timor | scelus,* 57 sqq., 155 sq. *quam saepe tristis umbra germani meis | offertur oculis,* 130, 157 sqq. *quis tot referre facinorum formas potest . .?,* 166 sqq., 227 sqq., 245 sqq., 503, 698 *o qualis altos quanta pressisti toros,* 851 sqq. *quid illa turba, quae . . . ausa est . . abstrahere nostris coniugem tantam toris | violare quantum licuit,* 953 *parens tanta Neronis* et alia permulta. item interrogationes saepissime in Octavia leguntur. rogatur non sciscitandi gratia sed instandi[2]) velut v. 848 sq. *et hoc sat est? sic miles audisti ducem? | compescis? haec vindicta debetur mihi |.* interrogatur etiam, quod negari non possit, cf. v. 931 *quid saevior est Fortuna tibi?* 954 sqq. *non funesta violata manu | remigis ante, | mox et ferro lacerata diu | saevi iacuit victima nati?,* aut invidiae gratia,[3]) ut Agrippina 333 sqq. *haec . mihi pro tanto |*

---

[1]) Cf. Oct. 31 sq. *animum dolentis nostra solatur fides pietasque frustra,* i. e. ego fida piaque nutrix. Smith p. 46 Oct. v. 74 adtulit, ante commemoraverat Hf. 721 sq., Med. 243. L. Tachau vero in ephem., quae inscribitur ‚Wochenschrift f. class. Philologie‘ a. 1886, p. 105—108, ubi de Smithii dissertatione censuram egit, addidit Hf. 1026, Tro. 42, 91. adiciam Phaed. 262.

[2]) Cf. Quint. VIIII 2, 7 sqq.

[3]) Sunt Quintiliani verba, VIIII 2, 8 sqq.

*munere reddis praemia nate?,* aut miserationis, cf. 356 sq. *quid tibi saevi | fugisse maris profuit undas?,* 632 sqq. *heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea? | quo te furor provexit . . .?,* 676 sqq. *ubi Romani vis est populi?,* aut ubi respondendi difficilis est ratio ut v. 738 sq. *heu quid minantur inferum manes mihi | aut quem cruorem coniugis vidi mei?.* omnes fere quae in Octavia extant interrogationes sunt oratoris; cf. praeter eas, quas modo protulimus, in primis 73 sq. *cesset thalamis | inferre gradus tarda senectus?,* 644 sq. *quid tegere cesso Tartaro vultus meos . . .?,* 245 sqq. *tela cur frustra iacis . . .? | in tam nocentem dextra cur cessat tua?,* 285 sqq. *sancta quid illi | prodest pietas divusque pater | quid virginitas castusque pudor?,* 377 sqq., 665 sq., 806, 914 sqq. *quis me digne deflere potest | mala? quae lacrimis nostris questus | reddat aëdon?* qui locus apte cum eis comparari potest, ubi 'quis' cum nomine proprio coniunctum legitur, velut Hf. 1323—1326 *quis Tanais aut quis Nilus . . . abluere dextram poterit?*[1]) neque minus rhetoricum scribendi genus ex responsis elucet. nam quod Smith p. 54 de Senecae fabulis dixit: *neminem fugere poterit perquam raro ad interrogata simpliciter responderi, sed plerumque aut sententiis aut brevi quodam inopinatoque sensu aut ambigue aut ita ut is qui dicit callide vel se defendat vel adversarium vituperet,* in Octaviam quoque cadit. veluti Seneca ad Neronis verba (574) *prohibebor unus facere, quod cunctis licet?* non respondet *populus a te maiora exigit,* sed more scholastici: *maiora populus semper a summo exigit.* ea vero, quae secuntur usque ad v. 585, optime sententiarum usum demonstrant. alius respondendi generis, cum aliud interroganti ad aliud occurritur Quint. VIIII 2, 12, exempla ex Octavia petita iam Smith p. 55 protulit: vv. 177 sq. *vince obsequendo potius immitem virum.* [Oct.] *ut fratrem ademptum scelere restituat mihi?,* 789 sqq. *reddere penates Claudiae . . . parant torosque . . .* [chor.] *quos iam tenet Poppaea . . ?* his addi possunt: 185 sqq. [Nutr.] *vis magna populi est.* [Oct.] *principis maior tamen.* | [Nutr.] *respiciet ipse coniugem.* [Oct.] *paelex vetat.* | [Nutr.] *invisa cunctis nempe.* [Oct.] *sed cara est viro,* 455 [Ner.] *calcat iacentem vulgus.* [Sen.] *invisum opprimit,* 553 sqq., 582 sqq. al. saepe in Octavia sicut in Senecae fabulis (cf. Smith. p. 56) respondetur et illis interrogationibus, ubi is qui interrogat responsum omnino non expectat. ad exempla a Smithio ex Octavia adlata, dico 77 sqq. [Nutr.] *quis te tantis solvet curis, | miseranda, dies? |* [Oct.] *qui me Stygias mittet ad umbras* et 866 sq. [Praef.] *quis regere dementes valet?* [Ner.] *qui concitare potuit |,* adde 178 sqq. [Oct.] *ut fratrem ademptum scelere restituat mihi?* [Nutr.] *incolumis ut sis ipsa,* 574 sq., 849 sq., 857 sq., 863 sq. alia vero respondendi figura ea est, qua quis adversarii argumentum in suam rem con-

[1]) Cf. exempla a Smithio p. 53 congesta.

vertit,[1]) cuius figurae exempla praebere videntur vv. 532 sqq. [Ner.] . . *dignaque nostram subole fundaro domum.* [Sen.] *implebit aulam stirpe caelesti tuam | generata divo Claudiae gentis decus, | sortita fratris more Iunonis toros,* 870 sqq. [Praef.] *sed vim negavit (natura mulieri).* [Ner.] *ut ne inexpugnabilis | esset, sed aegras frangeret vires timor | vel poena.* figurae, quae adfectibus augendis sunt accommodatae, constant maxime simulatione; *(namque et irasci nos et gaudere et timere et admirari et dolere et indignari et optare quaeque sunt similia his fingimus* Quint. VIIII 2, 26). et harum figurarum exempla in Octavia haud rara sunt, veluti exclamationis 31, 169 *heu me,* 147 *pro facinus ingens!,* 150 *ei mihi,* 245 *pro summe genitor,* 496 *quae dementia est,* 963 *quid agis, demens!,* *ἀποστροφῆς* rhetorice adhibitae: 10 sqq. *genetrix, . . . tristes questus exaudi,* 59 *repetam luctus, Electra, tuos,* 134 sqq., 166 sq., 245 sqq., 333 sq., 356 sqq., 377 sqq., 618, 633 sqq., 806. eloquendi forma per anastrophen mutatur his locis:[2]) 24 sqq. *(illa) . . thalamis Stygios praetulit ignes | teque extinxit, miserande pater . . ,* 294 sqq. *illi reges hac expulerunt | urbe . ultique tuos | sunt bene manes,* 770 sq. *quos et Ledae praeferre potest | et tibi . . . Danae,* 887, 967. saepe etiam *προσωποποιΐα* cum apostropha coniuncta est: 18 sqq. *o lux semper funesta mihi | tempore ab illo | lux es tenebris invisa magis,* (57 sq. *o mea nullis aequanda malis | fortuna*), 392 sq. *nunc ades mundo, dies | supremus ille, qui premas,* 503 *quantum cruoris Roma tum vidit sui.* simplex *προσωποποιΐας* genus est 52 sq. *mittit*[3]) *immitis dolor consilia nostra,* 415 sq. *terram, laesa quae fruges suas | interius alte condidit sacro sinu,* 465 sq. *pertinax quorum furor | armat ministros . . ,* 490 sq. *quod nomen ut serves petit | suosque cives Roma commendat tibi,* 526 *metus,* 543 *dolor,* 676 sqq. *vis populi Romani,* 877 sqq. *populi favor,* 983 *Roma.* secum ipsa deliberans Octavia quasi duas fingit personas: v. 11 *gravior namque his fortuna tua est,* 662 sqq. *potes hoc demens sperare memor? . . victima . . cades . . quid . . respicis . .? propera efferre . . linque aulam,* 960 sqq. *quid iam frustra miseranda moror? | rapite ad letum quis ius in nos | Fortuna*

---

[1]) Hanc figuram Smith Rutilium Lupum secutus pro *συνοικειώσεως* specie habet. de figuris, quae sunt *ἔμφασις ἀλληγορία,* quas Smith p. 59 sqq. tractavit, iam supra egimus, cum de descriptionis ornamentis exposuimus. locis vero ad *occisos* vel *mortuos* pertinentibus, quos Smith p. 64 sqq. adtulit, 370 *utero dirum condat ut ensem* et 736 *ensem iugulo condidit . Nero,* adde 367 *reserat dominae pectora ferro* (cf. Tro. 1001 *reclude ferro pectus* et Ag. 305 *aperire ferro pectus*) et 172 sq. *membra et vultus . . . . . flamma fervens abstulit.*

[2]) Cf. Quint. VIIII 3, 24 *alterum quod est ei figurae sententiarum, quae ἀποστροφὴ dicitur, simile sed non sensum mutat verum formam loquendi: ,Decios Marios magnosque Camillos | Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar'.*

[3]) De huius versus scriptura postea disputabimus.

*dedit. testor superos* — | *quid agis, demens? parce precari* | *quibus invisa es numina divum.* | *Tartara testor.* qui versus quoque aptum subitae mutationis [1]) exemplum praebent. illusio inest in Agrippinae verbis: v. 333 sqq. *haec, exclamat, mihi pro tanto* | *munere reddis praemia nate?* | *hac sum, fateor, digna carina,* | *quae te genui* etc., 600 sqq. *reddita est meritis meis* | *funesta merces puppis et pretium imperi* | *nox illa*; Senecam vero Nero irridet v. 445 *praecipere mitem convenit pueris senem,* et *σαρκασμοῦ,* quem in respondendo verbis adversarii repetitis apud Senecam saepe fieri Smith p. 73 sq. ostendit, exemplum inesse videtur in vv. 460 sq. [Sen.] *quae consensus efficiet rata,* [Ner.] *despectus ensis faciet.* [2]) haec igitur de *διανοίας* figuris.

Quod ad figuras verborum *(λέξεως)* attinet (*B*), primum adiectionis, quae dicuntur, [3]) figurae tractandae sunt. geminatio, quae plerumque aut instandi et amplificandi gratia fit aut miserandi, instandi causa adhibita est Oct. 371 *hic est, hic est fodiendus*, miserandi gratia v. 23 *illa illa meis* . . *ἐπαναφορᾶς* vel *ἀναφορᾶς* exempla praebent vv. 7 sq. *vince Alcyonas,* | *vince,* 18 sqq. *o lux semper funesta mihi* . . . | *lux es,* 26 sqq. *modo cui totus paruit orbis* . . . | *cuique Britanni* etc., 93 sqq. *licet* . . ., *licet,* 118 sqq., 205 *modo* . . . *modo,* 245 sqq. *cur* . . . ? . . *cur* . . . ?, 285 sqq., 711 *quid* . . ? *quid* . . ?, 324 sqq. *alii* . . *alii,* 336 *quae te genui, quae tibi lucem (dedi),* 400 sq., 654 sqq. *non* . . , *non* . . , *non,* 610 sq. *matris* . . . *matris,* 632 sq. *quo labor, quo vota* . . ., *quo te furor provexit,* 638 *sine ullo scelere, sine sensu,* 802 sq. *reddat novam* | *reddat,* 815 sq. *fregit Danaos, fregit Atriden,* 837 sq. *hinc audacia* | *hinc temeritate fertur.* *πολύπτωτον* extat [4]) in vv. 138 sqq. *cui* . . . *qui,* 240 *haec* . . . *hic,* 333 sqq. *haec* . . ., *hac* . . , 476 *haec summa virtus, petitur hac caelum via,* 477 sqq. *ille* . . . *illum,* 554 sq. *quem* . . . *qui* . . , 690 sq. *quo* . . *quid* . . . ?, 738 sq. *quid* . . . *quem* . . . !, 778 sq. *quis* . . *quid* . . ?, 899 *quo* . . *quod* . . ?, 914 sq. *quis* . . . ? *quae* . . ? *cuius* . . . . 931 sq. *quid saevior est Fortuna tibi?* | *tu mihi primum* . . . . *memoranda* [5]) . . saepe etiam ea figura invenitur, quae fit in eisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum [6]) cf. vv. 260 *quae nupta demens nupsit,*

---

1) Cf. Smithium p. 72 sq.

2) De horum versuum scriptura postea accuratius exponemus.

3) Cf. Quint. VIIII 3, 27 et Volkmannum p. 397.

4) Cf. Quint. VIIII 3, 37 *fit casibus modo hoc schema, quod πολύπτωτον vocant. constat et aliis etiam modis* . . .

5) Cf. Quint. VIIII 3, 44 *prioris sententiae verbum ultimum ac sequentis primum frequenter est idem.*

6) Sunt Quintiliani verba VIIII 3, 42 prolata. *declinatio* haec figura nominatur in carm. de fig. vv. 94 sqq.

288 *nos quoque nostri sumus immemores (ducis),* 291 sq. *vera priorum virtus quondam | Romana fuit, verumque genus,* 439 *caesi referat abscisum caput,* 536 *incesta genetrix detrahit generi fidem,* 600 sq. *reddita est meritis | meis funesta merces.* eius vero figurae, quae fit, cum primis ultima verba respondent [1]) exemplum legitur vv. 137 sq. *frustra parentis invocas manes tui, | miseranda frustra, nulla.* hic illic ab ea persona, quae respondet, alterius verba iterantur, cf. 179 sqq. [Nutr.] . . *labentem ut domum | genitoris olim subole restituas tua.* | [Oct.] *expectat aliam principis subolem domus . . .,* 857 sq. [Praef.] *poenam dolor constituet in cives tuos?* | [Ner.] *constituet . . .,* 864 sq. [Praef.] *femina hoc nomen capit?* | [Ner.] *si scelera cepit.* sed iam ad alterum λέξεως figurarum genus, ad dissolutionis [2]) quae dicuntur figuras transeamus. saepissime coniunctiones non ponuntur, ita ut figura, quae ἀσύνδετον dicitur, statuenda sit, cf. vv. 39 *(cuius imperio fuit) subiectus orbis, paruit liber diu (Oceanus),* 41, 52, 61 sq., 102 sqq. *genetrice caesa, per scelus rapto patre, | orbata fratre, miseriis luctu obruta, | maerore pressa, coniugi invisa . .,* 120 sq., 150 sq., 161 sq., 199 sq., 222 sq. *ignis undae, Tartaro tristi polus, | lux alma tenebris, roscidae nocti dies,* 236, 240, 261, 409 sqq., 431 sqq., 472 sqq., 562 sq. *gignitur, nutritur,* 676 sqq., 712 sqq., 730 sq., 795, 830 sq., 851 sq.; cumulantur adiectiva substantiva verba, velut vv. 143 sq. *caedes doli regni cupido sanguinis clari sitis,* 168 *sidus orbis columen augustae domus,* 176 *dolor ira maeror miseriae luctus dabunt,* 199 sq., 261, 500 sq., 506, 547 *probitas fidesque coniugis mores pudor,* 562, 615 sq. *petit instat minatur imputat . . poscit,* 645 *noverca coniunx mater,* 742 *coniugem thalamos toros,* 832 sq. *ignes ruinae . . . turpisque egestas saeva cum luctu fames,* 884 sqq. *genere illustres, | pietate fide lingua claros, | pectore fortes, legibus acres,* 938 sqq. *exilium | verbera saevas passa catenas | funera luctus tandem letum.* πολυσύνδετον extat in vv. 157 sq. *quis tot referre facinorum formas potest | et spes nefandas feminae et blandos dolos,* 423 sq., 631 *desertus ac destructus et cunctis egens,* 741 sq. *sacer et arcanus refert | veloxque sensus.* cum his vero figuris, ἀσύνδετον dico vel πολυσύνδετον, saepe συνωνυμία coniuncta est. cuius figurae exempla habes etiam vv. 39 sq. *paruit liber diu | Oceanus et recepit invitus rates,* 116 sq. *membra cum solvit quies et . . lumina oppressit sopor,* 142, 153 sq. *dira cui genetrix facem | accendit et te iunxit invitam metu,* 243 sq. *et lucem vidit | fruiturque vita noxiam atque animam trahit,* 245 sqq., 256, 276 sqq. ἀντίθεσιν quoque, quod genus Senecae temporibus omnes sectatos esse iure Smith p. 92 adfirmat, Octaviae scriptor saepe-

---

[1]) Cf. Quint. VIIII 3, 34. Smith quoque p. 87 hoc exemplum adtulit.

[2]) Cf. Quint. VIIII 3, 50 *et hoc autem exemplum et superius, aliam quoque efficiunt figuram, quae quia coniunctionibus caret, dissolutio vocatur.* Volkmann p. 402, Smith p. 88 sqq.

numero adhibuit, cf. vv. 37 *modo praepotentem cernat eversam domum,* 39 *paruit liber,* 139 sq. *qui nato suo | praeferre potuit sanguine alieno satum,* 118 *armat infirmas manus,* 212 *cuius gener est, qui fuit hostis,* 455 sqq. *calcat iacentem vulgus — invisum opprimit — ferrum tuetur principem — melius fides,* 578 sqq. al. *ὁμοιοτέλευτα* et *ὁμοιόπτωτα*, quae in Octavia saepissime obviam fiunt sicut in Senecae fabulis, magna ex parte fortuita esse videntur,[1]) veluti v. 7 *aequoreás* | .. *Alcyonás,* 11 .. *meórum* | .. *malórum,* 20 . *tenebrís* | . *magís* | , 21 . *saevác* |.. *novercáe* | , 23 .. *meis* | .. *Erinýs* | , 57, 77, 79, 91, 201 al. *ἰσοκώλου* et *παρίσου* figurarum exempla esse possunt vv. 41 sq. *en qui Britannis primus imposuit iugum | ignota tantis classibus texit freta,* 89 sqq. *odit genitos sanguine claro, | spernit superos hominesque simul | nec fortunam capit ipse suam,* 98 sq. *animi retine verba furentis | temere emissam comprime vocem,*[2]) 443 sqq. *extinguere hostem maxima est virtus ducis. | servare cives maior est patriae patri* . . . . . 829 sq. *tandem dolori spiritum reddat meo | iramque nostram sanguine extinguat suo,* 934 sq. *nata Agrippae, nurus Augusti, Caesaris uxor.* sequitur *παρονομασία*, quae adnominatio latine dicitur. exempla eius sunt: vv. 52 *mittit immitis dolor,* 133 *captat caput,* 260 *nupta* .. *nupsit,* 393 *supremus, qui premas,* 439 *caesi* .. *abscisum caput,* 459 *iussis pareant — iusta impera,* 467 sq. *favor* ... *qui fovet,* 536 *genetrix detrahit generi fidem,* 600 sq. *reddita est meritis* ... *merces,* 671 sqq. *cessit* ... *cessat,* 889 *texere suae nec tecta domus.* *λιτότης* extat in v. 105 *luce non grata fruor,* 439, 805 *iussa haud morabor.* nec desunt aliarum similis generis figurarum exempla, velut *ζεύγματος*[3]) vv. 291 sqq. *vera priorum virtus quondam | Romana fuit verumque genus | Martis in illis sanguisque viris,* 629 sq. *veniet dies tempusque, quo reddat suis | animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,* *συλλήψεως*, cf. vv. 32 sq. *servit domus capta,* 317 *fertur in altum provecta ratis,*[4]) 699 sq. *vidit attonitus tuam | formam senatus.* qua cum figura saepe *πρόληψις* coniuncta est; cf. vv. 269 *prodidit lapsam domum,* 565 *brevique vires perdit extinctus*

---

[1]) Sunt homoeoteleuta, quae in *κώλων* finibus audiuntur. etiam in senariis ultimis hic illic talia inveniuntur, cf. 257 sq. *domús, Venús,* 406 sq. *minús, genús,* 410 sq. *graví, leví,* 424 sq. *manús, decús,* 627 sq. *petánt, feránt.* sed neque Seneca (cf. Smithium p. 95) neque Octaviae scriptor de verbis in versuum clausulis ponendis curam adhibuit, cf. Oct. 734 sq. *timór, tremór, timór*; vv. 716, 718, 722, 727, 729, 730 in pronominis *meus* formas exeunt, 829 sq. *meó, suó.*

[2]) Aptum exemplum praebere videntur vv. 164 sqq. *miscuit coniunx viro | venena saeva, cecidit atque eadem sui | mox scelere nati.*

[3]) Cf. Smithium p. 99.

[4]) Smith ex Octavia profert hoc *συλλήψεως* exemplum: v. 439 *referat abscissum caput,* sed *abscisum* non *abscissum* scribendum esse ex verbo antecedenti *caesi* patet; est enim *παρονομασία*.

*suas,* 626 sq. *mittat immensas opes | exhaustus orbis.* his omnibus figuris Octaviae ut Senecae fabulis color ille rhetoricus induitur.

Quae Quintilianus VIIII 4 de compositione exponit (tractat eo loco ordinem coniunctionem numerum scribendi genera), ea praecipue ad oratores spectant, non ad versuum scriptores. sed hac quoque in re rhetoricum dicendi genus, quo Seneca in tragoediis usus est, cognosci potest, id quod Smith p. 101 sqq. ostendit (5). exemplis ab eo ex Senecae fabulis prolatis sat multa ex Octavia adiungi possunt. veluti eius quoque scriptor saepe voculam *non* in sententiae initio posuit, quod oratorum est; cf. vv. 81, 238, 400 sq. *non bella norant, non tubae fremitus truces, | non arma gentes,* 512, 650, 954. inter ἀντιθέσεως exempla, quae etiam propter vocabulorum ordinem notanda sunt, adferri possunt: 222 sqq. *iungentur ... sideribus freta | et ignis undae, Tartaro tristi polus, | lux alma tenebris, roscidae nocti dies,* 714 sq. *dies | sideribus atris cessit et nocti polus* al. apte in his versibus voces inter se oppositae coniunctae sunt, sicut v. 127 *Stygiae parentem natus imposuit rati,* 164 *miscuit coniunx viro venena saeva.* quod denique ad compositionis genera[1]) adtinet, Octaviae scriptor non tam longis quidem atque artificiosis periodis utitur, quales hic illic apud Senecam leguntur,[2]) at membratim caesimque[3]) aeque bene ac Seneca scribit. cf. praeter vv. 222 sqq. modo adlatos vv. 102 sqq. *genetrice caesa, per scelus rapto patre, orbata fratre, miseriis luctu obruta, maerore pressa, coniugi invisa,* 240 sqq., 320 sqq., 400 sqq., 409 sqq., 420 sqq., 485 sqq., 515 sqq., 615 sqq. al. ex his omnibus vero, quae Smithii dissertationem secuti ex Octavia protulimus, manifestum esse puto huius tragoediae scriptorem doctrina rhetorica quam maxime imbutum fuisse, id quod etiam ex singulis rebus ad usum[4]) scholasticum pertinentibus adparet; cf. Smithium, qui in tertio libelli sui capite singulas res, quae ad usum scholasticum spectant, tractavit; et cum exemplis ab illo ex Senecae fabulis congestis nonnulli Octaviae loci componi possunt, quos iam proferam: generalitas rhetorica[5]) fortasse statuenda est Oct. v. 575 *maiora populus semper a summo exigit,* quibus Seneca respondet ad Neronis verba: *prohibebor unus facere, quod cunctis licet?* divisio[6]) autem extare videtur in vv. 645 *noverca coniunx mater infelix meis,* 828 *suspecta coniunx et soror*

---

[1]) Cf. Smithium p. 104.

[2]) Exempla nonnulla adfert Smith p. 104.

[3]) Sic enim Quintilianus oratorem scribere iubet.

[4]) De qua re praeter Smithii dissertationem ea conferenda sunt, quae Leo vol. I pp. 149—159 exposuit.

[5]) Cf. Smithium p. 106 et Leonem I p. 149 sqq.

[6]) Divisio statuenda est, si una persona, de cuius pluribus adtributis cogitatur, in plures quasi dividitur; cf. Smithium p. 111.

*semper mihi.* saepius in Octavia nomina diversi generis, veluti abstractum et concretum, coniuncta leguntur[1]); cf. vv. 285 sq. *sancta quid illi | prodest pietas divusque pater?,* 291 sqq. *virtus . . genus . . sanguis,* 423 *neglecta terras fugit et mores feros,* 527 *armis fideque militis tutus fuit,* 596 sq. *quas vindex manus | dolorque matris vertet ad tristes rogos,* 616 sq. *imputat fatum mihi | tumulumque nati,* 629 sq. *reddat . . animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus.* adseverationum exemplis, quae Smith p. 114 collegit, adiungendi sunt Oct. 86 sqq. et 222 sqq. contrariorum coniunctio, quae fit, ut universum genus comprehendatur,[2]) invenitur Oct. 680 *iussit bellum pacemque.* videndi verbum oratorum more (cf. Smithium p. 115 sqq.) adhibitum est Oct. 16 *tua quam maerens vulnera vidi,* 231 sq. *vidimus caelo iubar,* 310 *haec quoque nati videre nefas,* 699 sq. *vidit attonitus tuam | formam senatus,* 739 *quem cruorem coniugis vidi mei?.*

Haec fere sunt, quae adferenda mihi videbantur, ut adpareret in Octavia eandem quam in Senecae fabulis artem rhetoricam conspici. qua ex re etiam similitudo, quam in dicendi genere inter Octaviam et ceteras fabulas intercedere vidimus, magnam partem explicanda est. rhetoricus vero color, quem eundem in omnibus fabulis Senecae adtributis conspicimus, nos quasi monet, ne statuamus Octaviae scriptorem diverso ab illo tempore vixisse.

Restat, ut de rebus prosodiacis metricisque agamus. quas breviter absolvere possumus, quoniam omnia fere quae alicuius momenti sunt iam alii[3]) explicaverunt. ante omnia commemorandum est in Octavia solos senarios iambicos et anapaestos se excipere, quod vel maxime mirum esset, si ea re vera posterioribus temporibus composita esset ab homine, qui Senecae fabulas imitandas sibi sumpsisset. quod autem ad res prosodiacas adtinet, Octaviae scriptor prorsus easdem atque Seneca leges sequitur una re excepta; v. 273 enim (*quae fámă mŏdŏ venit ad aures*) particula *modo* vocalem finalem, quae ut in Senecae tragoediis ita reliquis huius fabulae locis, quibus ea particula extat,[4]) correpta est, pro-

---

[1]) Exempla ex Senecae fabulis congessit Smith p. 112 sq., ex aliis quoque poetis Leo I p. 197 sqq.

[2]) Sunt Smithii verba, quae ille p. 114 protulit.

[3]) In primis nominandi sunt B. Schmidt *De emend. Sen. trag. rat. pros. et metr.* et L. Mueller *De re metrica p. lat.* Schmidtium secutus est Gustavus Richter, qui in diss. *De Seneca tragoediarum auctore,* p. 3 sqq. ea congessit, quae in Octavia a reliquis fabulis diversa extant. nonnulla addidit Fr. Leo in vol. I capp. IIII et VI, quibus de Hercule Oetaeo et de Agamemnone disputavit. consulto omisi M. Hochium *Die Metra des Tragikers Seneca;* nam quae ille protulit, plerumque falsa sunt aut ex Schmidtii libello desumpta; cf. quae L. Mueller in censura opusculi ab Hochio conscripti disputavit Ann. phil. LXXXVIIII p. 473 sqq.

[4]) Cf. Schmidtium p. 30.

ductam habet. quod num ex scriptoris neglegentia explicari possit, dubium est; nam nusquam alibi eum in rebus prosodiacis vel metricis peccasse constat. qua de causa Richter[1]) cum L. Muellero statuit Octaviae anapaestos solis monometris esse describendos. sed etiamsi concedimus in Octavia particulam *modo* iambi mensuram adeptam esse, tamen hoc non posterioris temporis indicium est[2]); nam in similium vocum mensura ipse Seneca sibi non constitit, veluti apud eum *sero* et spondeum efficit et trochaeum, *subito* tribrachi vel anapaesti mensuram habet,[3]) in senariis iambicis autem Octaviae scriptorem et Senecam easdem leges observasse constat;[4]) nam praeter unum hiatus exemplum, quod mihi quidem in v. 516 *tristes Philippi. hausit et Siculum mare*[5]) adesse videtur, nihil singulare in Octaviae senariis invenitur; immo is qui hanc fabulam composuit in nonnullis licentiis admittendis etiam cautior fuit quam ipse Seneca.[6]) aliter sane res se habet in versibus anapaestis. in Octavia enim hiatus et syllaba anceps in media sententia multa saepius inveniuntur quam in singulis reliquis fabulis. nam in septem prioribus fabulis, si certa tantum exempla respiciuntur, haec licentia sexies decies circiter admissa est, in Agamemnone undecies, in Hercule Oetaeo decies, in Octavia autem duodevicies.[7]) sed ante omnia considerandum est anapaestorum versuum numerum in Octavia multo maiorem esse quam in ceteris fabulis. nemini igitur mirum videbitur, quod licentia illa, quae in Agamemnone undecies occurrit, ab Octaviae scriptore duodevicies admissa est, si reputaverit in hac anapaestorum numerum fere duplicem esse. ceterum ne id quidem pro certo adfirmari potest Octaviae scriptorem Graecorum legem, qua anapaesti synaphia quae dicitur coniuncti uno quasi tenore decurrant, respexisse, praesertim cum ipsum Senecam non severam anapaestorum conectendorum normam sibi scripsisse constet.[8]) neque inde, quod in Octavia viginti duo monometri inveniuntur, quorum octo in

---

[1]) Cf. eius diss. p. 5; statuit hoc quoque propter magnam frequentiam licentiarum in versuum structura extantium.

[2]) Iambi mensuram vox *modo* apud Lucretium habet; cf. Lachmanni adn. ad Lucr. II v. 1135.

[3]) Cf. B. Schmidtii diss. p. 30. nihil igitur ad rem facit, quod poetae christiani voces in *a, o, i* exeuntes ambigua adhibuerunt quantitate, cf. L. Muelleri de re metr. p. 335.

[4]) Cf. praeter Schmidtii diss. tabulas a Richtero p. 16 sq. propositas.

[5]) De hoc versu postea disputabimus; multi enim homines docti scripturam in codicibus traditam genuinam esse negarunt.

[6]) Cf. Richteri diss. p. 3 sq.

[7]) Cf. F. Leonem vol. I p. 98 et Schmidtii diss. p. 61 sq., ubi omnia fere, quae huc spectant, collecta sunt. Octaviae locos praeter Schmidtium Richter p. 5 enumeravit.

[8]) Cf. Leonem vol. I p. 98.

media sententia positi sunt — in reliquis fabulis non plus quadraginta extant — aliud concludi potest quam quod Leo conclusit[1]), Octaviae scriptorem hac in re arte prorsus diversa usum esse, nisi forte cum L. Muellero statuere mavis cantica anapaestica solis monometris esse describenda. ea igitur quae in rebus prosodiacis et metricis a Senecae fabulis diversa extant in hac fabula perpauca sunt nec demonstrant eam multo post reliquas fabulas esse compositam.[2]) id quod iam L. Mueller, sagacissimus ille rerum metricarum aestimator, his ipsis rebus in examen vocatis statuit.[3]) quae cum ita sint, ex hac quoque parte eorum sententia non probabilis fit, qui Octaviae scriptorem multo post Senecam vixisse contenderunt.

Sed iam in eo est, ut totius disputationis summam faciamus.

Eorum sententia, qui Octaviam multo post Senecae Neronisque tempora scriptam esse statuerunt, nulla ex parte probabilis est. omnia enim quae illi protulerunt argumenta nihil prorsus valent. si res gestas, quae in hac fabula commemorantur, spectamus, non est cur poëtam Neronis tempora ipsum vidisse negemus; ex Tacito eum sua desumpsisse ab vero abhorret. neque porro rationibus metricis adducimur, ut Octaviam alia quam ceteras fabulas aetate compositam esse cogitemus. accedit quod intellegi non posset, cur quis, qui multo post Senecam eius fabulas imitandas sibi sumpsit, argumentum prorsus diversum tractandum sibi elegisset. incredibile igitur est posterioribus temporibus quemquam nescio quae rerum scriptorum opera et Senecae scripta hunc in finem perlegisse, ut talem tragoediam rhetoricam conficeret, neque tamen ulla in re posterioris illius aetatis indicium praebuisse. iam propter id ipsum, quod Octaviae, Neronis uxoris, misera sors hac fabula tractatur, statuendum est eam paullo post Neronis exitum, quo tempore eius odium in hominum animis admodum ardens erat, scriptam esse. nam quomodo, quaeso, postea alicui in mentem venire potuit huius gentis Iuliae feminae sortem describere? itaque ea aetate — dico Flaviorum — Octaviam

---

1) Cf. Leonem vol. I p. 101.

2) Quodsi Richter ed. praef. p. XIII contendit Octaviam propterea etiam ante Frontonis aetatem scribi non potuisse, quia rationes metricae nos adducant, ut statuamus eam post Herculem Oetaeum conscriptam esse, id falsum est. nam etiamsi re vera Herculis Oetaei fabula sive tota sive ex parte a Seneca non conscripta est, certe nulla adest causa, cur eam eodem tempore quo ceteras tragoedias compositam esse negemus. ceterum cf. quae ille paullo antea praef. p. XII scripsit: *Octaviae anapaesti severiorem normam secuntur Boethianis. nam ut Boethius dimetrorum anapaesticorum partem posteriorem adonio effici iussit in duabus omnium versuum partibus* ($^2/_3$), *Octaviae auctor, ne modum in Senecae tragoediis servatum transiret, adonio in tertia tantum anapaestorum parte* ($^1/_3$) *locum concessit.*

3) Cf. p. 53.

compositam esse propter alias quoque causas sumamus necesse est. res gestae enim a poëta ita commemorantur, ut eum Neronis tempora vidisse veri simillimum sit. scimus deinde Flaviorum aetate fabulas praetextas confectas esse, id quod de posterioribus temporibus non constat. comperimus Senecae scripta eius ipsius aetate et paullo post hominibus valde placuisse. eum enim adulescentes in rhetorum scholis lectitabant, eum amabant, eum imitabantur. totum denique dicendi genus, quod in Octavia conspicitur, nos cogit, ut statuamus eam non diversa aetate scriptam esse a Senecae fabulis, quibuscum in codicibus coniuncta est. certum quidem annum, quo ea condita sit, definire quis quaeso ausit? nullus enim in ea extat locus, qui in hac re alicuius sit momenti. certe Meiser, qui[1]) a. LXVIIII vel LXX eam confectam esse statuit, falsus est, ut mihi quidem videtur. opinatus enim est Octaviae scriptorem propter res a. LXVIIII/LXX gestas Neronem bella civilia post Caesaris mortem facta describentem atque Senecam Augustum ut pacis auctorem laudibus extollentem fecisse. neque casu factum esse, ut tragoedia verbis *civis gaudet Roma cruore* finiretur. sed ut Augusti mentio fieret, ea, quae Seneca De Clem. I 11 protulit, in causa fuerunt et ultima tragoediae verba *civis gaudet Roma cruore* rhetorice opposita sunt eis, quae antecedunt *hospitis illic caede litatur | numen superum.* neque si concedimus poëtam ultima tragoediae verba scribentem annos LXVIIII vel LXX respexisse, fabulam illo ipso tempore confectam esse statuere licet, praesertim cum per se parum veri simile sit turbulentis illis annis talem tragoediam quemquam scripsisse. quis autem hanc praetextam composuerit, equidem decernere nolim. Ritter quidem eam Curiatio Materno, quem Flaviorum temporibus fabulas praetextas composuisse scimus, adtribuit, sed hanc sententiam certis argumentis probare non potuit. ceterum Maternum eius modi carminibus, qualis est Octavia,[2]) gloriam illam consecuturum fuisse, quam eum adeptum esse ex eis adparere videtur, quae Tacitus in dialogo de orat. (c. 11) eum ipsum dicentem fecit: *et hodie si quid nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror c a r m i n u m quam orationum g l o r i a partum,* mihi quidem veri simile esse non videtur. id potius persuasum habeo tragoediam ab homine rhetorica arte imbuto conscriptam esse. et fortasse, id quod iam supra significavimus, in rhetoris cuiusdam schola haec

---

[1]) Cf. p. 18.

[2]) Saepe, ut unum proferam, eadem repetuntur, velut Claudii Agrippinae Britannici caedes; cum Iunone Octavia comparatur vv. 219 sq., 283, 535; ingrata est eorundem verborum intra paucos versus iteratio, cf. vv. 33, 34 *capta — captus,* 159, 160 *gradus,* 86, 87 *saevos, saevi,* 602, 604 *deflevi, deflere,* 603, 605 *nefas,* 691, 693 *petis, petitus,* al. quamquam eius modi molestae repetitiones apud alios quoque poëtas, veluti Statium, deprehenduntur.

fabula recitata est. quonam autem tempore ea cum ceteris fabulis in unum corpus coniuncta sit, ad liquidum perduci nequit. coniecit quidem Richter[1]) ab eo, qui archetypum librorum recensionis *A* exarasset, Octaviam esse receptam, quod Leo probavit.[2]) qua de re ob hanc causam certum iudicium proferri non potest, quia recensionis *E* unus codex Etruscus extat. scimus tantum Octaviam auctoris nomine deperdito propter rhetoricum scribendi genus et fortasse propterea etiam, quod in ea ipse Seneca inducitur, cum fabulis eius coniunctam esse. quodsi Herculis Oetaei fabulam a Seneca scriptam esse iure negatur, totum corpus tragoediarum, quae Senecae nomen prae se ferunt, nihil aliud est quam corpus tragoediarum scholasticarum uno vinculo, Senecae ut gravissimi talium fabularum scriptoris nomine, coniunctarum. sed utcumque haec res se habet, id probasse nobis videmur Octaviam paullo post Neronis mortem, primis Flaviorum temporibus, conscriptam esse ab homine quodam scholasticorum doctrina imbuto.

1) Cf. praef. p. XIII.
2) Cf. Hermae X 439 sq. et ed. vol. I p. 1, adn. 3.

# ADPENDIX.

Reliquum est, ut de nonnullis Octaviae locis agam, in quibus constituendis Leonem non secutus sum.

Quod ad libros manu scriptos adtinet, in quibus Octaviae fabula extat, omnes — et numerus eorum satis magnus est — ex uno deterioris recensionis (*A*) libro originem traxerunt neque ullus ceteris ita praestat, ut eum tamquam ducem in oratione constituenda sequi possimus. quodsi Leo[1]) contendit codices *M* (Ambrosianum) et *N* (Vaticanum) proxime ad Octaviae librorum archetypum accedere, monendum est ne uno quidem Octaviae loco in solis his codicibus genuinam scripturam extare. quare quae in ceteris libris leguntur, pariter respicienda esse videntur. ceterum librorum, qui ad hoc tempus usque aut nondum collati sunt aut neglegenter excussi, non parvus est numerus. patet autem his tantum inspectis fore, ut qui codices proxime ad archetypum accedant statuere liceat. sed iam ad singulos versus breviter tractandos adgrediamur.

Vv. 34 sqq. sic in codicibus leguntur: *fulgore primo captus et facili* (nonnulli *fragili*) *bono* | *fallacis aulae quisquis attonitus stupet, subito* (vel *sub uno* vel *sub imo* vel *uno*) *latentis ecce fortunae impetu* | *modo praepotentem cernat eversam domum.* verba, quae in v. 34 ultimo in plerisque libris extant, *facili bono* ferri nequeunt, sed nulla fere mutatione facta *fragili bono* restitui potest, quod non inepte dictum est de regno, cf. Tro. 5 sq. *quam fragili loco* | *starent superbi* et Oed. 6 *quisquamne regno gaudet? o fallax bonum.* editores igitur praeter Leonem omnes hanc scripturam receperunt. Leo autem verbis *facie nova* versum finiri voluit Buechelerum secutus, qui *facie* pro *facili* scribendum esse coniecerat;[2]) neuter vero, quid in scriptura *fragili bono* displiceret, exposuit. id quod fecit Baehrens,[3]) qui duabus de causis scripturam *fragili bono* abiciendum esse contendit: primum hic hominem in rebus aulicis novum et spectaculo

[1]) Cf. praefatiunculam, quam Octaviae praemisit II 339 sqq.

[2]) Cf. Hermae X 430 adn. 1. adicere poterat Leo Hf. 814, ubi pro *bono(s),* quod in codicibus extat, Buecheler *novos* scripsit.

[3]) Cf. Misc. crit. p. 115.

insolito obstupefactum designari, fragili bono aulae autem neminem attonitum dici posse nisi eum, qui summam rerum aulicarum vanitatem penitus perspexerit. deinde numerum singularem *bono* non recte adhibitum esse de regia fortuna. quam ob rem *cultu bona* scribendum esse opinatus est. sed quae Baehrens contra scripturam *fragili bono* profert, vix apta ad persuadendum mihi videntur. nam *fallacis aulae bono attonitus* i. e. *obstupefactus* dici non potest nisi is, qui rerum aulicarum, ut Baehrensii verba repetam, vanitatem perspectam non habet. sane is, qui stupet, nescit fulgorem illum primo tantum obtutu oculos obcaecare, nescit regni bonum fragile, aulam fallacem esse; nam si ea sciret, non stuperet. sed nutrix, quae res optime cognitas habet, adicit haec adtributa: *primo, fragili, fallacis.* singularis numerus autem offensioni esse nequit, cum verba *bono fallacis aulae* nihil aliud significent quam quod apud Senecam Oed. 6 legimus *o fallax bonum (regni).* ceterum necesse non est cum Baehrensio coniungere *bono attonitus*: immo ablativus ad participium *captus* pertinere videtur.[1]) coniectura vero a Baehrensio dubitanter prolata *cultu bona* infelicissima est, cum coniunctio verborum *fulgore primo captus et cultu* ne in Octaviae scriptore quidem ferri possit; Buecheleri autem et Leonis coniecturae ideo reiciendae sunt, quia scriptura *fragili bono,* quae ex re palaeographica[2]) non minus adridet, quam quod illi protulerunt, sensui multo magis convenit quam *facie nova* vel simile quid. desideramus enim aliquid, quod ex nutricis sensu dictum fragilitatem regiae condicionis, si ita dicere licet, aperte significet. melius igitur, ni fallor, fecisset Leo, si cum ceteris editoribus *fragili bono* scripsisset.

Vario modo v. 36 initium in codicibus exaratum esse vidimus, sed patet *subito* scribendum esse. nam quod in multis libris extat *sub uno* propter metrum ferri nequit, codicum *M* et *N* scripturam autem *uno* ex coniectura Itali cuiusdam natam esse manifestum est. quam facile vero ex *subito subuno* existere potuerit, vix est quod ostendam. quaeritur autem, num vox *latentis,* quam omnes codices praebent, genuina haberi possit. ex Raphelengii enim coniectura Gronovius Bothe Ritter Richter *labantis* pro *latentis* receperunt, quod Leoni aeque ac tradita scriptura displicuit ita, ut *involantis* scribendum esse coniceret haec disputans:[3]) *ad Fortunam non ipsam corruentem, sed impetu suo domum stirpemque*

---

[1]) *Attonitus* cum verbo *stupet* coniugendum est; cf. Oct. 699 *vidit attonitus,* Phaed. 729 *linquit attonitus,* Oed. 1004 *attonita et furens abstulit,* HO. 1024 (Phoen. 423) *attonita fugit.* uno loco *attonitus* cum ablativo coniunctum legitur: Thy. 676 sq. *saepe simulacris domus | attonita magnis.*

[2]) Quod si statuimus litteram *r* intercidisse, quomodo ex *FAGILI* ortum sit *FACILI,* nemo non intellegit.

[3]) In *mantisa vindiciarum,* quae inserta est vol. II 375 sqq.

*Claudi evertentem illud 'labantis' non quadrat . . . quod traditum est 'latentis', ut recte traditum sit, dubitandum erit de Fortuna; apte enim ultor aliquis daemon diceretur λανθάνειν ὑπ' ὄλβῳ τῷ ὑπούλῳ: non apte Fortuna, quae non est mala fortuna, sed dea bonorum aeque ac malorum auctor.* et iure quidem Leo illud *labantis* reiecisse videtur, non recte vero scripturam traditam. Fortuna enim hic cum hoste comparatur in necopinantem Claudi domum subitum impetum faciente. talem vero impetum ex latebris fieri non prorsus inepte dictum esse censeo; nam hoc participium *latens* significat. neque in praesenti tempore offendendum est, quia uno temporis momento haec omnia fieri a scriptore finguntur,[1]) qui ad *praepotentem* particulam *modo* addidit, quam ad *latentis* adicere omisit. quae cum ita sint, scripturam *subito latentis ecce Fortunae impetu* genuinam esse iudico.[2])

Paullo post codices exhibent vv. 46 sqq. *maeret infelix soror | eademque coniunx nec graves luctus valet | ira coacta tegere crudelis viri | quem* (vel *quam* vel *qui;* in nonnullis libris pronomen relativum omnino non legitur) *secreta refugit semper atque odio pari | ardens mariti mutua flagrat face.* quod ante *secreta* legitur *quem* (*quam, qui*), ex compendio quodam non satis claro (q; vel simili) natum esse adparet. tamen ante Bothium omnes neglecta hac vocula scripserunt *ira coacta tegere. crudelis viri | secreta refugit semper:* Bothe vero verbis *crudelis viri* cum voce *ira* coniunctis scribendum esse censuit *ira coacta tegere crudelis viri, quae scelera r. s.* similique modo Baehrens *viri, quem spreta ref. s.* et Leo *quem sancta ref. s.* sed non video, cur *secreta* corruptam esse statuamus. nam bene se habet sententia *crudelis viri secreta semper refugit.* in toto sententiarum conexu, modo *secreta* eodem sensu[3]) sumas, quo exempli gratia adhibitum est apud Tac. Ann. XIII 12 *penitus inrepserat* (Acte) *per luxum et ambigua secreta,* Sueth. Oth. 3 *omnium autem consiliorum secretorumque particeps* (Otho), Hist. Apoll. Reg. Tyr. p. 6 Z. 12 [Riese] c. VII *Thaliarche secretorum fidelissime minister.* nam Octavia non Neronis, sed sua ipsius ira coacta graves luctus tegere non valet, ut mihi quidem videtur. quare eos codices nos sequi debere arbitror, in quibus v. 49 a voce *secreta* initium capit, et in plerosque libros illud *quam (quem, qui)* casu quodam inrepsisse statuere.[4]) verba sequentia

[1]) Simili modo praesentis temporis participium adhibitum videtur in Horatii Carm. I 12, 53 sq. *ille seu Parthos Latio imminentes | egerit iusto domitos triumpho.*

[2]) Vix digna, quae commemoretur, est Baehrensii coniectura p. 115 prolata scribentis: *sub uno inanis ecce fortunae impetu.*

[3]) Aliam significationem *secretum* Oct. 691 *quidve secretum petis* habere patet.

[4]) *q;* potuit ex v. 47 initio (*eademque coniunx*) vel ex eodem versu (*atque odio*) huc transferri.

*atque odio pari ardens mariti mutua flagrat face* in codicibus depravata extare patet; nam ea ad Neronem spectare voces *odio pari* docent. si autem codicum scripturam respicimus, de Octavia haec omnia dicta sunt. qua de causa iam Gronovius scribi iussit *atque odio pari ardet maritus; mutua flagrant face,* Bothe coniecit *amens maritus mutua flagrat face,* Richter proposuit *atque ira pari | ardent mariti, mutua flagrant face.* uterque voces *mutua face* de odii face intellegendas esse statuit. aliter vero Ritter iudicavit, qui ad v. 50, quem sic scripsit *ardens maritus mutua f. f.,* haec addidit: *Nero princeps in uxorem suam pari odio atque Octavia in ipsum ardet, sed idem mutua face flagrat. hoc est aliam amat ab eaque vicissim amatur: quippe postremis verbis amor Neronis et Poppaeae Sabinae significatur, in quo totius fabulae argumentum praecipue versatur. fax est amoris* .. itemque Baehrens et Leo ultimis v. 50 verbis scriptorem Neronis amorem in Poppaeam Sabinam significasse persuasum habent. cum autem intellexissent verba *mutua face* ita accipi non posse, Baehrens coniecit *maritus aemula flagrat face,* Leo ex coniectura recepit *maritus impia fl. f.* sed ut omittam vix credibile esse scriptorem rem, in qua totius fabulae argumentum versatur, tam obscure atque obiter tantum commemoraturum fuisse, mihi quidem illi non recte statuisse videntur eum hoc loco Poppaeae Sabinae mentionem inicere debuisse. nam si scriptor Neronis in Poppaeam amorem premere voluisset, ipsam Octaviam eum deplorantem fecisset in primis tragoediae versibus; ac vv. 104 et 125 id re vera fecit. adde quod post verba *pari odio ardens* illud *flagrat* de amore dictum esse nemo sentiet.[1]) quae cum ita se res habeat, non dubito scribere *atque odio pari ardens maritus mutua flagrat face.* sane si hoc modo scripseris, tautologia inerit in hoc versu, sed tale quid mirandum non est in adulescentulo artis rhetoricae studioso. *mutua face flagrare* nihil aliud significat quam *pariter respondenti odio*[2]) *flagrare;* simili modo Seneca in Phaed. 415 dixit: *amare discat, mutuos ignes ferat.* una igitur voce *mariti* in *maritus* mutata versum restitutum esse iudico.

Vv. 52 sq. vulgo sic scribebantur: *mutat immitis dolor | consilia nostra;* in codicibus autem non solum *mutat* legitur, sed etiam *mittit* vel *mitit* vel *muttat.* post verba, quae antecedunt: *animum dolentis nostra solatur fides pietasque frustra* exspectamus *abicit consilia nostra,* non *mutat c.* id quod Richter sensisse videtur, qui ita refinxit haec verba: *reddit immitis dolor consilia vana.*[3]) nec Leo *mutat* retinuit, sed Buechelerum[4]) secutus scripsit: *vincit immitis dolor c. nostra.* sed abiciendi illam

---

[1]) Cf. Oct. 132 *odioque nostri flagrat.*

[2]) Cf. Tac. Ann. XIIII 3 *Anicetus mutuis odiis Agrippinae invisus.*

[3]) In addendis et corrigendis *mutat i. d. c. nostra* scribi iubet.

[4]) Cf. mus. Rhen. XXVII 474.

notionem, quam hoc loco desideramus, in verbo *mittit* inesse arbitror, qua in re notandum est *mittit immitis dolor* ita dictum esse, ut idem sit quod *mittit Octavia immitis facta dolore.* de hac verbi mittendi notione confer Liv. XXXIIII 39 *quin mittimus ambages,* Cic. pro Sest. 138 *si qui voluptatibus ducuntur, missos faciant honores,* al.[1]) accedit alia causa, cur scripturam *mittit* ceteris praeferendam esse existimem. si enim *mittit immitis dolor* legimus, adnominationis figura existit, quae, ut Quint. VIIII 3, 69 ait, species est, cum verbum paullum commutatum iteratur. hanc autem figuram apud rhetores in usu fuisse ex Quintiliano scimus neque Octaviae scriptorem ea non usum esse supra vidimus.

Vv. 139 sq. codices sic praebent: *genitamque fratris coniugem captus sibi | toris nefandis flebili iunxit face.* Richter in dissertatione sua p. 5 sq., ut offensionem, quae in participio *captus* sic nude posito inesset, tolleret, pro *toris* scribendum esse censuit *dolis*, in editione vero scripturam traditam retinuit. contra Leo ex Peiperi coniectura[2]) *captus* in *pactus* mutavit. sed in participio *captus* vis quaedam inesse videtur: Claudius amore[3]) vel dolis captus erat, cum nato suo alieno sanguine satum praeferret et filiam fratris coniugio sibi iungeret. nihil igitur mutandum esse censeo.

Vv. 170 sqq. ita in codicibus leguntur: *saeva cui* (Britannico) *lacrimas dedit | etiam noverca, cum rogis artus tuos | dedit cremandos membraque et vultus deo | similes volanti fervens flamma abstulit,* praeterquam quod in nonnullis libris verba ultima aliter se excipiunt *volanti flamma fervens abstulit.* colore rhetorico parum intellecto Baehrens[4]) pro *saeva* legendum esse opinatus est *scaeva* nec sensit, quantum Octaviae scriptoris interesset contraria coniungere. nam haec inest in his verbis sententia: *etiam saeva*[5]) *noverca lacrimas dedit Britannico.* praeterea ille verba *dedit cremandos* ex neglegentia librarii vocabulum, quod iam in v. 170 extat, prave iterantis nata esse contendit. 'nam si Taciti', inquit, 'ea de re narrationem,[6]) sequimur, nocte imbribus turbidissima ipsam Agrippinam mortuum rogo imposuisse parum fit probabile. puto *vidit crematos* scil. *ex regia*'. iam ante Baehrensium Baden illud *dedit* mutaverat in *tulit*,

---

[1]) Adde locos, ubi *mitto* praetermittendi notionem habet, velut Cic. p. Mur. 15, 33 *mitto proelia.* paullo aliter comparati sunt Verg. Aen. I 206 *timorem mittite,* VI 85 *mitto curam.* contra de omittendi verbo cf. Hor. Ep. I 1, 98 *repetit, quod nuper omisit,* Tac. Ann. VI 45 *Quos honores omiserit receperitve, in incerto fuit.*

[2]) Cf. adn. crit. in Richteri et Peiperi ed. ad Oct. 146.

[3]) Cf. HO. 372 *et amore captus ad leves sedit colus.*

[4]) Cf. p. 117.

[5]) Cf. Oct. 21 *tulimus saevae iussa novercae.*

[6]) Cf. Ann. XIII 17.

quam coniecturam Richter probavit, et postea Buecheler[1]) *dedi* scribi iussit, quod Leo recepit. sed eiusdem verbi iterationem in Octavia ferendam esse iam p. 94 adn. 2 docuimus. quod vero poëta tradit Agrippinam ipsam Britannici corpus rogo imposuisse, nulla adest causa, cur hoc verum esse negemus. scimus enim eum nulla in re incertum se praebere auctorem. et ex Taciti quoque narratione veri simillimum est ipsam Agrippinam Britannici *artus cremandos dedisse;* nam Tacitus tradit eam maestam fuisse ac mente consternatam, cum supremum sibi auxilium ereptum esse intellegeret.[2]) contra vix credibile est Octaviae nutricem vel famulam quandam hoc fecisse, quod matrem in primis decebat. quare *dedit* servandum est. v. 173 plurimorum codicum scriptura *fervens flamma* metrum laeditur; quodsi cum ceteris libris *flamma fervens* scribimus, iam versus stat. quamquam autem facile transponi potuerunt verba, praesertim cum ab eadem littera incipiant, tamen permulti homines docti locum interpolatione corruptum esse contenderunt, cui alii aliter mederi conati sunt. Heinsius scripsit *fl. feralis tulit,* Baden *fervida flamma,* Baehrens[3]) *saeviens flamma,* Peiper[4]) *quos furens fl.,* Buecheler,[5]) quem Leo secutus est, *funebris flamma abst.* sed per se in coniunctione vocum *fervens flamma* offendendum non est; eodem enim modo Seneca Oed. 928 dixit *aut fervido aliquis igne vel saxo domet.* et in Octaviae codicibus saepissime vocabula de loco suo mota sunt et falso inserta: nec tamen de interpolatione vel corruptela potest cogitari; cf. librorum scripturas, quas Leo in editione sua adnotavit ad vv. 9, 175, 276, 291, 489, 495, 500, 575, 583, 779, 821.[6])

V. 457 [Ner.] *decet timeri Caesarem.* [Sen.] *at plus diligi,* qui in omnibus codicibus extat, Leo[7]) ut ab interpolatoris manu intrusum eiciendum esse statuit his de causis. primum creticum in fine versus non coalescentem syllaba antecedente longa in Octavia nisi in hoc versu non inveniri, deinde synaloephae locum non esse in personis mutandis neque Octaviae scriptorem synaloepham in interpunctione sibi concessisse, ne in monosyllabis quidem, denique non tolerandum esse, quod plane idem hoc versu Nero diceret atque sequenti: [Ner.] *metuant necesse est,* [Sen.] *quic-*

---

1) Cf. adn. crit. ad h. v. in Leonis ed.

2) Nam ad Taciti Ann. XIII 17 verba *in campo tamen Martio sepultus est, adeo turbidis imbribus* Nipperdey rectissime adnotavit: *'sepelire' bezeichnet bloß die Beisetzung der Asche.*

3) L. c. p. 117.

4) Cf. adn. crit. ad Oct. 178 in Peiperi et Richteri ed.

5) Cf. mus. Rhen. XXVII 474.

6) Quam saepe in codicibus rec. *A* genuinus verborum ordo mutatus sit, optime ex cod. *E* scripturis cognosci potest, cf. Hf. vv. 225, 430, 768, 836 al.

7) Cf. quae Hermae X 439 adn. 1 et ed. I 58 sq. disputavit

*quid exprimitur grave.* sed ut ab eo, quod ultimo loco posuimus, initium faciamus, Nero v. 458 non plane idem dicit, quod in hoc, quem tractamus, versu est; nam gradatio inest in his verbis: *decet timeri . . metuant necesse est.* adde quod hic versus *decet timeri Caesarem. — at plus diligi* optime rhetorico scribendi generi convenit; quem si delemus, controversia manca fit, quia tritissimum illud *dominum diligi, non timeri debere* iam non expressum est. quod vero ad metricas offensiones attinet, quas Leo detexisse sibi videtur, eas adesse nego. apud Senecam enim saepissime creticus in fine versus non coalescens syllaba antecedente longa invenitur,[1]) nec video, cur Octaviae scriptor, quamquam in nonnullis rebus severiores leges quam ipse Seneca secutus est, ne uno quidem loco id sibi indulgere potuerit, quod Seneca saepissime sibi indulsit, praesertim cum etiam aliis locis a communi regula discesserit, veluti bisyllabum bibreve non coalescens cum cretico v. 393 *genus impium* extat, cuius rei exempla in solis Herculis Oetaei vv. 406, 757, 1047 inveniuntur.[2]) idem vero de synaloepha valet. Seneca enim synaloepham saepe, plerumque in monosyllabis, in interpunctione admisit; personae autem mutantur Ag. v. 794 [Ag.] *credis videre te Ilium?* [Cass.] *et Priamum simul,* quem versum se iniuria in dubium vocasse Leo ipse concedit.[3]) putat autem Octaviae loco a latino nomine excusationem non paratam esse, quam Agamemnonis versui ex graeco nomine parari contendit, quod discrimen equidem statuere nolo. itaque magis placet B. Schmidtii[4]) et L. Mülleri[5]) sententia, qui ab utroque loco manus retinuerunt, cum in nomine proprio satis excusationis inesse arbitrarentur. ceterum iam antea dictum est veri simile esse Octaviae scriptorem ea, quae in Senecae libro I. de clementia conscripto leguntur, imitando exprimere voluisse. cum his autem versibus *ferrum tuetur principem — melius fides — decet timeri Caesarem — at plus diligi* conferri possunt, quae De Clem. I 19, 5 sq. extant: *errat, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rege tutum, sed securitas securitate mutua paciscenda est. . . . salvum regem in aperto clementia praestabit. unum est inexpugnabile munimentum amor civium.* his igitur de causis versum sic, ut traditur, a scriptoris manu profectum esse contendo.

Vv. 460 sq. sic exhibent libri: [Ner.] *statuam ipse.* [Sen.] *quae consensus efficiet rata.* | [Ner.] *despectus ensis faciet.* [Sen.] *hoc absit nefas.* ad

---

1) Cf. Leonis ed. I 58.

2) Cf. Schmidtii diss. p. 53.

3) Cf. Hermae X 439 adn. 1 et ed. I 59, adn. 8.

4) Cf. eius diss. p. 20.

5) Cf. quae in Ann. Phil. LXXXVIIII 423 disputavit; necesse igitur non est, ut cum Richtero diss. p. 3 *at* deleamus.

verba *despectus ensis* iam Gruterus[1]) haec adnotavit: *ille ensis, quem nunc modo cives mei despiciunt.* quod cum verum esse alii negarent, varias excogitarunt explicationes aut coniecturas. etenim Bothe scripsit *despectus? ensis faciet* explicans *despectusne consensus iste patrum, quem tu iactas? immo ensis;* Lipsius legi voluit *detectus* vel *conspectus e.,* Raphelengius *destrictus e.,* Ritter *dispectus e.,* Peiper[2]) *consensus? ensis faciet,* Buecheler[3]) *respectus e.,* Baehrens[4]) *derectus e.* prorsus aliter vero de Wilamowitz[4]) iudicavit, qui scribendum esse suspicatus est *despectum ut ensis feriat?* ac tale quid flagitari Senecae responsum et Neronis insequentem orationem docere Leo[5]) adfirmavit, nullo tamen iure, ut mihi videtur. nam Senecam, qui v. 455 de opprimendo tyranno verba facit, iam versu, de quo disputamus, dicere nefas esse Neronem occidi credibile non est. et praeterea ad Senecae verba: *quae consensus efficiet rata* responsum expectamus. ipse conieceram legendum esse: *conspectus ensis faciet* ita ut *conspectus* non cum Lipsio pro participio, sed pro substantivo haberem: sed nunc tota Senecae et Neronis controversia iterum iterumque perlecta Gruteri explicationem recte se habere mihi persuasi. ex eis enim, quae Nero in sequentibus versibus profert *an patiar ultra sanguinem nostrum peti, inultus et contemptus ut subito opprimar?,* patet eum rem ita fingere acsi ipse vel, ut rectius dicamus, ipsius ensis a civibus contemnatur. Nero igitur dicit: ensis, quem nunc cives despiciunt, ea quae statuo rata efficiet. cives autem ensem meum despicere ex eorum furore, quo se in caedem meam armant, cognosco. tollantur igitur ense hostes suspecti mihi. quae si recte disputata sunt, scriptura tradita retinenda est.

In vv. 515 sqq. *pavere volucres et feras saevas diu | tristes Philippi hausit et Siculum mare | classes virosque saepe cedentes suos | concussus orbis viribus magnis ducum | superatus acie puppibus Nilum petit | fugae paratis ipse periturus brevi* — sic enim haec in codicibus tradita sunt — nonnulla insunt, quae viris doctis offensiones praebuerunt. ac primum permultis hiatus, qui inter voces *Philippi* et *hausit* intercedit, intolerabilis esse videbatur. quam ob rem Gronovius *mersit,* Nic. Heinsius *sorbsit,* Bothe cum Ascensio *exhausit,* Richter *rapuit,* Buecheler *pavit,* Leo *traxit* verbo *hausit* praeferenda esse iudicarunt. attamen *hauriendi* verbum aptius videtur, si sensum respicimus, quam quae ab illis novata sunt. Peiper[6]) contra duo

---

[1]) Cf. Scriverii ed. part. alt. p. 272.

[2]) In ed., cf. adn. crit. ad h. v.

[3]) Mus. Rhen. XXVII 474.

[4]) Cf. p. 118.

[5]) Cf. quae Leo Hermae X 439, adn. exposuit.

[6]) Cf. adn. crit. ad v. 528.

hemistichia ante *hausit* periisse statuit. sed equidem hunc hiatum in Octavia ferendum esse censeo, quamquam apud Senecam nullum eius exemplum exstat.[1]) nam hac in re Octaviae scriptor principes Romanorum poetas sequi potuit. apud eos enim talis hiatus exempla, qualis est *Philippi,* | *hausit,* non rara esse res est notissima.[2]) veluti ut unum exemplum proferam Verg. Ecl. II 53 *addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo,* ubi hiatus interpunctione, caesura, littera *h* eodem modo excusatur, quo in Octavia. adde quod in hac nomen proprium extat. sed iam ad sequentia verba transeamus. certum quidem est verba *hausit et Siculum mare classes virosque saepe cedentes suos concussus orbis viribus magnis ducum* ad pugnas navales cum Sexto Pompeio ab Octaviano eiusque ducibus commissas et ad proelium Actiacum pertinere; nam quae secuntur *superatus acie puppibus Nilum petit* | *fugae paratis* apertissime ad Antonium spectant. sed pronomen *suos* non habere videbatur, quo referretur, et desiderari subiectum in vv. 519 sq. putabatur. qua de causa Rutgersius conlato Lucani Phars. I 5 *certatum totis concussi viribus orbis* scripsit *cl. virosque saepe cedentes. suis* | *concussus orbis viribus. magnus ducum,* quod plerique editorum priorum probaverunt. contra Bothe suspicatus est reponendum esse *cl. v. saepe cedentes feros. concussus ... ducum superatus ... iste periturus brevi,* Baden edidit *cl. v. s. cedentes suis. concussus orb.* graviter vero hos versus corruptos esse statuerunt Gronovius, qui proposuit *mox redit sociis furor,* Heinsius, qui coniecit *cl. v. saepe per caedem* (vel *per clades*) *suis* | *concussus orb. v.,* Buecheler[3]), qui in hanc coniecturam incidit: *virosque. sparsit Actiacos sinus* | *conc. orb.,* Leo, cui in mentem venit *virosque. miscuit gentes suis* | *conc. orb. viribus. tandem aemulus.*[4]) sed iniuria hi omnes v. 518 temptarunt, qui mihi quidem sanissimus esse videtur; cf. praeter locum a Rutgersio adlatum Luc. Phars. IIII 25 sq. *spectandasque ducum vires, numerosaque signa* | *exposuit.* ac neque regionis indicium desideratur, quod Buecheler contendit. quicumque enim hos versus perlegerit, intelleget hunc versum ad Actiacum bellum spectare. neque is, qui Octaviam composuit, historicus scriptor est, sed rhetor. qua de causa id, quod *Philippi* et *Siculum mare* commemorantur, nos adducere nequit, ut sumamus scriptori etiam, cum Actiacam pugnam tangeret, regionem indicandam fuisse. neque vero in ea re offendendum esse puto, quod in vv. 519 et 520 subiectum deest. nam ad *superatus* ex verbo antecedenti *ducum* facillime *dux* mente suppletur, praesertim

---

1) Si modo HO. 1201, qui in *E* sic traditus est: *mortis carerem, o ferae, victae ferae,* Avantius recte restituit: *pro ferae*; cf. Schmidtii diss. p. 17.

2) Cf. Christii librum de re metr. Graec. et Rom.[2] p. 39 sq. al.

3) Cf. var. lect. p. 64 sq.

4) Mus. Rhen. XXVII 474.

cum v. 531 legamus: *hausit cruorem incesta Romani ducis Aegyptus iterum.* nihil igitur in vv. 519 sqq. corruptum est, nihil omissum.[1]) iam restant verba *saepe cedentes suos*, quae Richter in *caede perdentes suos* mutavit. sed haec quoque librorum scriptura genuina est, dummodo verba in codicibus tradita recte legamus *saepe caedentes suos.* nempe illud *saepe* cum verbo *hausit* coniungendum est, quo facto sensus aptissimus existit; nam voce *saepe* Octaviae scriptor multas pugnas cum Pompeio commissas esse significare voluit, verbis autem *caedentes suos* bellum civile fuisse docet; cf. v. 523 sq. *impie gestum diu | civile bellum.* et eo, quod v. 510 *caesorum*, 514 *caedis* legimus, non solum non in dubium vocatur haec scriptura, sed potius commendatur. quae cum mihi in mentem venissent, me ipsum verum invenisse putabam. sed postea ex Gronovii adnotatione cognovi iam G. Fabricium *caedentes suos* scripsisse, ita tamen ut his verbis indicari statueret cives a civibus saepe necatos in mari. quod a Gronovio ut parum latine dictum improbatum est. sed si illud *saepe* cum *hausit* coniungimus, non video, quid in his verbis offensioni esse possit.

In vv. 590 sq. *et ipse populi vota iam pridem moror, | cum portet utero pignus et partem mei* primus Buecheler[2]) haesit in eo, quod enuntiati secundarii subiectum deest, et, cum v. 590 *populi* a librario nominum paene omnium corruptore in locum nominis Poppaeae substitutum esse existimaret, eum versum sic fere refingendum esse statuit: *iam pridem et ipse vota Poppaeae moror.* Baehrens[3]) vero eadem re offensus post v. 591 versiculum excidisse opinatus est Poppaeae mentionem cum amoris flagrantis significatione continentem. sed tota Senecae et Neronis disputatio, quae vv. 540—592 continetur, ad Poppaeam pertinet. ac Nero ipse vv. 570 sq. dixerat *hic mihi iugales praeferat taedas deus | iungatque nostris igne Poppaeam toris.* itaque verba *cum portet utero pignus* de Poppaea dicta esse neminem potest fugere. et consulto fortasse Poppaeae nomen omissum est ab Octaviae scriptore, ut significaretur Neronem de una Poppaea semper cogitasse. mutatione igitur omnino non opus est. contra Buechelerum autem, praeterquam quod populi stirpem legitimam ex Nerone desiderantis commemoratio hic aptissima est, ut recte Baehrens dicit, etiam proferri potest Poppaeae nomen in Octaviae codicibus graviter corruptum nusquam extare.[4]) iniuria igitur, ni omnia me fallunt, Leo versui 590 crucem adposuit.

---

[1]) Richter enim inepte vv. 520 et 521 lacunae signo disiunxit, cum versum, quo Antonii mentio facta esset, intercidisse suspicatus esset.

[2]) Mus. Rhen. XXVII 474.

[3]) Cf. p. 119.

[4]) Cf. Leonis adn. crit. ad vv. 571, 596, 690.

Permulti iam disputarunt de Oct. vv. 695 sq. qui sic exarati sunt codicibus: *(Caesari), quem tuus cepit decor, | et culpa Senecae tradidit vinctum tibi | genetrix Amoris, maximum numen, Venus.* quaeritur enim, quaenam illa Senecae culpa sit, de qua nutrix Poppaeae — nam eius sunt haec verba omnia — mentionem facit. Delrius triplicem protulit explicationem: de Senecae culpa verba fieri, quod Agrippinae tollendae fuisset auctor, aut quod discipulorum delicta in magistrum retorquerentur, aut quod dissuadendo vehementius Neronem impulerit. contra Gronovius audacissime versum ita refinxit, ut scriberet *et culpa nuptae* (Octaviae). Bothe coniecit *nec culta Senecae* et eodem sensu Peiper *culpata Senecae,* Leo *contempta Senecae* respectis eis, quae Seneca Oct. 557 sqq. de Amore disputat. aliter vero Baehrens[1]) statuit; scribi enim iussit *quem tuus cepit decor et cultus. ecce tradidit.* contra Ritter, Vater, Braun verba, ut in codicibus leguntur, retineri posse arbitrati sunt. et Ritter[2]) ad rem nobis ignotam, sed aequali scriptori cognitam haec verba spectare contendit, Vater[3]) Venerem ipsam Senecae culpam vocari opinatus est, Braun[4]) respectis verbis, quae Nero vv. 588 sqq. profert *desiste tandem iam gravis nimium mihi instare: liceat facere quod Seneca improbat . . . quin destinamus proximum thalamis diem?* Delrii tertiam explicationem probavit et verba *culpa Senecae* adpositionis loco adiecta esse voluit. iam Vateri interpretatio tam quaesita est atque inepta, ut eam multis refutare necesse non sit; contra Ritterum vero et Braunium Vateri verba proferri possunt: ‘si Seneca vel invitus nuptias Poppaeae adiuverat, id non culpa, sed potius beneficium videri debebat nutrici Poppaeae. quod enim Octavia crimen putabat, idem paelicis amici aliter aestimaturi erant’. quid autem si statuimus nutricem cum irrisione quadam haec protulisse? nonne sensus is esse potest: *iuncta es Caesari tuo, quem . . Venus tibi vinctum tradidit. quam rem Seneca culpae sibi vertat, quippe qui acrius resistendo ipse eam rem acceleraverit?* quae si recte se habent, scribendum esse videtur *et — culpa Senecae — tradidit.*

Vv. 924 sqq. vulgo sic scribebantur: *regitur fatis mortale genus | nec sibi quicquam spondere potest | firmum et stabile | per quae casus volvit varios | semper nobis metuenda dies.* pro *quicquam* in multis libris *quisquam* legitur et post *stabile* in codicibus *per que (p q̃)* aut *per quam* aut *per quem* extat. in scriptura autem, quam supra adtulimus, pronomen *quae* non habet quo referri possit. Bothe igitur scribendum esse suspicatus est: *nec s. q. s. p. firmam et stabilem Parcam. casus volvit varios,* et longius adeo

---

[1]) Cf. p. 121.

[2]) Cf. eius adn. ad h. v.

[3]) Cf. Ann. phil. suppl. XVIIII 565 sqq.

[4]) Cf. p. 38 sq.

progressus Baehrens:[1]) *f. et stabile stamen Parcae:* | *c. v. volucris varios* | *s. n. m. dies.* Richter vero post *stabile* monometrum intercidisse statuit et *pro quam casus v. varios* scripsit.[2]) Leo denique post *stabile* lacunae signum posuit et haec fere excidisse opinatus est: *(stabilem) per cuncta deum tempora vitae (per quae . .).* sed cur lacuna statuenda sit, non intellego; nam si v. 925 *quicquam* scribimus, quod in nonnullis codicibus extat, nihil desideratur. ceterum Richter propterea lacunam statuisse videtur, quod stropham, quam ex vv. 924—931 confecit, dimetris decurrere voluit. quod autem ad v. 927 initium adtinet, optimum mihi esse videtur scribere *perquam casus volvit varios,* id quod Peiper quoque legendum esse coniecit.[3])

---

[1]) Cf. p. 124.

[2]) Ex Peiperi coniectura, cf. adn. crit. ad v. 950.

[3]) Atque hoc iam in Delrii editione legitur.

# QUAESTIONES

DE

# VETUSTIORUM POETARUM ELEGIACORUM GRAECORUM SERMONE

AD

SYNTAXIM, COPIAM, VIM VERBORUM

PERTINENTES

SCRIPSIT

FLORIANUS WEIGEL

Ex Homeri carminibus tamquam e fonte perenni omnes fere omnium temporum poetas Graecos hausisse constat. quod autem de poetis omnibus dici potest, id exceptis iis, qui post illum carmina epica fecerunt et hanc ipsam ob causam vestigia eius non sequi non potuerunt, maxime de vetustioribus poetis elegiacis valet. hi enim et quod ad tempus adtinet reliquis propius ad eam aetatem, qua carmina homerica orta sunt, accedunt et metrum adhibuerunt, cui cum versu heroico, a quo originem duxit, magna est similitudo. accedit, quod veterrimi eorum, Callinus et Tyrtaeus, eodem modo quo ille persaepe bellica canunt.

Sed noli putare poesim elegiacam totam ex Homeri carminibus pendere. quamvis enim satis antiquae sint quaedam quae aetatem tulerunt eius reliquiae, tamen magnum temporis spatium inter has et Iliadem Odyssiamque intercedit. atque haec fuit causa, cur magna illa varietas et verborum formarum et rerum ad syntaxim spectantium, quae in Homeri carminibus passim conspicitur, minueretur, multorum vocabulorum vis aut longe alia fieret aut transferretur aut amplificaretur, aliae voces ab usu removerentur, aliae in usum reciperentur. quarum rerum causam ex temporum rationibus potissimum petendam esse facile inde adparet, quod saepe, ubi inter Homeri et poetarum elegiacorum genus dicendi discrimen quoddam intercedit, elegeae cum hymnis homericis, quippe ad quorum aetatem propius accedant, mirum in modum consentiunt neque tamen certa imitationis ex his expressae vestigia in elegeis extant.[1])

---

[1]) Hymnos homericos poetis elegiacis fuisse exemplo J. G. Renner negat in commentatione cui inscripsit: 'Ueber das Formelwesen im griechischen Epos und epische Reminiscenzen in der älteren griechischen Elegie' p. 16, idemque de Theognide Rich. Kuellenberg in dissertatione quae est 'De imitatione Theognidea' (v. I. diss. phil. Argent.) p. 12 adn. 1 contendit. qui l. c. excipit Theogn. vv. 1—10, quos qui scripsit hymnorum genus dicendi imitatus est. sed hos versus a Theognide abiudicandos esse G. ab Hartel Mel. Vind. I pp. 1 sqq. ostendit.

Praeterea multarum rerum commutatione paulatim facta argumentum ipsum carminum illorum mutatum erat. sublato enim regum imperio, penes quos antiquitus summa potestas fuerat, in multis urbibus Graecis dissensiones civiles ortae erant et pristina animi aequitas vel factionum vel singulorum hominum cupiditatibus et studiis cesserat. quibus rebus poetae, quorum nomina pristinis temporibus latuerant, movebantur, ut non iam res a viris claris olim gestas persequerentur, sed potius praesentium temporum rationem haberent et, quae ipsorum aut aequalium animos movebant, ea carminibus celebrarent. qua argumenti immutatione factum est, ut, quamquam poetae elegiaci in universum dialectum homericam imitabantur, et patriae sermo paululum quasi perluceret[1]) et formae obsoletae, quae carmina epica decebant, respuerentur et multa vocabula, quae ad novas res civiles pertinebant, usitata esse inciperent. cuius rei ut pauca adferam exempla, ex suffixis *φι*, *θι*, *θεν*, *δε*, quae cum nominum stirpibus coniuncta apud Homerum saepe casuum vice funguntur, *θι* nusquam legitur apud poetas elegiacos, *φι* tantum Theogn. 311 *θύρηφι*, *δε* ex coniectura Brunckii 1136 *Οὔλυμπόνδ'* et praeterea saepe in voce *οἴκαδε*, *θεν* bis in nominibus propriis, Tyrt. 4, 1 *Πυθωνόθεν* et Theogn. 197 *Διόθεν*; item verborum in litteras *αω* exeuntium formae quae dicuntur distractae desunt. ex verbis autem ad res civiles pertinentibus, quae temporibus illis primum inveniuntur, haec quae commemorentur digna sunt: Sol. 9, 3 et Theogn. 52 *μόναρχος*; Arch. 25, 3 *τυραννίς*; hymn. h. VIII (VII) 5, Simon. A. 7, 69, Theogn. 823, 1181, 1204 *τύραννος*; Sol. 4, 22 *σύνοδος*; Sol. 4, 19, Xenoph. 1, 23, Theogn. 51, 781, 1081 b *στάσις*; Sol. 4, 38 et Theogn. 78 *διχοστασίη*; Sol. 4, 27 et Theogn. 50 *δημόσιον (κακόν)*.

Sed ne metrum quidem, etsi supra dictum est propter magnam similitudinem, quam cum versu epico habet, poetas elegiacos, ut Homeri genus dicendi imitarentur, quasi invitatos esse videri, hoc loco neglegendum est, quamquam facile intellegitur mutationes metri causa factas minus ad syntaxim quam ad formas verborum atque collocationem spectare. quam rem iam exemplis nonnullis demonstraturus sum. atque ut a formis vocabulorum incipiam, multo rarius apud poetas elegiacos terminationes gen. sing. et dat. plur. in *οιο*, *οισι*, *ησι* exeuntes in pentametro leguntur quam in hexametro, quia et a medio et ab extremo pentametro abhorrent, in extremum autem hexametrum et saepe etiam in medium,

---

[1]) Cf. H. L. Ahrentis commentatio quae inscribitur 'Ueber die Mischung der Dialecte in der griech. Lyrik' (extat ea in Act. conv. phil. Germ. XIII, edit. Gotting. a. 1853 pp. 55—80) et J. G. Renneri 'Quaestiones de dialecto antiquioris Graecorum poesis elegiacae et iambicae', quae commentatio in G. Curtii Stud. gramm. I a 135 sqq. et I b 1 sqq. inest.

si quidem caesura est post alteram tertii pedis syllabam, optime quadrant, id quod paucis perstrinxit Kuellenberg l. c. pp. 20 et 27, ubi etiam alia, quae huc spectant, protulit. porro cum ea pars hexametri, quae est ante caesuram semiquinariam, utrique pentametri membro respondeat, si in pentametro formulae homericae inveniuntur, haud raro fit, ut ex priore parte hexametri in alterutram, crebrius autem in posteriorem partem transferantur; cf. Kuellenberg l. c. p. 19, ubi Hom. *β* 370 *πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κακὰ πάσχειν οὐδ' ἀλάλησθαι* comparavit cum Theogn. 248 *ἰχθυόεντα περῶν πόντον ἔπ' ἀτρύγετον.* quod si formulae ex extremo hexametro petitae in pentametro extant, aut solae terminationes vocabulorum mutantur, velut Theogn. 808 *ὀμφὴν σημήνῃ πίονος ἐξ ἀδύτου*, quem versum conferas cum E 512 *αὐτὸς δ' Αἰνείαν μάλα πίονος ἐξ ἀδύτοιο,* aut verba aliter collocantur, id quod fit Theogn. 814 et 1016 . . . *ὅντιν' ἔχουσι νόον* | collato X 382 *ὄφρα κέ τι γνῶμεν Τρώων νόον ὅν τιν' ἔχουσιν.* quae res non fugit Kuellenbergium; sed addere debebat nonnumquam sedem verborum longe aliam fieri et aliquotiens una cum terminationibus collocationem mutari. illud enim, ut exempla adferam, Theogn. 234 *Κύρν', ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ* probatur, cum apud Homerum *ἔμμορε τιμῆς* semper in fine versus ponatur, hoc ex pentametri clausula *μοῖρα κίχοι θανάτου*, quae legitur Tyrt. 7, 2, Mimn. 6, 2, Sol. 20, 4, Theogn. 340, adparet; apud Homerum autem I 416, *ρ* 476 *τέλος θανάτοιο κιχείη* in versus fine extat. clausula modo citata etiam altera ex causa insignis est; legitur enim pro verbis *τέλος θανάτοιο,* quae saepe in Iliade et Odyssia inveniuntur, apud poetas elegiacos *μοῖρα θανάτου,* quamquam Homerus haec vocabula sic nusquam coniungit. cuius rei causa haec est, quod pentametri numeri postulant, ut post caesuram longa syllaba ponatur. sed haec sufficiant; nam infra ad hanc rem recurrendi occasio erit.

De poetarum elegiacorum genere dicendi nonnulli viri docti iam diligenter egerunt. relego hic — nam aliae suo quaeque loco infra commemorabuntur — ad Ahrentis, Renneri, Kuellenbergii commentationes iam supra citatas. sed quaestiones institutae magis ad dialectum spectant, ad formas vocabulorum, ad formulas quas vocant homericas quam ad syntaxim, magis ad res, quae iis cum Homero aliisque veteribus poetis epicis communes sunt, quam ad eas, quibus ab his differunt. quare mihi in animo est hac disputatiuncula in res ad syntaxim pertinentes, quae dignae sunt de quibus agatur ita inquirere, ut non solum, quid poetae elegiaci Homero debeant, sed etiam, quibus rebus ab eo differant, adpareat. quibus pauca de copia atque de vi vocabulorum adiciam. neque vero omnes poetas elegiacos respiciam, sed, id quod Renner quoque fecit, vetustiores tantum, Callinum, Tyrtaeum, Archilochum, Asium, Pisandrum, Mimnermum, Solonem, Cleobulinam, Demodocum, Phocylidem

(exceptis Pseudophocylideis), Xenophanem, Theognidem. praeter Iliadem autem et Odyssiam reliquorum quoque carminum, quae ante elegeas orta sunt aut eidem fere aetati tribuenda, rationem habebo. ac saepe etiam posteriores scriptores in usum vocandi erunt, in primis Herodotus, qui ob dialectum ipsam non est neglegendus, et poetae Attici. observari enim saepe potest res, quae apud posteriores scriptores usitatissimae sunt, non item apud Homerum, iam in elegeis inveniri.

Antequam autem ad rem propositam accedam, pauca praemittam necesse est de condicione, qua nobis poesis illius reliquiae traditae sunt, et de fundamento, quo potissimum nitar. condicionem igitur earum satis miseram esse constat. perpaucae enim elegeae totae aetatem tulerunt, sed plerumque fragmenta restant eaque parva et abrupta. quae exceptis Theognidis carminibus non in iisdem codicibus omnia inveniuntur, sed variis locis cum ab aliis scriptoribus tum a Stobaeo servata sunt, cuius florilegii duos priores libros nuper C. Wachsmuth edidit, alteram partem ex codicibus restitutam in lucem proferet O. Hense. quod autem ad Theognidem adtinet, ne codex Mutinensis quidem, quamvis ceteris et aetate et bonitate, id quod Th. Bergk ostendit in Mus. Rhen. III pp. 206 sqq. et 396 sqq., praecedat, mendis prorsus vacat. fragmenta autem elegiaca omnia congesta et apparatu critico instructa esse notum est a Bergkio, cuius editione quarta maxime innitar, ita tamen, ut reliquas etiam editiones et ea, quae praeterea a viris doctis de elegeis scripta sunt, quantum potero, in usum meum convertam.

---

## A. De syntaxi.

### I. De pronominibus.

De formis pronominum personalium, in quorum usum iam accuratius inquirendum est, I. G. Renner egit in commentatione supra citata, quacum ea conferenda sunt, quae P. Cauer ibid. VII pp. 103—160 de pronominum personalium formis et usu homerico conscripsit. atque quo facilius adpareat, quae ratio inter usum homericum et poetas elegiacos intercedat, tabulam proponam ita comparatam, ut formas ab Homero usitatas exceptis formis numeri dualis, cum in elegeis nullum eiusmodi locum indagaverim, omnes enumerem, eas, quae huius carminibus cum elegearum reliquiis communes sunt, litteris diductis significem, eas, quae elegeis propriae sunt, uncis includam.

| | Pers. I | Pers. II | Pers. III |
|---|---|---|---|
| Sing. nom. | ἐγώ, ἐγών (Theogn. 253 et 527 ante voc.) | σύ, τύνη | |
| gen. | ἐμεῖο, ἐμέο, ἐμεῦ, (ἐμοῦ), ἐμέθεν, μεῦ, (μοῦ Theogn. 1366) | σεῖο (Theogn. 1), σέο, σεῦ, (σοῦ), σέθεν (Theogn. 1232), τεοῖο | εἶο, ἕο, εὗ, ἕθεν |
| dat. | ἐμοί, μοί | σοί, τεΐν, τοί | ἑοῖ, οἷ |
| acc. | ἐμέ, μέ | σέ | ἑέ, ἕ (Sol. 13, 27), μίν, (νίν Theogn. 364) |
| Plur. nom. | ἡμεῖς, ἄμμες | ὑμεῖς, ὔμμες | |
| gen. | ἡμείων, ἡμέων (Sol. 13, 72[1]) et Theogn. 353 *A*), (ἡμῶν Theogn. 228 et 469) | ὑμείων, ὑμέων | σφείων, σφέων |
| dat. | ἡμῖν, ἧμιν (Theogn. 235), ἄμμι(ν) (Theogn. 418) | ὑμῖν, ὔμμι(ν) | σφίσι(ν), σφί(ν) |
| acc. | ἡμέας (Archil. 9, 7), (ἡμᾶς Theogn. 1215), ἄμμε (Theogn. 1273) | ὑμέας, ὔμμε (Theogn. 1104 *A*) | σφέας, σφάς, σφέ (Theogn. 552) |

Ad quem formarum conspectum pauca adnotanda sunt. ac primum quidem de dativo singularis personae alterius paulo fusius agendum est. cum enim ab epicis, ubi vox premitur, *σοί* frequentetur, *τοί* enclitice ponatur, quid de elegeis statuendum sit, videamus. atque ab his dativi forma *τοί* haud aliena est, quamquam, ne cum particula confirmativa confundatur, cavendum est. en exempla, quae dubia esse non possunt: Call. 2, 1 sq. *Σμυρναίους δ' ἐλέησον . . . | μνῆσαι δ', εἴ κοτέ τοι μηρία καλὰ βοῶν . . .*, Theogn. 633, 656, 1319, ad quos locos accedit 465, ubi vulgo *καί σοι τὰ δίκαια φίλ' ἔστω* legitur, sed ex codice A *τοί* restituendum esse videtur. contra 655 nescio an *(σὺν) σοί* (A *τοι*) praeferendum sit. multis autem locis Theognidis forma enclitica a littera *σ* incipiens praestantissimo quoque codice A traditur, quam num iure Renner ubique in *τοί* mutari voluerit, dubito, cum numerus eorum locorum, ubi *σοί* extat, altero maior sit neque causa possit intellegi, cur nonnullis locis *τοί* servatum, aliis in *σοί* mutatum sit.

[1]) Theogn. 228, ubi Solonis verba non sine variis scripturis repetuntur, *ἡμῶν* extat.

Iam quod ad tertiam personam adtinet, genetivum a stirpe *σϝε* ductum nusquam extare, accusativum *ἕ (= αὐτόν)* tantum Sol. 13, 27 ex tabula supra addita adparet; dativus vero *(οἷ)* satis multis locis Theognideis traditur (178, 186, 391, 405, 519, 1256, 1376), praeter Theognidem nusquam in elegeis, sed apud Sol. 42, 4 in carmine melico. quibus locis omnibus *οἷ* vim demonstrativam habet, nusquam reflexivam, quae in Homeri carminibus satis saepe statuenda est. enuntiata autem, in quibus invenitur, omnia sunt primaria praeter 186, ubi *οἷ* post *ἥν* legitur et ad subiectum primarii enuntiati refertur. praeterea commemorandum est 1255 sq., quod prorsus singulare est, *οἷ* ad pronomen relativum spectare: *ὅστις μὴ παῖδάς τε φιλεῖ καὶ μώνυχας ἵππους | καὶ κύνας, οὔποτέ οἱ θυμὸς ἐν εὐφροσύνῃ*, 391, 405, 1376 legi in altero membro bipertiti enuntiati relativi, quod etiam in elegeis enuntiati primarii speciem prae se ferre solet. hoc quoque monendum est *οἷ* et *ἕ* semper ad homines pertinere, nusquam ad res, id quod saepe fit apud Homerum et Herodotum (cf. Krueger Di. 51, 1 adn. 6), neque umquam ad substantivum generis feminini vel neutri referri. pluralis numeri personae tertiae formae a stirpe *σφε* derivatae extant perpaucae eaeque apud Theognidem: *σφέ* (sc. *ἵππους*) 552, *σφίν (= αὐτοῖς)* 66, 422, 732, quibus locis ad homines spectat, et 772, ubi ad rem refertur. formarum autem aut omnino non aut raro usitatarum loco voculae *μίν*, *νίν*, *αὐτός* adhibentur. ex quibus vocula epica *μίν* multis locis invenitur, ita ut longe plurimis ad personam spectet, ad animal Theogn. 293, ad rem ibid. 1173 *(γνώμη)*. iam quod ad *νίν* pertinet, quae forma dorica ab Homeri carminibus aliena est, id Theogn. 364, apud quem etiam alia vocabula dorica extant, libris traditur.

Antequam autem de voce *αὐτός* disseram, paucà de pronominibus reflexivis et possessivis praemittam. de pronominibus reflexivis, quantum ad Homerum adtinet, inter alios libros Caueri commentationem supra citatam, quantum ad poetas elegiacos, Renneri l. c. fasc. II pp. 5 sqq. examinavi. iam primum omnium constat apud Homerum formas compositas, quae sunt *ἐμαυτοῦ*, *σεαυτοῦ* cet., non extare. triplex autem est ratio apud eum reflexivi pronominis exprimendi: aut enim solas formas pronominis personalis easque non encliticas adhibet, aut solam vocem *αὐτός*, aut pronomen personale et *αὐτός* iuxta posita. quibus in rebus eum poetae elegiaci non omni ex parte secuntur. neque enim pronomine personali ita utuntur neque umquam *ἐμὲ αὐτόν* similiaque adhibent, sed semel Herodoti et Atticorum more forma contracta legitur, dico Mimn. 7, 3 *τὴν σαυτοῦ φρένα τέρπε*,[1]) qui versus Theogn. 795

[1]) Multi viri docti in forma tradita haeserunt et varias coniecturas protulerunt, velut Ahrens *αὐτοῦ* vel *σωυτοῦ*, Bekker *τὴν σ' αὐτοῦ*. Bergk, quamquam poetam *σὴν αὐτοῦ* scribere potuisse dicit, nihil tamen mutat, idque recte, ut mihi quidem videtur, fecit,

repetitur, reliquis locis, sive est tertia persona sive alia, solum *αὐτός*. quod in *αὑτοῦ* et similia non licet mutare; neque enim umquam *ἑαυτοῦ* extat, quae res, si *αὑτοῦ* dixissent, mirum tibi videretur, neque praeter Mimn. l. c. personae primae vel alterius formae voci *αὑτοῦ* respondentes traduntur, sed eaedem sunt atque tertiae. quis vero est, qui, si ad illas personas significandas *αὑτός* adhiberi potest, id de tertia neget? accedit quod, quamquam codices fluctuant, in haud parvo numero locorum Theognideorum praestantissimus omnium librorum (A) semel tantum (539) spiritum asperum exhibet. exempla autem, quae huc referantur, haec sunt: Tyrt. 10, 3, Theogn. 440[1]), 480, 1009; 539, 895. quibus locis omnibus pronomen est tertiae personae. contra Theogn. 1217 sq. *μή ποτε παρ κλαίοντα καθεζόμενοι γελάσωμεν | τοῖς αὑτῶν ἀγαθοῖς, Κύρν', ἐπιτερπόμενοι* ad primam personam *αὑτός* pertinet, ibid. 955 loco a multis temptato num, ut nonnulli putant, ad alteram personam referendum sit, dubium videtur.

Pauca etiam de pronominibus possessivis explicanda sunt. quorum usitatiora ea tantum sunt, quae ad personas primam et alteram spectant. sed praeter *σός, ἡμέτερος, ὑμέτερος* nusquam *τεός, ἁμός, ὑμός* leguntur, quae omnia in Homeri carminibus invenias. iam quod ad *ἡμέτερος* adtinet, ut *ἡμεῖς* saepe pro voce *ἐγώ*, ita illud non raro pro voce *ἐμός* dicitur. quod cum fit, nonnumquam in eiusdem enuntiati circuitu numerus ita mutatur, ut a plurali numero ad singularem oratio declinet aut a singulari ad pluralem; cf. Hartel l. c. p. 15. ut pauca exempla adferam, Theogn. 447 sq. legitur *εἴ μ' ἐθέλεις πλύνειν, κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης | αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης*, 503 sqq. *οἰνοβαρέω κεφαλήν, Ὀνομάκριτε, καί με βιᾶται | οἶνος, ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης | ἡμετέρης*. tertiae vero personae pronomen possessivum rarissimum est; nam *ὅς* — *ἑός* nusquam extat — tantum Tyrt. 10, 2 et

---

etsi loci ab illo ex Sapphus et Alcaei fragmentis citati, cum hi poetae Lesbii sint, ad probandam eam scripturam non multum conferunt et forma contracta antiquis temporibus, si a Mimnermi et poetarum Lesbiorum locis discesseris, tantum a Xenophane in fragmento quodam adhibetur, quod Bergk p. 116 adscripsit et in trimetri formam redegit *(ἐγὼ δ' ἐμαυτόν)*. Bekkeri vero coniectura certo falsa est; neque *σὴν αὑτοῦ* multum probabilitatis habet, cum is usus ab elegeis absit. quod neque Franke curavit, qui Tyrt. 10, 3 pro *τὴν δ' αὑτοῦ* coniecit *ἣν δ' αὐτοῦ*, neque Bergk, qui Theogn. 955 sq. *σῶν τε γὰρ αὐτοῦ | . . κτεάνων* scribi voluit. apud Homerum autem talia inveniri Krueger Di. 51, 2, 8 et D. B. Monro (Homeric grammar) § 252 comprobarunt.

[1]) Vulgo *τῶν αὐτοῦ ἰδίων οὐδὲν ἐπιστρέφεται* legitur, quod ex deteriorum librorum scriptura *τὸν δ' αὐτοῦ ἴδιον οὐδὲν ἐπιστρέφεται* Iacobs coniecit. equidem autem cum Ahrente *τῶν δ' αὐτοῦ κηδέων* . . . scribendum esse puto, praesertim cum optimus codex *τῶν* et *κιδιον* praebeat. sed tertium accedit argumentum haud spernendum: *ἴδιος* enim, quod apud antiquissimum quemque scriptorem vim verbi 'privatus' habet, ante Atticorum tempora cum genetivo pronominis non coniungitur neque praeter Herod. VII 147 temporibus illis notione 'proprius, suus' instructum est.

Theogn. 920 legitur et utroque loco ad eiusdem enuntiati subiectum refertur, *σφέτερος* Theogn. 142 item ad subiectum eius enuntiati, in quo legitur, spectans. insignis praeterea est Theogn. v. 711 sq. *ἀλλ' ἄρα καὶ κεῖθεν πάλιν ἤλυθε Σίσυφος ἥρως | ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις*, quippe in quo *σφός*, quod apud Homerum semper, apud reliquos scriptores semper fere idem atque *σφέτερος* valet, vim vocis *ὅς* habeat, ut Hes. Theog. 398 et Alcm. fr. 56. de eiusmodi locis C. Brugman in libro qui inscribitur 'Ein Problem der homerischen Textkritik und der vergleichenden Sprachwissenschaft' exposuit. qui id egit, ut et formas pronominum a stirpibus *sava* et *sva* derivatas antiquissimis temporibus ut ad tertiam personam ita ad primam alteramque significandam adhibitas esse et temporum longinquitate factum ostenderet, ut quae a litteris *σφ* incipiunt formae ad pluralem, reliquae ad singularem referrentur. quae quamvis certa sint, tamen in elegeis quidem alterum eiusmodi exemplum non extat. idem p. 24 de Mimn. 12, 11 *ἔνθ' ἐπέβη ἑτέρων ὀχέων Ὑπερίονος υἱός* disserens *ἕτερον* alteram esse formam adiectivi *σφέτερον* dicit relegans ad Hes. Op. 376 sq., ubi scribi vult *μουνογενὴς δὲ πάις σῴζοι πατρώιον οἶκον, | γηραιὸς δὲ θάνοι ἕτερον παῖδ' ἐγκαταλείπων*. sed etsi concedendum est a stirpe *σϝε* formam *ἕτερος* oriri potuisse, tamen, cum ne apud Homerum quidem ullum eiusmodi exemplum extet, dubitari potest, num re vera *ἕτερος* umquam sic usurpatum sit. mihi quidem utroque loco pronomen reflexivum supervacaneum et ineptum atque ea ipsa notio, quae in voce *ἕτερος* inesse solet, sententiarum conexu postulari videtur. nam ut a Mimnermi loco incipiam, post verba, quae sunt *ἠέλιος μὲν γὰρ πόνον ἔλλαχεν ἤματα πάντα | οὐδέ ποτ' ἄμπανσις γίγνεται οὐδεμία | ἵπποισίν τε καὶ αὐτῷ* ..., non potest dici 'tum conscendit currum', sed requiritur 'tum *denuo* conscendit c.', et nescio an eum currum, quem Sol altero die conscendit, poetae alterum currum dicere licuerit; cf. Ovid. Met. VI 246 sq. 'simul suprema (zum letztenmale) iacentes | lumina versarunt'. item apud Hesiodum coniunctis versibus *μουνογενὴς δὲ πάις εἴη πατρώιον οἶκον | φερβέμεν· ὣς γὰρ πλοῦτος ἀέξεται ἐν μεγάροισι· | γηραιὸς δὲ θάνοι ἕτερον παῖδ' ἐγκαταλείπων* omnia recte se habere et vocem *ἕτερος* (wieder nur einer) propter verbum *μουνογενής* additam esse puto.

Iam adiciamus, quae praeter ea, quae supra adlata sunt, de pronomine *αὐτός* commemoranda sunt. de quo conferas quaeso G. Hermanni dissertationem de pronomine *αὐτός* conscriptam (Opusc. I pp. 308 sqq.). *αὐτός* (ipse) olim vi gravi instructum erat, sed paulatim ea vis ita comminuta est, ut solus nominativus genuinam notionem servaret, formae *αὐτοῦ*, *αὐτῷ* cet. in vim voculae 'is' abirent. atque Ameis ad Hom. *Γ* 362 adnotat, ubicumque id pronomen ab Homero usurpetur, maius semper esse pondus orationis et oppositionem quandam fieri. qui ut aliis

in rebus ad Homeri carmina spectantibus ita etiam hac in re nimius esse videtur; cf. ea, quae de ea re monuit Friedlaender Iahn. Ann. LXXVIIII p. 595. utut autem id est, in elegeis certe *αὐτός* saepe pronominis personalis munere fungitur. quod non solum post praepositiones fit, quibuscum formae encliticae, quae sunt *οὗ* cet., *μίν (νίν)* nusquam coniunguntur, sed etiam aliis locis, velut Tyrt. 12, 31 *οὐδ᾽ ὄνομ᾽ αὐτοῦ*, Sol. 12, 1 sq. *ἤν δέ τις αὐτὴν | μὴ κινῇ*, Theogn. 211 sq. *ἢν δέ τις αὐτὸν | πίνῃ*. quod vero ad graviorem vim adtinet, ex significatione 'ipse' facile altera notio, quae est 'solus', nasci potuit, et cum etiam in elegeis articuli usus artioribus finibus contineatur, eadem vocula compluribus locis idem valet atque *ὁ αὐτός*. iam ut eos locos silentio praeteream, quibus *αὐτός* notione 'ipse' instructum est, alteram vim Theogn. 221 sq. *ὅστις τοι δοκέει τὸν πλησίον ἴδμεναι οὐδέν, | ἀλλ᾽ αὐτὸς μοῦνος ποικίλα δήνε᾽ ἔχειν* recepit, sed *μοῦνος* additum est, ut apud Homerum — cf. ξ 450 *αὐτὸς κτήσατο οἶος — οἶος*, quo vocabulo obsoleto poetae elegiaci nusquam utuntur. vocula *μόνος* autem non adiecta eadem vi usurpatur Theogn. 902 *οὐδεὶς δ᾽ ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός* et 959 *ἔστε μὲν αὐτὸς ἔπινον ἀπὸ κρήνης μελανύδρου*. ea autem significatio, qua latino 'idem' respondet, in voce *αὐτός* inest Theogn. 621 sq. *πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν, | πᾶσιν δ᾽ ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος*, 334, 930. contra articulus, qui etiam apud Homerum compluries cum pronomine eo coniungitur, duobus extat locis, Theogn. 378 et 1334.

Iam in eo est, ut in usum pronominis *ὁ* accuratius inquiratur. ac primum quidem huius vocabuli genuinam vim esse demonstrativam constat. quae apud Homerum longe plurimis locis sumenda est; sed paulatim ita infringitur, ut Atticorum temporibus exceptis formulis quibusdam non iam inveniatur. in elegeis vero satis saepe genuina notio statuenda est, id quod exempli gratia ex hoc loco intellegitur: Theogn. 395 sqq. *τοῦ μὲν γὰρ τὰ δίκαια φρονεῖ νόος, οὗ τέ περ αἰεὶ | ἰθεῖα γνώμη στήθεσιν ἐμπεφύῃ· | τοῦ δ᾽ αὖτ᾽ οὔτε κακοῖς ἕπεται νόος οὔτ᾽ ἀγαθοῖσιν· | τὸν δ᾽ ἀγαθὸν τολμᾶν χρὴ τά τε καὶ τὰ φέρειν*. verum *ὁ* non iam per se poni, sed vocabulum quoddam, quo tamquam adminiculo nitatur, accedere solet. et ut paucis locis eiusmodi fulcrum desit, nullus tamen extat locus, quo una ex iis formis, quae accentu carent, sic usurpetur. particulae vero, quae ad vocem *ὁ* accedere solent, hae sunt: *μέν* et *δέ*, velut praeter locum s. c. Mimn. 14, 5 *τοῦ μὲν ἄρ᾽ οὔποτε πάμπαν ἐμέμψατο*, Tyrt. 5, 7 sq. *εἰκοστῷ δ᾽ οἱ μὲν . . λιπόντες | φεῦγον*, Theogn. 266 *ἡ δὲ τέρεν φθέγγετ᾽*; porro *γάρ* Theogn. 392 *ἡ γὰρ καὶ χαλεπὴν τίκτει ἀμηχανίην*, *γέ* Tyrt. 10, 26 *αἰσχρὰ τά γε* et ex certa Schneidewini coniectura Mimn. 14, 6 sq. *εὖθ᾽ ὅ γ᾽ ἀνὰ προμάχους | σεύαιθ᾽*, *τὲ καί* Theogn. 398 *τά τε καὶ τά*, *καί* (etiam) Sol. 13, 58 *καὶ τοῖς*, quae verba ibid. 5, 4 itidem coniuncta sunt, sed ita,

ut τοῖς ad pronomen relativum referatur. Theogn. 814 εἰδήσω καὶ τῶν ὅντιν' ἔχουσι νόον, ἄλλοτε..ἄλλοτε Theogn. 1258. adde eos locos, quibus ὁ cum praepositionibus coniungitur: Tyrt. 4, 10 περὶ τῶν, Xenoph. 2, 20 ἐπὶ τῷ, ibid. 7, 3 πρὸς τοῖς, Theogn. 33 μετὰ τοῖσι (bis), 51 ἐκ τῶν. quibuscum Theogn. 488 conferri potest, ubi, ut Sol. 37, 5 in trimetro τῶν οὕνεκ' legitur, ἕνεκα sequitur, sed ita, ut τοὔνεκα coniunctionis instar sit atque respondeat latino 'propterea'. iis autem locis, quibus ὁ tali fulcro caret, pronomen aut ad enuntiatum relativum spectat, quod valet de Tyrt. 10, 7 ἐχθρὸς μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται, οὓς . ., Xenoph. 1, 20, Theogn. 34, 216 [1]), aut ad singula verba, quae semper praecedunt; cf. Sol. 13, 47 sq. ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρεον εἰς ἐνιαυτὸν | λατρεύει, τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει, Mimn. 2, 3 τοῖς ἴκελοι, Xenoph. 1, 23 τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστι, Theogn. 104 οὔτε κεν ἐσθλὸν ἔχων τοῦ μεταδοῦν ἐθέλοι, 349 τῶν εἴη μέλαν αἷμα πιεῖν, 565 τοῦ συνιεῖν, 584 τῶν φυλακὴ μελέτω, 883 τοῦ πίνων. restat, ut dicam Theogn. 1062 ad hiatum tollendum pro οἱ extare τοί, quod praeter hunc locum Theogn. 383 invenitur, ubi pro οἵ ponitur, et Theogn. 305 et 936, quibus locis, si codicis A scriptura — reliqui enim οἵ exhibent — genuina est, articuli vi instructum est.

Si haec, quae modo prolata sunt, cum Homeri usu (cf. Krueger Di. 50, Monro Gr. hom. §§ 256 sqq.) comparamus, vix ullum invenitur exemplum, cui simile in Homeri carminibus non extet. alia vera, quae apud Homerum satis saepe leguntur, iam ea aetate ab usu remota erant. neque enim ὁ umquam adtributi in modum cum substantivo coniungitur, quod ex. gr. fit Hom. E 268 τῆς γενεῆς ἔκλεψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγχίσης vel φ 142 ἀρξάμενοι τοῦ χώρου, ὅθεν τέ περ οἰνοχοεύει, cum talibus locis οὗτος adhibeatur, neque ad substantivum sequens refertur — compara ω 286 ἡ γὰρ θέμις et Theogn. 688 οὐδενὶ τοῦτο θέμις — neque ita usurpatur, ut infinitivus sequatur, velut υ 52 ἀνίη καὶ τὸ φυλάσσειν, sed aliud pronomen demonstrativum eiusmodi locis adhibetur; cf. Theogn. 699 sq. πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίνεται ἥδε, | πλουτεῖν. quod porro apud Homerum praepositiones nusquam οὗτος excipit, raro ὅδε, saepius ὁ, in elegeis non solum ὁ, ut supra demonstratum est, cum praepositionibus coniungitur, sed etiam ὅδε (Theogn. 263 παρὰ τῇδε et Xenoph. 7, 4 περὶ τῶνδ') et οὗτος (Sol. 11, 4 διὰ ταῦτα, ibid. 13, 35 ἄχρι δὲ τούτου, 24, 5 ex Bergkii coniectura κατὰ ταῦτα). verum si hos locos cum iis, quibus ὁ extat, componimus, etiam in elegeis crebrius ὁ usurpari videmus. item ex locis congestis adparet apud Theognidem pronomen οὗτος ne uno quidem loco cum praepositione consociatum esse. praeterea numerus particularum, ad

---

[1]) Aliis locis ὁ et ad enuntiatum relativum refertur et cum particulis coniungitur quod fit Tyrt. 12, 27, Sol. 5, 4, Theogn. 871.

quas ὁ accedere solet, in elegeis multo minor est quam apud Homerum. nam etsi ὁ δέ invenitur, tamen nusquam, ut de reliquis particulis taceam, pro δέ ponitur αὐτάρ vel ἀλλά. sed ne ὁ δέ quidem Homeri more, qui etiam αὐτὰρ ὁ et ὅ γε sic usurpat, umquam in altero enuntiato bipertiti verborum ambitus, nisi subiecti fit mutatio, legitur. absunt igitur exempla, qualia sunt Δ 491 sq. τοῦ μὲν ἅμαρθ', ὁ δὲ Λεῦκον, Ὀδυσσέος ἐσθλὸν ἑταῖρον, | βεβλήκει et Herod. V 120 ... τὰ μὲν πρότερον οἱ Κᾶρες ἐβουλεύοντο μετῆκαν, οἱ δὲ αὖτις πολεμέειν ἐξ ἀρχῆς ἀρτέοντο.

Altera vocabuli de quo agitur vis est articuli. apud Homerum saepe haud facile diiudicari posse constat, utrum pronomen demonstrativum sumendum sit an articulus. unde causa repetenda est, cur de hac re et veteres grammatici et recentiores maxime dissentiant. quod qui edoceri vult, Ad. Stummeri commentationem, quae est de articulo homerico (Progr. d. kl. Studienanstalt zu Münnerstadt 1885/6) legat, ubi quae huc pertinent res accurate congestae sunt. atque alii Homerum satis multis locis articulo usum esse dicunt, alii paucis eum extare putant, alii umquam eum adhibitum esse ab illo negant. hi autem certo falsi sunt, cum, si iis adstipuleris, summae saepe interpretandi difficultates oboriantur. quis enim est, ut unum exemplum adferam — cf. praeter Stummerum Classen Iahn. Ann. LXXVIIII pp. 297 sqq. —, qui Ameisio adsentiatur ϑ 107 sq. verba οἱ ἄλλοι | Φαιήκων οἱ ἄριστοι sic interpretanti 'sie, die andern, jene besten', vel ὁ pronomen demonstrativum esse putet, si cum verbis οὗτος, ἐκεῖνος copulatur? at quid de poetis elegiacis statuendum est? primum quidem vix umquam dubium esse potest, utrum ὁ pronominis apud eos an articuli notionem habeat, sed res facile diiudicatur. verum ne apud hos quidem poetas usus tam constans est quam apud eos, qui postea fuerunt. etenim veterrimi, Callinus, cuius reliquiae sane minimae sunt, Tyrtaeus, Archilochus, Mimnermus, Solo raro articulo utuntur. veluti in quinquaginta fere versibus Archilochi nusquam extat, apud Callinum semel, apud Tyrtaeum in centum quinquaginta fere versibus undecies, neque multo saepius in Mimnermi et Solonis reliquiis invenitur. atque cum participiis et adiectivis coniungitur, si quidem substantivorum munere funguntur, cum numeralibus ordinalibus (cf. Sol. 27), cum adverbiis, rarissime cum substantivis. ad quos locos Tyrt. 12, 41 οἵ τε κατ' αὐτόν (= ἡλικιῶται) accedit. latius vero apud Theognidem, quamquam et hic articulum participiis et adiectivis multo saepius praemittit quam aliis verborum generibus, is usus patet.

Apud Homerum etiam participiis articulum praecedere Krueger Di. 50, 5, 1, Naegelsbach ad A 70, Classen (Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch) pp. 62 sq. ostenderunt; sed eiusmodi loci sunt paucissimi, quod etiam de Hesiodi carminibus valet; cf. Stummer l. c.

p. 61. in elegeis autem id genus exempla ubique invenias, velut Sol. 4, 15 *ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ᾽ ἐόντα*, cui loco simillimus est versus *A* 70 *ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα*, Theogn. 162 *τὸ κακὸν δοκέον*, 721 *τὰ δέοντα*, 1077 *πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι*; item art. gen. masc. Sol. 13, 61 *τὸν ... κακούμενον*, Theogn. 473 *τῷ πίνειν δ᾽ ἐθέλοντι*, 904 *τοῖς συνιεῖσι* alia. qui usus quantum pateat, optime ex similibus locis adparet ita comparatis, ut a poetis elegiacis articulus adiciatur, in Homeri carminibus desit, velut Theogn. 515 verbis *τῶν δ᾽ ὄντων τἄριστα παρέξομεν* et eiusdem poetae verbis 517 *οὔτε τι τῶν ὄντων ἀποθήσομαι* collatis cum his versibus homericis: *η* 166 *δόρπον ... δότω ἔνδον ἐόντων* et *α* 140 *χαριζομένη παρεόντων*. contra raro eiusmodi loci carent apud elegearum scriptores articulo, velut Theogn. 251 sq. *πᾶσι γάρ, οἷσι μέμηλε, καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδὴ* | *ἔσσῃ*, ubi articulus omissus ex imitatione homerica explicatur — cf. *θ* 580 *ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή* et *γ* 204 *οἴσουσι κλέος εὐρὺ καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν* — vel, ubi variat oratio, 845 sq. *εὖ μὲν κείμενον ἄνδρα κακῶς θέμεν εὐμαρές ἐστιν*, | *εὖ δὲ θέμεν τὸ κακῶς κείμενον ἀργαλέον*. quamquam igitur *ὁ* saepe participiis praemittitur, tamen eius usus, quem negat Classen l. c. umquam in Homeri carminibus inveniri, ut participium articulo instructum adtributi loco positum sit, ne in elegeis quidem plus unum exemplum indagavi, Theogn. 36 *ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον*.

Ut autem participia ita adiectiva passim cum articulo coniuncta inveniuntur. veluti, ut pauca adferam exempla, ubicumque apud Theognidem adiectivi, quod est *δίκαιος*, forma aliqua sive generis masculini sive neutri substantivi partes obtinet, — loci autem ita comparati sunt permulti — articulus nusquam deest; nam quod 313 *ἐν δὲ δικαίοις* legitur, articulus hic ne in prosa quidem oratione requiritur. sed hoc quidem verbum Homerus de rebus adhibere non solet, neque, ubi ad homines spectat, substantivo non adiecto eo utitur; quare de altero agamus, quod et apud Homerum et in elegeis saepe substantivi instar est, dico *μέσος*. quod apud illum articulo semper caret itemque apud Hesiodum, apud Theognidem vero tantum iis locis, ubi *ἐν* praecedit (3, 994, 1164), et 335 *πάντων μέσ᾽ ἄριστα*, quae verba proverbii speciem prae se ferunt. contra articulus praemittitur 495 et 678 *ἐς τὸ μέσον*, 839 *τούτων δ᾽ ἂν τὸ μέσον στρωφήσομαι*. ex adverbiis cum articulo coniunctis elegeis cum carminibus homericis sunt communia *τὸ πρῶτον* Call. 1, 11 et *τὸ πρίν* Theogn. 483. in elegeis autem praeterea legitur *τὰ νῦν* Theogn. 604, *τὸ δ᾽ ἀτρεκρές* (genau genommen) ibid. 167, quocum loco comparari potest Herod. V 9 *τὸ δὲ πρὸς βορέω ἔτι τῆς χώρης ταύτης οὐδεὶς ἔχει φράσαι τὸ ἀτρεκές*, nisi quod hic *τὸ ἀτρεκές* substantivi instar est, *τὸ μέγιστον* ibid. 111 in loco corrupto.

Ut iam ad substantiva accedam, haec longe plurimis locis articulo carent. quod cum de omnibus substantivis tum de nominibus propriis valet, cum haec tantum exempla inveniantur: *ὁ Ζεύς* Mimn. 4, 1 et Theogn. 25; cf. *Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη | τοῦ Μεγαρέως* ibid. 22 sq., *τῶν Σαλαμιναφετῶν* Sol. 2, 4. ex reliquis vero substantivis nonnulla, etsi saepius leguntur, nusquam articulo instructa sunt, velut *θεός* et *ἄνθρωπος*, atque hoc quidem excepto Theogn. 616 *τῶν νῦν ἀνθρώπων*, ubi adverbii causa *τῶν* additum esse adparet. ubicumque autem substantivum cum articulo coniungitur, si adiectivum accedit, hoc semper medium obtinet locum praeter Theogn. 635 *ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς*, quae verborum collocatio non aliena est ab Homeri carminibus; cf. Krueger Di. 50, 8, 1 et 2. neque huius usus, ut *ὁ* loco pronominis possessivi positum sit, prorsus desunt apud Homerum vestigia, quamquam in elegeis exempla huc spectantia plura inveniuntur, velut Theogn. 275 sqq. *παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις, | ...| τὸν πατέρ' ἐχθαίρουσι*; cf. praeterea 633, 851, 924. paucis locis, ubi *τόν* ante substantivum legitur, genuina scriptura *τοί* esse videtur; cf. Theogn. 113, ubi Bergkium recte puto scripsisse *μήποτέ τοι* (libri *τὸν*) *κακὸν ἄνδρα φίλον ποιεῖσθαι ἑταῖρον*, cum *τόν* sensu careat, *τοί* vero saepissime in eiusmodi sententiis generalibus extet, velut 155 sq. *μήποτέ τοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χολωθείς, | μηδ' ἀχρημοσύνην οὐλομένην πρόφερε.* item Theogn. 279 *τόν*, quod in cod. *A* correctum est in *τοί*, falsum et *τοί* reponendum esse videtur, ut legendum sit *εἰκός τοι κακὸν ἄνδρα κακῶς τὰ δίκαια νομίζειν*; cf. 627 *αἰσχρόν τοι μεθύοντα παρ' ἀνδράσι νήφοσι μεῖναι.*[1])

Quae iam secuntur exempla ita comparata sunt, ut in Homeri carminibus similia aut omnino desint aut, si quae extant, sint rarissima. etenim nonnullis locis poetae elegiaci substantivo vel alii verbo, quod substantivi instar est, adverbium adiciunt, quod uno loco, quo adiectivum pro substantivo positum est, excepto (Theogn. 1109 extr.) medium inter articulum et nomen obtinet locum; cf. Theogn. 1109 sq. *Κύρν', οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί, οἱ δὲ κακοὶ πρὶν | νῦν ἀγαθοί.* ut autem in priore parte versus modo adlati *πρόσθε* interponitur, ita ibid. 57 *πρίν*: *οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοί*, 616 *νῦν*: *οἱ νῦν ἄνθρωποι.*[2]) ad quos locos ii accedunt, quibus adverbia

---

[1]) Etiam Theogn. 641 nescio an cum Emperio potius *τοί* scribendum sit: *οὔ τοι κ' εἰδείης οὔτ' εὔνουν οὔτε τοι ἐχθρόν.*

[2]) Alia exempla similia non extant. ex Homeri carminibus Krueger Di. 50, 8, 4 citat *Ξ* 274 *μάρτυροί ὦσ' οἱ ἔνερθε θεοὶ Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες*; quod, cum prorsus singulare sit, Nauck ita mutavit, ut scriberet *ὦσιν ἔνερθε θεοί.* quod vero praeterea Krueger *N*, 83 *τοὺς ὄπιθεν γαιήοχος ὦρσεν Ἀχαιούς* adfert, id vix ita explicandum est, quia substantivum nimis remotum est et vel praedicatum interponitur.

vel nomina cum praepositione aliqua coniuncta pro substantivis sunt. huc spectat Tyrt. 12, 41 *οἵ τε κατ' αὐτόν*, cui loco similem neque apud Homerum neque apud Hesiodum invenio, Theogn. 553 *οὐ πολλὸν τὸ μεσηγύ, διαπρήξουσι κέλευθον*, quocum loco — apud Homerum *μεσηγύ* semper est adverbium neque umquam ei articulus adiungitur — conferri possunt duo versus ex hymnis desumpti, quibus *μεσηγύ* medium inter terram et caelum spatium i. e. aera significat, hymn. Apoll. Del. 108 *ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ* et hymn. Cer. 318 *καὶ τὸ μεσηγὺ* (ex Ilgenii coniect. pro *καὶ μεσσηγὺ*) *διέδραμεν ὦκα πόδεσσι* (cf. etiam Theocr. XXV 216 *ἤματος ἦν τὸ μεσηγύ*), porro Theogn. 110 *τῶν πρόσθεν πάντων*, 1096 *τῶν μοι πρόσθε*, singularis est v. 332 *τὰ τῶν ἑτέρων*, quo loco, id quod nusquam alibi fit, duae articuli formae inter se excipiunt.[1])

Homerum negant grammatici umquam cum infinitivo coniunxisse articulum et quod *υ* 52 sq. traditur *ἀνίη καὶ τὸ φυλάσσειν | πάννυχον ἐγρήσσοντα*, *φυλάσσειν* pro adpositione habent idque recte, cum ab antiquis illis temporibus hic usus plane absit. quid quod ne apud Hesiodum quidem plus unum exemplum invenitur Op. 314 *δαίμονι δ' οἷος ἔησθα, τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον*. item in elegeis huius usus tantum vestigia extant. nam praeter Cleobulinae 2, 2 *καὶ τὸ βίᾳ ῥέξαι τοῦτο δικαιότατον* et Theogn. 288, qui versus admodum corruptus est, nullus eiusmodi locus traditus est.[2])

Iam supra commemoratum est, in elegeis vocabulum *αὐτός* pronominis reflexivi partes suscipere. quod cum fit, ubicumque genetivus pendens a nomine legitur, articulus nusquam non ponitur. contra loci homerici eo carent praeter I 342 *τὴν αὐτοῦ φιλέει* (sc. *ἄλοχον*). item eo loco, ubi *σαυτοῦ* extat, Mimn. 7, 3 *ὁ* praecedit, ubi vero Homerus pronomen personale voculae *αὐτός* praemittit, persaepe deest articulus. minus autem constans articuli usus est iis locis, quibus *αὐτός* vim latini 'idem'

---

[1]) Apud Homerum unum locum ita comparatum extare sunt qui putent, *K* 408 *πῶς δ' αἱ τῶν ἄλλων Τρώων φυλακαί τε καὶ εὐναί*, quae ratio proxime accederet ad usum recentiorum scriptorum. quare iam Aristarchus haesit in verbis iis et relegans ad *α* 225 et *ω* 299 *δαί* scripsit, Duentzer vero *πῶς δ' αὖ* restituere voluit.

[2]) Miror Kruegerum Di. 50, 6, 3 huc referre Theogn. 1077 sq. *πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι | οὐ ξυνετὰ θνητοῖς πείρατ' ἀμηχανίης*, cum dubium esse non possit, quin *τοῦ* cum participio coniungendum sit. ceterum etiam apud reliquos poetas vetustiores articulus raro ad infinitivum accedit, velut in priore vol. fragm. epic. a Kinkelio collectorum non extat nisi fr. 181 *ἁδὺ δὲ καὶ τὸ πυθέσθαι*, neque hoc certum est exemplum, cum *τὸ* etiam pro pronomine demonstrativo haberi possit; cf. Stummer l. c. p. 63. ex Alcmanis reliquiis Krueger l. c. unum citat versum, ad quem accedit fr. 35 *τὸ καλῶς κιθαρίσδην*; cf. Sitzler (Festschrift der badischen Gymnasien gewidmet der Universität Heidelberg zur Feier ihres 500jährigen Jubiläums 1886) p. 55.

habet; nam Theogn. 622, 930, 334 solum pronomen traditur, ibid. 378 et 1334 *ὁ* extat ut quinque locis homericis; cf. Stummer l. c. p. 54.

Iam de pronominibus possessivis acturus longe plurima exempla articulo carere invenio, quippe qui paucis locis Theognideis extet, semel ante *σός* 1236 *τῇ σῇ κραδίῃ*, ter ante *ἐμός* 346 *τἀμὰ χρήματα*, 439 *τὸν ἐμὸν . . νόον*, 519 *τὸν ἐμὸν βίον*. unde adparet, cum v. 1236 a Theognide abiudicandus sit, vel ab hoc poeta admodum parce articulum admissum esse. quod eo magis mirum est, quod Homerus si non reliquis pronominibus possessivis tamen his: *ἐμός*, *σός*, *ὅς* non ita raro *ὁ* praemittit.

*Ἄλλοι* in carminibus homericis saepe idem significat atque *οἱ ἄλλοι*; poetae elegiaci autem addunt articulum praeter Theogn. 1135 sq. *ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,* | *ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν*.

Ubi pronomina demonstrativa *οὗτος*, *ὅδε*, *ἐκεῖνος* cum substantivo coniunguntur, hoc articulo caret. quod idem valere constat de Homeri carminibus, nisi quod tres Odyssiae loci excipiendi sunt, *σ* 114 *τοῦτον τὸν ἄναλτον*, *τ* 372 *αἱ κύνες αἵδε*, *β* 351 *κεῖνον . . τὸν κάμμορον*.

Praeterea dignum est quod commemoretur Theogn. 273 legi *τῶν πάντων*, cui loco similis apud Homerum non invenitur, ubicumque autem verba, quae sunt *πᾶς*, *ἅπας*, *σύμπας* (hoc tantum Call. 1, 18), praedicative cum voce aliqua coniunguntur — loci autem ita comparati sunt plurimi —, nusquam articulum accedere. nam quod Theogn. 110 legitur *τῶν πρόσθεν πάντων* et ibid. 812 *τῶν δ' ἄλλων πάντων*, illic adverbii causa, hic verbi *ἄλλος* causa *ὁ* adiectum esse adparet: de usu homerico cf. Krueger Di. 50, 10, 2.

Idem cadit in eos locos, quibus adiectiva, quae sunt *ἄκρος*, *ἀμφότερος*, *ἕκαστος*, praedicative dicta ad substantiva referuntur; nam ut apud Homerum ita in elegeis semper deest articulus. quibuscum locis vocis *μέσος* usus ita consentit, ut semel articulus extet, Theogn. 220 *Κύρνε, μέσην δ' ἔρχευ τὴν ὁδόν, ὥσπερ ἐγώ*, quocum versu conferas locum ceteroquin simillimum ibid. 331 *ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν*.

Cum apud Homerum, etiamsi *ὁ* ad nomen sequens spectat, saepe pronomen demonstrativum sumendum sit, non raro verba, quae non ad nomen pertinent, voculae *ὁ* et nomini interponuntur. in elegeis vero, quoniam hic usus ab iis alienus est, nomen voculam, de qua agitur, excipere solet, nisi quod eae particulae, quae non possunt non postponi, veluti *δέ*, *μέν*, *τέ* (*τέ . . τέ*), *γάρ*, *γέ* (1083 Theogn.), saepe inseruntur. singulare igitur est, quod Theogn. 1096 traditur, *τῶν μοι πρόσθε*, singulare, quod ibid. 813 extat, *οἵ με φίλοι προὔδωκαν*, quocum loco Theogn. 575 *οἵ με φίλοι*

προδιδοῦσιν conferas.[1]) sed haec in brevibus pronominum formis excusationem quandam habent. neque quicquam offensionis est in iis locis, quibus nomen longius ab articulo remotum est, sed attributum proxime ad eum accedit, velut Theogn. 1021sq. *τὸ δ' οὐλόμενον καὶ ἄμορφον | αὐτίχ' ὑπὲρ κεφαλῆς γῆρας ὑπερκρέμαται* et ibid. 764 *μηδὲν τὸν Μήδων (= Μηδικὸν) δειδιότες πόλεμον.*

Iam res in eo est, ut pauca de iis locis addantur, quibus ὁ est pronomen relativum. en conspectum locorum: Sol. 4, 22 *συνόδοις, τῆς ἄδικ' ἐστὶ φίλα,*[2]) Xenoph. 2, 17 *οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν, τό πέρ ἐστι πρότιμον,* ibid. 5, 2 sq. . . *τίμιον ἀνδρὶ λαχεῖν, | τοῦ κλέος Ἑλλάδα πᾶσαν ἐφίξεται οὐδ' ἀπολήξει,* ibid. 6, 5 *ψυχή, τὴν ἔγνων,* Theogn. 215 sq. *δς ποτὶ πέτρῃ, | τῇ προσομιλήσῃ,* 256 *πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν,* 450 sq. *χρυσόν . . ., | τοῦ χροιῆς καθύπερθε μέλας οὐχ ἅπτεται ἰός,* 462 *χρήμασι, τῶν ἄνυσις γίνεται οὐδεμία,* 481 *ἀπάλαμνα, τὰ νήφοσι γίνεται αἰσχρά,* 500 sq. *οἶνος . . ., τὸν ὑπὲρ μέτρον ἤρατο πίνων,* 583 sq. *ἀλλὰ τὰ μὲν προβέβηκεν, ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι | ἀεργά, τὰ δ' ἐξοπίσω, τῶν φυλακὴ μελέτω,* 591 *τολμᾶν χρή, τὰ διδοῦσι θεοί,* 716 *καὶ παίδων Βορέω, τῶν ἄφαρ εἰσὶ πόδες,* 879 sq., ubi ab enuntiato relativo pendet alterum: *πῖν' οἶνον, τὸν ἐμοὶ κορυφῆς ὕπο Τηυγέτοιο | ἄμπελοι ἤνεγκαν, τὰς ἐφύτευσ' ὁ γέρων.* quos locos si accuratius inspicimus, pronomen longe plurimis locis ita adhibitum videmus, ut hiatus evitetur, Theogn. 256 ita, ut syllaba longa efficiatur.[3]) restant igitur perpauci loci ita comparati, ut formis a littera τ incipientibus non sit opus, Xenoph. 5, 3, Theogn. 451, 216, quibus locis pronomen illud in initio versus collocatum est, et Sol. 4, 22, Xenoph. 2, 17.[4]) enuntiata autem, quae enumeravimus, vere relativa esse vel inde adparet, quod non tam novi aliquid iis additur quam verbum aliquod idque plerumque substantivum, quod pronomen excipere solet, accuratius explicatur et

---

[1]) In Homeri carminibus locus, qui huic ex omni parte respondeat, non invenitur, sed non ita raro dativus pronominis interponitur, velut *P* 232 *τὸ δέ οἱ κλέος;* ceterum cf. hymn. XXXIV (XXXIII), 17 *οἱ δέ σ' ἀοιδοί.*

[2]) Sane huius scripturae auctor Bergk est, sed magnam ea probabilitatem habet; in codicibus extat *τοῖς ἀδικοῦσι φίλοις.* apud Solonem ὁ praeterea sic semel in trimetris usurpatur 36, 3 *ἄριστα Γῆ μέλαινα, τῆς ἐγώ ποτε . . .*

[3]) Eadem de causa Mimn. 11, 5 *τόθι* pro *ὅθι* legitur: *Αἰήταο πόλιν, τόθι τ' ὠκέος Ἠελίοιο | ἀκτῖνες χρυσέῳ κείαται ἐν θαλάμῳ.* num vero idem de Theogn. 1175 statuendum sit, cum locus non sit sanus, incertum est.

[4]) Renner l. c. etiam in Theogn. v. 17 *ὅττι καλόν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν,* τό pronomen relativum esse putat. at est articulus et verba *τὸ δ' οὐ καλὸν* respondent enuntiato *ὅττι καλόν,* ut saepe apud Theognidem post enuntiatum relativum talia leguntur; cf. 54 sqq. *οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους, | . . . οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ | νῦν δειλοί.*

ita quasi enuntiatum primarium in partes dirimitur. rarius *ὅ* ad pronomen demonstrativum vel adscriptum vel supplendum pertinet. singularis autem est Xenoph. v. 2, 17, ubi verba *τό πέρ ἐστι πρότιμον* ad totum enuntiatum referuntur. qui locus etiam idcirco insignis est, quod particula *περ* adiecta est; nusquam enim alibi in his reliquiis particula ulla sequitur, qua in re differt usus ab usu homerico; in Homeri enim carminibus aliis locis alia vocula adnectitur, de quibus particulis conferas Ebelingii lex. hom. II p. 20. veluti, ut unam adferam ex voculis iis, non ita raro apud Homerum cum pronomine, de quo agitur, *τε* coniungitur, in quo usu genuinae notionis, quae respondet latino 'et is', vestigium inest. contra in elegeis, quantum quidem ad pronomen *ὅ* adtinet — *ὅς τε* enim non deest — talia non inveniuntur. ut autem *ὅς τε* saepe legitur, *ὅ τε* numquam, ita, quamquam frequens *ὅς τις* est, *ὅ τις* tantum Theogn. 675 sq. traditum est: *κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν | ἐσθλόν, ὅ τις φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως.*

Quoniam ad pronomen relativum pervenimus, cum de ceteris pronominibus demonstrativis quod dicendum erat supra exposuerimus, iam de reliquis pronominibus relativis agere possum. sed ad haec recurrendi infra occassio erit. quare hic paucis verbis tantum eos locos perstringam, quibus *ὅς* pronominis demonstrativi vim habet. certa quae huc spectant exempla duo sunt, Demod. 2, 1 *καὶ τόδε Δημοδόκου· Χῖοι κακοί, οὐχ ὁ μέν, ὃς δ' οὔ,* Phoc. 1, 1 *καὶ τόδε Φωκυλίδεω· Λέριοι κακοί, οὐχ ὁ μέν, ὃς δ' οὔ,* quorum alterum alteri exemplo fuisse adparet. utroque autem loco masculini forma legitur ad efficiendam syllabam longam necessaria. accedunt Theogn. 169 et 800, quibus locis libri varia exhibent, grammatici varia coniecerunt.

Restat, ut de pronomine interrogativo *τίς* et de pronomine indefinito *τὶς* exponatur. atque ut ab illo incipiam, enuntiata interrogativa, quamquam non sunt rara, tamen omnia fere ita comparata sunt, ut, quo vividior oratio fiat, eandem vim habeant quam enuntiata adfirmativa. quibus omissis perpauca exempla proprie interrogativa restant, velut Call. 1, 1, quo loco *τίς* ad praepositionem accedit: *μέχρι τεῦ* (cf. *Ω* 128 *τέο μέχρις*), et Theogn. 1299 *μέχρι τίνος*, in quo versu ceteroquin a Theognide alieno forma *τίνος* extat, quae in Homeri carminibus non legitur. ceterum in enuntiatis subiunctivis nusquam in elegeis, ab Homero raro *τίς* adhibetur, sed *ὅς τις* frequentatur.

Pronominis indefiniti *τὶς* usus apud Homerum artioribus finibus continetur quam apud posteriores. qua in re observatione dignum est illum pro verbis *οὐδείς, μηδείς* saepe *οὔ τις, μή τις* dicere; nam *μηδείς* ab Iliade et Odyssia plane alienum est, *οὐδείς* praeter formam *οὐδέν*, quae pro adverbio esse solet, rarissime invenitur; *οὐδεμία* enim nusquam, *οὐδείς* tantum

*X* 459 et *λ* 515 extat. in elegeis vero vocabula *οὐδείς*, *μηδείς* usitatissima sunt, *οὔτις*, *μήτις* praeter *οὔτι*, quod excepto Theogn. v. 1175 semper adverbii instar est, perpaucis locis leguntur. et si adhibentur, *τὶς* apud Theognidem semper voculas *οὐ*, *μή* excipit et cum iis in unum coalescere solet.[1]) ex tribus autem locis, qui apud vetustiores poetas elegiacos extant, uno vocula nulla interiecta est, dico Sol. 11, 2 *μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε*, duobus particula inseritur, quod saepe fit apud Homerum: Mimn. 14, 9 *οὐ γάρ τις κείνου δηίων ἔπ' ἀμεινότερος φώς* et Sol. 13, 60 *κοὐκ ἄν τις λύσαιτ' ἤπια φάρμακα δούς*.

Non ita raro *τὶς* idem est ac nostrum ‘mancher, jeder’, quam vim hanc voculam etiam apud Homerum nonnumquam habere constat; cf. Naegelsbach ad *B* 355 et 389. atque conspicitur hic usus in primis in Callini et Tyrtaei reliquiis, quippe apud quos raro eam notionem non habeat, et nonnullis locis Theognideis; cf. Call. 1, 5 *καί τις ἀποθνήσκων ὕστατ' ἀκοντισάτω*, ibid. 1, 9 *ἀλλά τις ἰθὺς ἴτω*, Tyrt. 10, 31 = 11, 21 *ἀλλά τις εὖ διαβάς*, ibid. 11, 29 *ἀλλά τις ἐγγὺς ἐών*, Theogn. 184 sq. *καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν | βήσεσθαι*, ibid. 905 sq. *εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου τέλος ἦν, ὁπόσον τις | ἤμελλ' ἐκτελέσας εἰς Ἀίδαο περᾶν*.

Contra reliquis locis *τὶς* usitatam vim habet et particulas excipere solet ita, ut a verbo, ad quod pertinet, removeatur aut certe ei praemittatur; cf. Theogn. 565 *ὁπόταν τι λέγῃ σοφόν*, 1192 *ἀλλά τί μοι ζῶντι γένοιτ' ἀγαθόν*, Sol. 13, 56 *οὔτε τις οἰωνός*, Theogn. 463 *οὔτε τι καλόν*, 769 *εἴ τι περισσόν*, 697 *ἦν δέ τι δεινόν* alia. quid quod praeter formulas *ὅς τις* et *πᾶς τις*[2]) ne unum quidem exemplum certum invenitur ita comparatum, ut *τὶς* vocem, ad quam refertur, excipiat. nam quod Mimn. 7, 4 traditur *ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ*, in hoc loco *τὶς*, cum verba *ἄλλος . . ἄλλος* inter se respondeant, paululum displicet, et apud Theogn. 796, ubi idem versus extat, *τοί* traditum est, quae scriptura etiam Bergkio genuina esse videtur. quodsi sunt, qui Theogn. 960 *ἡδύ τι* et 1052 *ἀγαθόν τι* legant, haec coniecturis, non librorum scripturis nituntur. unus autem est locus certus, quo *τὶς* verbum, ad quod pertinet, non excipit quidem, sed tamen sequitur, Theogn. 706 *ἄλλος δ' οὔπω τις* (ibid. 877 *τινὲς ἄλλοι*). restat, ut addam genetivi et dativi formas, quae sunt *τινός*, *τινί*, quae et ipsae ab Homeri carminibus alienae sunt, non adhibitas esse, sed *τεῦ* et *τῷ*, et pluralem numerum in tanta locorum copia solum Theogn. 877 *τινὲς ἄλλοι* extare.

---

1) Locus Theogn. 861 *καὶ οὐκ ἐθέλουσί τι δοῦναι* plerisque corruptus esse videtur; certe vero in collocatione verborum non est haerendum, cum *οὐκ ἐθέλω* idem sit atque ‘recuso’; cf. usitatissimam in elegeis formulam *οὐκ ἐθέλων*; latine dicas ‘invitus’.

2) *Πᾶς τις*, quod ab Homeri carminibus alienum est, Sol. 27, 7, Theogn. 22, 621 legitur; quibuscum locis conferri potest *εἷς τις* *A* 144.

## II. De rebus in subiecti, praedicati, adtributi, adpositionis usu memorabilibus.

Krueger Di. 61, 4, 3 et La Roche in commentatione inscripta 'Die Lehre von der Congruenz' (eph. gymn. Austr. 1871) pp. 729 sqq., quos in hac disputatiunculae parte potissimum sequar, negant Homerum verbis res, quae in caelo fiunt, significantibus uti nisi subiecto addito: semper illum (*M* 25, *ξ* 457) *Ζεὺς ὗει* dicere, neque umquam verba, quae sunt *βροντᾶν, ἀστράπτειν, νίφειν*, subiecto carere. quod itidem in eum locum Theognidis cadit, quo *ὕειν* legitur — reliqua verba in elegeis non extant —, dico 25 sq. *οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς* | *οὔθ' ὕων πάντεσσ' ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων.* porro Krueger Di. 61, 4, 2 ab Homero umquam subiecta, qualia sunt *κῆρυξ, σαλπιγκτής*, omitti negat. sed vestigia eius usus etiam in illius carminibus inveniri La Roche p. 730 ostendit; cf. *φ* 142 *ἀρξάμενοι τοῦ χώρου, ὅθεν τέ περ οἰνοχοεύει* (sc. *ὁ οἰνοχόος*). idem subiectum Theogn. 473 *τῷ πίνειν δ' ἐθέλοντι παραστάδὸν οἰνοχοείτω* supplendum est — cf. etiam 487 sq. *σὺ δ' ἔγχεε τοῦτο μάταιον* | *κωτίλλεις αἰεί* — idque in carmine convivali, in quo etiam vox *κύλιξ* deest 489 sq. *ἡ μὲν γὰρ φέρεται φιλοτήσιος, ἡ δὲ πρόκειται,* |·*τὴν δὲ θεοῖς σπένδεις, τὴν δ' ἐπὶ χειρὸς ἔχεις* et 492 *ὃς πολλὰς πίνων μή τι μάταιον ἐρεῖ.* praeterea similis locus in simili extat carmine Xenoph. 1, 1 sqq. *νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων καὶ κύλικες· πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεῖ στεφάνους* (sc. *παῖς*), | *ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ πορσύνει.* quae omnia carminum convivalium naturae consentanea sunt neque praeter haec alia id genus leguntur.

Perraro, si subiectum incertum est, tertia persona pluralis adhibita est, qua minus etiam usitata est altera persona singularis. illa extat Xenoph. 2, 5 *εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον, ὃ παγκράτιον καλέουσιν* et Theogn. 1287 sqq. *ἀλλά σ' ἐγὼ τρώσω φεύγοντά περ, ὥς ποτέ φασιν* | *Ἰασίου κούρην, παρθένον Ἰασίην* | . . . | *φεύγειν*, haec Xenoph. 1, 17 sq., ubi post verba (13 sqq.) *χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας* | . . . | *σπείσαντας δὲ καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι* | *πρήσσειν* . . . *πίνειν* sic pergit poeta *ὁπόσον κεν ἔχων ἀφίκοιο* | *οἴκαδ' ἄνευ προπόλου.*

Si subiecti (obiecti) vice pronomen fungitur, hoc, si ad verba praecedentia refertur, sed substantivum praedicati loco dictum sequitur, modo ad ea, quae praecedunt, modo ad nomen sequens accommodatur; cf. Sol. 27, 8 *ἰσχύν, ἥντ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς*, quo loco pronomen ad unum spectat verbum, non ad totum enuntiatum, id quod fit reliquis locis: Tyrt. 12, 13 *ἥδ' ἀρετή, τόδ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον*; Sol. 24, 7 *ταῦτ' ἄφενος θνητοῖσι*, Theogn. 688 *οὐδενὶ τοῦτο θέμις*; quocum loco homerici conferri possunt, quibus *ἣ θέμις ἐστίν* (*B* 73 al.) et *ἡ γὰρ θέμις* (*ω* 286)

legitur quibusque pronomen semper cum substantivo congruit. adtractio subiecti quae dicitur extat Sol. 13, 9 sq. *πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοί, παραγίγνεται ἀνδρὶ | ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος εἰς κορυφήν*; neque Theogn. 381 sq. cum codice *A* scribere dubito *οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν, | οὐδ' ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι*, quamquam Ziegler alios codices secutus *ὁδὸς* in textum recepit.

Iam id agitur, ut in praedicati usum accuratius inquiratur. qua in re maxime quod commemoretur dignum est in Theognidis elegeis saepe neutrum adiectivi substantivi loco positi ad subiectum cuiuslibet generis referri. tales igitur loci, quales sunt *B* 204 *οὐκ ἀγαθὸν πολὺκοιρανίη* et *T* 235 *ἥδε γὰρ ὀτρυντὺς κακὸν ἔσσεται*, apud Theognidem passim leguntur. nec mirum; nam usus ille in iis potissimum sententiis, quae generales dicuntur, locum habet, quibus sententiis Theognidis elegeae non minus abundant quam poetarum scaenicorum fabulae, in quibus similia saepissime reperiuntur; cf. Krueger Gr. gr. 43, 4, 11 et La Roche l. c. p. 741. en exempla: 457 *οὔ τοι σύμφορόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι*, 509 sq. *οἶνος πινόμενος πουλὺς κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν | πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν*,[1]) 571 *δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον*, 875 (*οἶνε* . . . ) | *ἐσθλὸν καὶ κακόν ἐσσι*, 1175 *κακὸν δὲ βροτοῖσι κόρος*, 1355 (*ἔρως*) *γλυκὺ γίνεται*, 1185 *νοῦς ἀγαθὸν καὶ γλῶσσα*, 1157, ubi adiectivum ad duo subiecta spectat, *πλοῦτος καὶ σοφίη θνητοῖς ἀμαχώτατον αἰεί*, 735 sq., ubi ad pluralem refertur, *μηδ' ἔτ' ὀπίσσω | πατρὸς ἀτασθαλίαι παισὶ γένοιντο κακόν* (cf. Eur. Herc. fur. 1292 *αἱ μεταβολαὶ λυπηρόν*, Troad. 608 *ὡς ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πεπραγόσι*). ad hos locos accedere videtur 1171 *γνώμην, Κύρνε, θεοὶ θνητοῖσι διδοῦσιν ἄριστον*, ubi recte Bekkerum pro *ἀρίστην* puto scripsisse *ἄριστον*. adiectivo non adiungitur *πρῆγμα* vel *χρῆμα* eo modo, quo, ut exemplum adferam, ab Aristophane Eccl. 441 *γυναῖκα δ' εἶναι πρᾶγμ' ἔφη νουβυστικόν* dictum est, nisi quod Theogn. 256 *πρῆγμα δὲ τερπνότατον* ad infinitivum refertur: *πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν* et Mimn. 8 *ἀληθείη* dicitur *χρῆμα δικαιότατον*, quae verba non pro praedicato, sed pro adpositione sunt: *ἀληθείη δὲ παρέστω | σοὶ καὶ ἐμοί, πάντων χρῆμα δικαιότατον*. sed usus, de quo modo dictum est, etiam latius patet; restant enim duo loci, quibus adiectivum non ad substantivum sed ad formam pluralem pronominis eamque generis neutri spectat, Xenoph. 1, 16 *ταῦτα γὰρ ὧν ἐστι προχειρότερον* et, ubi forma singularis cum plurali coniungitur, Tyrt. 10, 26 *αἰσχρὰ τά γ' ὀφθαλμοῖς καὶ νεμεσητὸν ἰδεῖν*; quibuscum cf. Σ 128 *ναὶ δὴ ταῦτά γε, τέκνον, ἐτήτυμον*, praeter quem versum similis neque in Iliade neque in Odyssia extat.

---

[1]) Iidem versus Theogn. 211 sq. leguntur, sed falso ita immutati, ut *οὐ κακός, ἀλλ' ἀγαθός* tradatur; nam *κακὸς οἶνος* etiam *ὀλίγος πινόμενος* est *κακός*.

Porro apud Theognidem bis, ubi enuntiatum subiecti loco positum est, pluralis forma adiectivi legitur, 731 sq. *Ζεῦ πάτερ, εἴθε γένοιτο θεοῖς φίλα τοῖς μὲν ἀλιτροῖς | ὕβριν ἀδεῖν* . . . , 559 ex coniectura Geelii — libri enim *ὥστε* praebent — *λῷστά σε μήτε λίην ἀφνεὸν κτεάτεσσι γενέσθαι.* in Homeri autem carminibus talia exempla inveniri Naegelsbach ad *Α* 107 recte negavit; nam quod *ρ* 15 *ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι* legitur, id eodem modo explicandum est, quo *ρ* 347 *αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι* vel Theogn. 526 *ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν.*

Hic illic etiam adverbia praedicati partes obtinent. atque adverbia loci reperies Theogn. 843 *ἀλλ' ὁπόταν καθύπερθεν ἐὼν ὑπένερθε γένηται* et 910, ubi *δίχα* praedicative dictum ad accusativum pertinet: *καὶ δίχα θυμὸν ἔχω*; cf. Herod. VI 109 *τοῖσι δὲ Ἀθηναίων στρατηγοῖσι ἐγίνοντο δίχα αἱ γνῶμαι.* adverbia temporis extant Mimn. 2, 7 sq. *μίνυνθα δὲ γίγνεται ἥβης | καρπός,* cui loco alter eiusdem poetae 5, 4 sq. opponendus est, *ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὄναρ | ἥβη τιμήεσσα.* eodem modo Homerus et *μίνυνθα* et *μινυνθάδιος* usurpavit, velut *Α* 416 *ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δήν* et *Δ* 478 sq. *μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν | ἔπλεθ'.* accedit Sol. 13, 16 *οὐ γὰρ δὴν θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει.* restant adverbia modi, quae his locis leguntur: Theogn. 345 *αἶσα γὰρ οὕτως ἐστί,* 716 *τῶν ἄφαρ εἰσὶ πόδες,* 884 *θωρηχθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφροτέρως.* haec igitur eius usus extant exempla neque ita multa neque speciosa, cum similia et apud Homerum et apud alios poetas antiquos reperiantur. explicationem autem illa partim hanc habent, quod verbum non tam copulae quam praedicati instar est, partim hanc, quod adiectivum adverbio respondens aut omnino deest aut minus usitatum est.

Iam si Homerus nonnumquam cum substantivo, quod vim collectivam habet, saepe cum substantivo numeri pluralis eodemque generis neutri numerum pluralem verbi coniungit (cf. La Roche l. c. pp. 734 sqq.), talia ab elegeis plane aliena sunt. dualis autem numerus in elegeis cum in universum rarissimus sit — extant enim tantum Sol. 13, 62 *χειροῖν* et Theogn. 995 *δηρισάντοιν* (at *A* *δηρισάντων*) — tum nusquam in subiecto vel praedicato adhibetur. quid quod ne iis quidem locis, quibus *δύο* accedit, velut Theogn. 911 *δύ' εἰσὶ πρόσθεν ὁδοί μοι,* dualis legitur, cum Homerus cum hac vocula eum numerum coniungere soleat.

V i n c u l a, quibus subiectum et praedicatum conectuntur, longe plurimis locis sunt *εἶναι* et *γίγνεσθαι.* sed etiam alia verba eodem munere funguntur, dico *πέλειν, πέλεσθαι, τελέθειν, φῦναι, πεφυκέναι.* ex quibus *πέλεσθαι* et *πέλειν* reliquis usitatiora sunt, quamquam et haec non ita raro nulla alia de causa adhibentur quam ut oratio varietur, velut Sol. 13, 23 sqq. *λάμπει δ' ἠελίοιο μένος κατὰ πίονα γαῖαν | καλόν, ἀτὰρ νεφέων οὐδὲν ἔτ' ἐστὶν ἰδεῖν· | τοιαύτη Ζηνὸς πέλεται τίσις, οὐδ' ἐφ' ἑκάστῳ, | ὥσπερ*

θνητὸς ἀνήρ, γίγνεται ὀξύχολος, Theogn. 1312 sqq. τούτοις, οἷσπερ νῦν ἄρθμιος ἠδὲ φίλος | ἔπλευ, ἐμὴν δὲ μεθῆκας ἀτίμητον φιλότητα, | οὐ μὲν δὴ τούτοις γ' ἦσθα φίλος πρότερον, Sol. 13, 14 sqq. ἀρχὴ δ' ἐξ ὀλίγου γίγνεται ὥστε πυρός, | φλαύρη μὲν τὸ πρῶτον, ἀνιηρὴ δὲ τελευτᾷ· | οὐ γὰρ δὴν θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει, Xenoph. 2, 17 sq. οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν, τό πέρ ἐστι πρότιμον, | ῥώμης ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει. sed etiam si haec causa statui non potest, ea verba leguntur, in primis ut apud Homerum (cf. Ebelingii lex. hom. s. v. πέλω) in sententiis communibus, velut Sol. 14, 1 οὐδὲ μάκαρς οὐδεὶς πέλεται βροτός; cf. Theogn. 132 et 296 (πέλεσθαι), 1028 (πέλειν). perraro in aliis enuntiatis adhibentur, velut 1073 νῦν μὲν τῷδ' ἑφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν. τελέθειν tantum apud Theognidem 198, 298, 366, 634, 770, 822 extat. quibus locis hoc commune est, quod in omnibus τελέθει (770 τελέθειν) legitur in clausula pentametri praeter 366, in quo prior pentametri pars in eam voculam desinit. quod non casui est tribuendum; nam formae, quae sunt ἐστί, γίγνεται, ab extremi pentametri numeris abhorrent, τελέθει optime in eam sedem quadrat. valet sane idem de voce πέλεται. sed nescio, quo modo fiat, ut haec in neutra pentametri parte extrema legatur, etsi in aliis sedibus eiusdem versus, cuius ut τελέθειν ita etiam πέλειν proprium est, compluries invenitur. praeterea observavi τελέθειν tantum in sententiis communibus dici atque ita, ut praedicatum adiectivo exprimatur, quod etiam de Homero valet; nam quod *H* 282 et 293 νὺξ δ' ἤδη τελέθει traditur, hic τελέθει praedicati instar est, non copulae, cuius munere in elegeis semper fungitur, non item πέλεσθαι, quippe quod etiam pro praedicato sit, velut Sol. 9, 1 ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος | ἠδὲ χαλάζης; cf. Theogn. 1010 (πέλεται) et ibid. 1176 (πέλει). venimus ad verbum φύειν. cuius vis in Homeri carminibus nondum ita imminuta est, ut pro copula esse possit; sed ut postea apud poetas scaenicos (cf. Soph. fr. 103 N. δεινόν γε τοὺς μὲν . . ., | τοὺς δ' ὄντας ἐσθλοὺς ἔκ τε γενναίων ἅμα | γεγῶτας εἶτα δυστυχεῖς πεφυκέναι) ita etiam apud Theognidem hic illic prorsus fere in vim voculae εἶναι abiit; cf. 535 sq. οὔποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν, | ἀλλ' αἰεὶ σκολιή, καὐχένα λοξὸν ἔχει, 472 πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιηρὸν ἔφυ. contra τετύχθαι vel τυχθῆναι, quae apud Homerum extant, nusquam in elegeis copulae locum obtinent.

Formae ἐστίν et εἰσίν in elegeis saepissime, plus centies certe[1]) omittuntur. cuius rei causa gravissima in eo posita est, quod magnus numerus sententiarum communium cum apud reliquos poetas elegiacos tum apud Theognidem invenitur. ac longe maior eorum locorum pars — sunt plus octoginta — in huius carminum reliquiis extat. de his locis non est quod fusius exponam, sed pauca tantum libet exempla

---

1) Secundum La Rochium l. c. p. 732 copula 335 locis Iliadis, 230 Odyssiae omissa est.

luculenta adferre: Call. 1, 18 sq. *λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρὸς | θνήσκοντος· ζώων δ' ἄξιος ἡμιθέων*, Phoc. 8 *(ἔπη) νυκτὸς βουλεύειν, νυκτὸς δέ τοι ὀξυτέρη φρὴν | ἀνδράσιν· ἡσυχίη δ' ἀρετὴν διζημένῳ ἐσθλή*, Theogn. 255 sq. *κάλλιστον τὸ δικαιότατον· λῷστον δ' ὑγιαίνειν· | πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν*, 929 sq. *εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι, | παῦροι, κοὐκέθ' ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.* sed etiam talibus praetermissis haud parvus restat numerus locorum, de quibus iam accuratius agendum est. ac primum dico saepe *εἶναι* deesse in iis carminibus, quae epigrammatum speciem habent. quod ipsa epigrammatum natura, quippe quae summa brevitate insignia esse soleant, explicatur; cf. Demod. 2 *καὶ τόδε Δημοδόκου· Χῖοι κακοί· οὐχ ὁ μέν, ὃς δ' οὔ, | πάντες, πλὴν Προκλέους· καὶ Προκλέης δὲ Χίου.* deinde *εἶναι* saepe omittitur, si in enuntiatio pronomen demonstrativum est, velut Sol. 2, 4 *Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν*, ibid. 24, 7 *ταῦτ' ἄφενος*, Theogn. 91 sq. *οὗτος ἑταῖρος | δειλός*, 95 *τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔτι μάλ' ἐσθλός*, alia. tum *ἐστίν* post verba quaedam deest, post quae etiam apud reliquos poetas omitti solet, velut post *θέμις* Theogn. 688, *εἰκός* 279, *χρεών*, quod participium in Homeri carminibus non legitur — *χρεώ* enim vel *χρή* hic dicere solet —, 564, *ἄξιος* 78, *οὐ δυνατόν* 626, quocum loco cf. 521 sq., ubi alterum membrum bipertiti enuntiati consecutivi locum enuntiati primarii obtinere puto,[1]) ut et hic *ἐστί* supplendum sit: *ὥσθ' ἕνα μὲν ξεῖνον πατρώιον οὐκ ἀπολείπειν, | ξείνια δὲ πλεόνεσσ' οὐ δυνατὸς παρέχειν*; *αἴτιος* 133 et 834, *πάτριον* Tyrt. 15, 6. adde alia, velut Sol. 4, 7 *δήμου θ' ἡγεμόνων ἄδικος νόος* et Xenoph. 1, 1 sq. *νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων | καὶ κύλικες* et, quibus locis substantivum cum praepositione coniunctum pro praedicato est, Theogn. 833 *πάντα τάδ' ἐν κοράκεσσι καὶ ἐν φθόρῳ*, 1256 *οὔποτέ οἱ θυμὸς ἐν εὐφροσύνῃ.* nonnumquam fit, ut *εἶναι* in proximo enuntiato legatur et, ne oratio moleste ad aures accidat, omittatur; cf. Theogn. 167 sq. *ἄλλ' ἄλλῳ κακόν ἐστι, τὸ δ' ἀτρεκὲς ὄλβιος οὐδεὶς | ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ*, ibid. 17 *ὅττι καλόν, φίλον ἐστί.*

Qui adhuc tractati sunt loci praeter Theogn. 17 ita comparati sunt, ut *εἶναι* in enuntiatis primariis desit. sed etiam in enuntiatis secundariis pro versuum numero vocula ea saepe omissa est. quod ut apud Homerum (cf. La Roche l. c. p. 732) ita apud poetas elegiacos maxime de enuntiatis relativis valet. sunt autem loci hi: Sol. 4, 7 *οἷσιν ἑτοῖμον*,

---

[1]) De locis similibus cf. Kuehner Gr. gr. § 585, 1, ubi inter alios hos citat: Thuc. V 14 *ξυνέβη . . ., ὥστε πολέμου μὲν μηδὲν ἔτι ἅψασθαι μηδετέρους, πρὸς δὲ τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον*, Xenoph. An. IIII 2, 15 *λείπουσιν οἱ βάρβαροι ἀμαχητὶ τὸν μαστόν, ὥστε θαυμαστὸν πᾶσι γενέσθαι καὶ ὑπώπτευον*; ceterum idem usus et apud Homerum et apud poetas elegiacos saepe in enuntiatis relativis, id quod infra ostendam, observatur.

Theogn. 817 *Κύρν', ἔμπης ὅ τι μοῖρα παθεῖν, οὐκ ἔσθ' ὑπαλύξαι*, Sol. 23 *ὄλβιος, ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι | καὶ κύνες ἀγρευταὶ καὶ ξένος ἀλλοδαπός*, Xenoph. 2, 2 *ἔνθα . . . τέμενος*, Theogn. 17 *ὅττι καλόν*, 34 *ὧν μεγάλη δύναμις*, 336 *ἥντε λαβεῖν χαλεπόν*, 631 *ᾧτινι* (Emperius *ᾧτ' ἔνι*) *μὴ θυμοῦ κρέσσων νόος*, 636 *οἳ νῦν . . . ὀλίγοι*, 1186 *οἳ τούτων ἀμφοτέρων ταμίαι*. praeterea omittitur in enuntiato interrogativo Theogn. 996 *γνοίης χ' ὅσσον ὄνων κρέσσονες ἡμίονοι*, post *ὅτι* 1305, post *ὡς* 477, post *εἰ* Sol. 13, 41, post *ἐπεί* ibid. 15, 3.

Quamvis igitur saepe ellipsis formarum *ἐστί* et *εἰσί* statuenda sit, alia indicativi forma rarissime omittitur atque ita tantum, ut enuntiatum sit primarium et pronomen *(ἐγώ, σύ)* addatur. sic Theogn. 257 legitur *ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη*, 407 *ἐγὼ δέ τοι αἴτιος οὐδέν*, 1226 *μάρτυς ἐγώ*, 1249 *σὺ . . . ἵππος*. omissi optativi nullum extat exemplum. quod vero ad coniunctivum adtinet, sane deest ille Theogn. 859 *ἢν δέ τί μοί ποθεν ἐσθλόν, ἃ πανράκι γίνεται ἀνδρί*, sed hoc loco ex indicativo *γίνεται* supplendus est, ut 541 sq. *δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαΐδη, ὕβρις, | ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὄλεσεν* ex verbo *ὄλεσεν* supplendum est *ὀλέσῃ*. similia autem etiam apud alios poetas inveniuntur, quamquam enuntiatum, in quo verbum inest, praecedere solet. ex Homeri ipsius carminibus Krueger (Di. 62, 4, 1), citat *H* 286 *ἀρχέτω· αὐτὰρ ἐγὼ μάλα πείσομαι ἧπερ ἂν οὗτος* (sc. *ἄρξῃ*); apud quem, etiamsi ex alio enuntiato suppleri non potest, hic illic *ᾖ* omittitur, velut *Α* 547 *ἀλλ' ὃν μέν κ' ἐπιεικὲς ἀκουέμεν*, *Ε* 481 *κὰδ δὲ κτήματα πολλά, τάτ' ἔλδεται ὅς κ' ἐπιδευής*.

De adtributo, ad quod tractandum iam accedamus, non est cur fusius exponam. immo pauca tantum de iis locis dicenda sunt, quibus substantivum cum substantivo ita coniungitur, ut adtributi instar sit, veluti Tyrt, 4, 5 *δημότας ἄνδρας*, Theogn. 39 sq. *ἄνδρα | εὐθυντῆρα*, 457 *ἀνδρὶ γέροντι*, 868 *αἰχμητὴς . . . ἀνήρ*, 1081 *ἄνδρα | ὑβριστήν*, 1204 *τύραννος ἀνήρ*; Tyrt. 5, 6 *αἰχμηταὶ . . . πατέρες*, ibid. 15, 2 *πατέρων πολιατᾶν*; Mimn. 11, 3 *ὑβριστῇ Πελίῃ*; Theogn. 775 *στρατὸν ὑβριστήν*; Sol. 23, 2 *κύνες ἀγρευταί* (cf. Theogn. 1254, ubi iidem versus repetuntur, *θηρευταὶ . . . κύνες*); Xenoph. 7, 2 *Ἑλλάδα γῆν*, Sol. 32, 1 sq. (tetram.) *γῆς . . . πατρίδος*. quos locos si cum homericis et cum iis, qui apud poetas scaenicos extant, comparamus, ut Homerum ita etiam poetas elegiacos hac in re multo minore audacia usos esse quam poetas scaenicos facile adparet. nam semper fere de hominibus (Sol. 23 de animali) agitur et, si quo loco de rebus substantivum ita adhibetur *(Ἑλλάδα γῆν, γῆς πατρίδος)*, hoc ita est comparatum, ut ubique pro adiectivo usurpatum inveniatur. nam, ut de usitatissima formula, quae est *γῆ πατρίς*, taceam, *Ἑλλάς* vel in prosa oratione adiectivi instar est, velut Herod. IV 78 *γλῶσσάν τε Ἑλλάδα*, Thuc. VI 62 *Ἑλλὰς πόλις*. quod idem in partem reliquorum exemplorum cadit; nam *γέρων* proprie est participium (cf. I. Classen

'Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch' pp. 46 sq.), verbum *ὑβριστής* ut substantivum ita adiectivum est, quod facile ex comparativo *ὑβριστότερος* colligitur. locos vero tales, quales sunt *γέροντι ... πόδι* Eurip. Orest. 456, *τύραννον ἑστίαν* Androm. 3, *παρθένῳ χερί* Phoen. 838, *οἰκέτην βίον* Ion. 1373, *νεανίας λόγους* Alcest. 679, non solum apud Homerum, sed etiam in elegeis frustra quaeras.

Ut iam de adpositione pauca addam, *ἀμφότερον (ἀμφότερα)* non solum apud poetas, sed etiam in prosa oratione enuntiatis bipertitis adpositionis instar plerumque praemitti, rarius postponi constat. quo verbo etiam Homerus utitur, sed ita, ut neque umquam *ἀμφότερα* dicat neque adpositionem enuntiatum sequentem faciat; cf. Hartel l. c. pp. 15 sq., La Roche Hom. Stud. § 42. quod vero de locis homericis, idem valet de iis exemplis, quae apud posteriores poetas epicos extant, Apoll. Rhod. III 987, IIII 1652, Quint. Smyrn. X 281, et de Pind. Ol. VI 17. neque is usus a Theognidis elegeis abest; duo enim sunt loci, quibus libri id verbum tradunt, 608 et 980, et praeterea Hartel l. c. 650, ubi traditur *σῶμα καταισχύνεις καὶ νόον ἡμέτερον*, scribere vult *ἀμφότερον*. sed his omnibus locis enuntiatum adpositioni praecedit (*αἰσχρὸν δὴ κέρδος καὶ κακόν ἀμφότερον* 608 et *χερσίν τε σπεύδειν χρήμασί τ' ἀμφότερα* 980) et altero loco pluralis legitur, ut Dem. XVIII 171 *εἰ δὲ τοὺς ἀμφότερα ταῦτα καὶ εὔνους τῇ πόλει καὶ πλουσίους*.

Porro ut saepe apud Homerum (cf. La Roche in ephem. gymn. Austr. 1871 p. 758) ita etiam in elegeis numerus singularis vocis *ἕκαστος* adpositionis loco pluralem formam nominis alicuius sequitur; cf. Theogn. 375 *ἀνθρώπων δ' εὖ οἶσθα νόον καὶ θυμὸν ἑκάστου* et 967 *τούτων δ' ἐκφαίνει πάντως χρόνος ἦθος ἑκάστου*. nam etsi sint, qui Sol. 11, 5 verba *ὑμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει* secuti genetivum a voce *ἑκάστου* pendere putent, tamen, cum ipsa collocatio, ne id sumamus, dissuadeat, ut illo modo locum explicemus, animus inclinat, quamquam genetivi apud Homerum nullum exemplum invenitur. at praeter nominativum extat accusativus, velut *H* 215 *Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον*, et dativus, velut *E* 195 sq. *παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι | ἑστᾶσι*. ultimum locum si cum Solonis versu modo citato conferimus, apud Homerum vocabulum *ἕκαστος*, etiamsi utrumque nomen verbo praecedit et alterum ab altero excipitur, adpositionis instar usurpari videtur, non item in elegeis.

### III. De casibus.

#### *a)* De accusativo.

In accusativi usu Homerus et posteriores scriptores maxime hoc discrepant, quod illis locis, quibus hi praepositionibus utuntur, ille aut

solum accusativum, quem localem dicunt, adhibet aut nominibus suffixa quaedam adnectit. utraque autem in re etiam poetae elegiaci ab Homeri consuetudine recedunt. quod, ut ab accusativo cum praepositionibus non coniuncto initium faciam, optime ex conspectu locorum huc pertinentium adparebit. sunt autem hi: *ἀφικνεῖσθαι* Tyrt. 2, 4 *εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα*, Mimn. 9, 2 *ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα*, Xenoph. 5, 3 *τοῦ κλέος Ἑλλάδα πᾶσαν ἀφίξεται οὐδ' ἀπολήξει*; *ἱκνεῖσθαι* Tyrt. 10, 7 *οὕς* (homines) *κεν ἵκηται (Α* 139 *ὁ δέ κεν κεχολώσεται, ὅν κεν ἵκωμαι)*, Theogn. 958 *χρήζων ἡμετέρους αὖτις ἵκοιο δόμους*, 927 *οὐδ' εἰ γῆρας ἵκοιο (τ* 367 sq. *ἧος ἵκοιο | γῆρας)*; *ἱκάνειν* Sol. 13, 21 sq. *θεῶν ἕδος αἰπὺν ἱκάνει | οὐρανόν (Ε* 868 *καρπαλίμως δ' ἵκανε θεῶν ἕδος, αἰπὺν Ὄλυμπον)*; *καταβαίνειν* Theogn. 917 *κατέβη δόμον Ἄιδος εἴσω (ψ* 252 *κατέβην δόμον Ἄιδος εἴσω)*. quibus adde 1296 sq. *μηδέ με σὴ φιλότης δώματα Περσεφόνης | οἴχηται προφέρουσα.* quae exempla si cum locis homericis componimus (cf. de accusativi apud Homerum usu in primis La Rochii librum qui inscribitur 'Homerische Studien'), quanto artioribus finibus is usus in elegeis contineatur, intellegitur. nam duobus locis exceptis omnes ita comparati sunt, ut verba a stirpe, quae est *ἱκ*, derivata legantur, quae ceteroquin etiam apud Homerum reliquis usitatiora sunt. atque in omnibus fere substantivis inest loci significatio praeter Tyrt. 10, 7, ubi pronomen *οὕς* ad homines spectat, et Theogn. 927, ubi substantivum abstractum *(γῆρας)* legitur. in Homeri autem carminibus talia non ita rara sunt. iam, cum Theogn. 917 certa imitatio statuenda sit, tantum Theogn. 1296 sq. restat. qui locus ceterum a Theognide non profectus sane singularis est; nam etsi formula *οἴχομαι προφέρουσα* etiam in Homeri carminibus legitur — cf. *Ζ* 346, *υ* 64 —, tamen accusativus localis qui dicitur ab ea abest. sed et apud Homerum et in elegeis cum verbis *ἱκνεῖσθαι* et *ἀφικνεῖσθαι* etiam praepositio coniungitur, velut Mimn. 11, 4 *οὐδ' ἂν ἐπ' Ὠκεανοῦ καλὸν ἵκοντο ῥόον*, Sol. 4, 24 *ἱκνοῦνται πολλοὶ γαῖαν ἐς ἀλλοδαπήν*. neque umquam *καταβαίνειν*, ubi imitatio non est statuenda, praepositione caret; cf. Theogn. 1014 ... *εἰς Ἀίδεω δῶμα μέλαν καταβῇ*, ibid. 973 ... *ἔς τ' Ἔρεβος καταβῇ*. semper autem, ut ea tantum verba enumerem, quae in Homeri carminibus passim cum accusativo coniunguntur, ad verba *δύειν, βαίνειν, ἰέναι, ἔρχεσθαι*, praepositio accedit. nam quod Theogn. 1223 sq. extat *μή με κακῶν μίμνησκε· πέπονθά τοι οἷά τ' Ὀδυσσεύς, | ὅστ' Ἀίδεω μέγα δῶμ' ἤλυθεν ἐξαναδύς*, Buchholz verba ita dirimens, ut *μέγα δῶμα* ad *ἤλυθεν*, *Ἀίδεω* ad *ἐξαναδύς* pertineat, versui vim adferre mihi videtur, cum vix locus inveniatur, quo verba similia simili modo distrahantur (cf. *κ* 512 *εἰς Ἀίδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα* et Theogn. 1014 ... *εἰς Ἀίδεω δῶμα μέλαν καταβῇ*), neque verba *μέγα δῶμα* nude posita facile ad Ulixis domum referantur. sed concedendum est accusativum cum verbo *ἐξαναδύνειν* praeter hunc locum tantum in oraculo Paus. IV 12, 4 *κρυπτὸν λόχον ἐξαναδύντων*

coniungi. consilio autem poetas elegiacos in his quidem verbis solum accusativum vitasse optime intellegitur collatis Theogn. 243 sq. *καὶ ὅταν δνοφερῆς ὑπὸ κεύθεσι γαίης | βῆς πολυκωκύτους εἰς Ἀίδαο δόμους* cum *X* 482 sq. *νῦν δὲ σὺ μὲν Ἀίδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης | ἔρχεαι.* quamquam enim magna similitudo inter utrumque locum intercedit, tamen Theognidem praepositionem adiecisse vides.

Iam suffixa quae dicuntur multo magis etiam ab usu poetarum elegiacorum remota esse supra commemoratum est. nam praeter verba *οἴκαδε* et *θύραζε* (hoc tantum Theogn. 1001 extat), quae adverbiorum vim nacta, quae uis nondum omnibus locis homericis elucet (cf. ex. gr. *Ω* 572 *Πηλείδης δ' οἴκοιο λέων ὣς ἆλτο θύραζε)*, omnibus temporibus in usu fuerunt, tantum Theogn. 1136, cum librorum scriptura *ἄλλοι δ' Οὔλυμπὸν ἐκπρολιπόντες ἔβαν* vitiosa sit, ex Brunckii coniectura *Οὔλυμπόνδ'* legi solet, idque recte, ut mihi quidem videtur.[1]) adeo igitur poetae elegiaci suffixa ea respuerunt, ut, quod luculentissimum est exemplum, ne *οἶκόνδε* quidem, quod passim apud Homerum legitur, admiserint, sed tantum *εἰς οἶκον (εἰς οἴκους* Theogn. 194) dicant, semel eadem vi, id quod novum est, *οἴκαδε*, Sol. 4, 27 sq. *οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ, | αὔλειοι δ' ἔτ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι.*

Venimus ad verba, quae proprie transitiva dicuntur. de quibus haec memoratu digna sunt. nusquam Homerus, ut a verbis iuvandi et nocendi incipiam, *εὖ (κακῶς) ποιεῖν, δρᾶν τινα* dixit, *εὖ εἰπεῖν* tantum *α* 302, *κακῶς ῥέζειν ψ* 56, *εὖ ῥέζειν Ε* 650, sed pro adverbiis adiectiva adhibet, qualia sunt *κακόν, κακά, ἀτάσθαλον* similia; cf. La Roche l. c. § 108. atque haec constructio verbis *ῥέζειν (ἔρδειν)* et *μήδεσθαι* continetur; alia verba, dico *ποιεῖν, δρᾶν, ἐργάζειν, ἐργάζεσθαι*, neque cum adverbiis neque cum adiectivis coniunguntur. in elegeis autem non solum *ἔρδειν* (nusquam *ῥέζειν*) saepius legitur, sed etiam *δρᾶν, ποιεῖν, λέγειν* eaque semper cum adverbiis, nusquam cum adiectivis coniuncta. ad quod demonstrandum haec exempla sufficiant: Theogn. 105 *δειλοὺς εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστίν*, cui loco similes, cum *ἔρδειν* ex verbis huc spectantibus longe usitatissimum sit, multi reperiuntur, quamquam ea vox compluries absolute usurpatur, velut Sol. 13, 67 et 69 *ἀλλ' ὁ μὲν εὖ ἔρδειν . . ., | τῷ δὲ κακῶς ἔρδοντι . . .* (Theogn. 587 et 589, ubi eadem repetuntur, *ἀλλ' ὁ μὲν εὐδοκιμεῖν . . ., | τῷ δὲ κακῶς*

---

[1]) Cf. A 221 *ἡ δ' Οὔλυμπόνδε βεβήκει* et alios locos similes a La Rochio § 45, 12 congestos. Leutsch Philol. XXVIIII 515 hoc loco, cui cum Hes. Op. 197 sqq. *καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης | λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν | ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ' ἀνθρώπους | Αἰδὼς καὶ Νέμεσις* magna est similitudo, *Οὔλυμπον γῆν προλιπόντες* scribere voluit, quam scripturam codices praebere falso contendit; cf. Ziegler addend. p. 77. ceterum de littera *ε* in commissura pentametri elisa cf. Kuellenberg l. c. p. 47.

ποιεῦντι . . . traditur, sed nusquam alibi ποιεῖν sic adhibetur), Theogn. 1130 οἵ με λέγουσι κακῶς, Mimn. 7, 4 ἄλλος τοί σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ (cf. Theogn. 796), Theogn. 108 οὔτε κακοὺς εὖ δρῶν εὖ πάλιν ἀντιλάβοις.[1]) videmus igitur hunc usum, cuius in Homeri carminibus tantum vestigia invenimus, iam latius patere. ad haec verba etiam alia accedunt, quibus ille nusquam usus est, dico στέργειν (Theogn. 87), μέμφεσθαι (Mimn. 14, 5, Theogn. 797, 873), ψέγειν (Theogn. 611). μωμεῖσθαι autem apud Homerum semel (Γ 412), saepius in elegeis legitur. quod autem modo de verbis, in quibus vituperandi notio inest, dictum est, idem fere in verba, quae contrariam vim habent, cadit. nam αἰνεῖν in Iliade et Odyssia satis rarum est, ἐπαινεῖν autem, sicubi extat, vi assentiendi instructum praeter Β 335 (μῦθον ἐπ.) dativum adsciscit, in elegeis autem utrumque vocabulum usitatissimum est. neque vero desunt verba, quae in neutro poesis genere adhibita inveniuntur, velut verba composita εὐεργετεῖν, εὐλογεῖν, κατηγορεῖν, κακουργεῖν, κακολογεῖν, quae apud Atticos demum usu recepta sunt, et verba simplicia λοιδορεῖν, λυμαίνειν, ὠφελεῖν, ex quibus λοιδορεῖν primum apud Pindarum, reliqua apud Herodotum reperiuntur. quibus adice ἀδικεῖν, quod verbum neque ab Homero et Hesiodo neque a poetis elegiacis usurpatur, sed semel in postrema parte elegearum Theognidis ab illo abiudicanda (1283 ὦ παῖ, μή μ' ἀδίκει) conspicitur.[2]) praeter quem locum ante Atticorum tempora unus extare videtur, hymn. Cer. 367 τῶν δ' ἀδικησάντων τίσις ἔσσεται. iam ex reliquis vocabulis huc spectantibus, quae poetae elegiaci cum Homero communia habent, praeter ἀλιταίνειν (Theogn. 1170), βιάζεσθαι (ibid. 547), βιᾶσθαι (485, 503), δηλεῖσθαι (Mimn. 7, 1, Theogn. 793) duorum potissimum mentio facienda est, verborum ὑβρίζειν et βλάπτειν. ὑβρίζειν igitur, quod in Hesiodi carminibus nusquam, apud Homerum nonnullis locis extat, sed semel tantum cum accusativo coniungitur, Λ 694 sq. ταῦθ' . . . Ἐπειοὶ . . . | ἡμέας ὑβρίζοντες ἀτάσθαλα μηχανόωντο, ne in elegeis quidem saepius quam bis (Theogn. 44, 751) invenitur atque utroque loco absolute dicitur; pro quo ἀλιταίνειν τινά legi supra vidimus. βλάπτειν vero apud Homerum non tam 'schaden' quam 'untauglich machen, hindern, bethören' (cf. La Roche § 90, 3) significat. quocum usu conferas Mimn. 5, 8 βλάπτει δ' ὀφθαλμοὺς καὶ νόον ἀμφιχυθέν (stumpft ab), Theogn. 387 βλάπτουσ' ἐν στήθεσσι φρένας. accedunt alii loci, quibus a verbo, de quo agitur, praeter accusativum etiam genetivus rei pendet aut solus genetivus: Tyrt. 12, 39 sq. (re-

---

[1]) Hic εὖ (ἀντι)λαβεῖν pro passivo verbi εὖ δρᾶν dicitur ut alibi πάσχειν, velut Theogn. 655 παθόντι κακῶς, quod verbum Homerus semel cum adverbio coniungit, π 275 κακῶς πάσχοντος ἐμεῖο.

[2]) Etiam ὀνινάναι tantum in hac parte legitur, 1265 et 1380 (ὠνήμην). sed hoc potius casu factum videtur, cum et apud Homerum et apud Hesiodum id verbum inveniatur.

petitur Theogn. 937 sq.) *οὐδέ τις αὐτὸν | βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει*, Theogn. 705 *βλάπτουσα νόοιο*, 223 *νόον βεβλαμμένος ἐσθλοῦ*. quod prorsus singulare est;[1]) nam unus praeterea locus simillimus extat apud Quint. Smyrn. XIII 423 *θυμοῦ τ' ἠδὲ νόοιο βεβλαμμένος*. sed conferri etiam potest Aesch. Ag. 485 W. *τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος*, ubi verba extrema non solum eandem vim, sed etiam eandem structuram habent. a quo usu, de quo Matth. Gr. gr. § 338 conferas, reliqui scriptores ita recedunt, ut duplicem accusativum (*Ψ* 782 *ἤ μ' ἔβλαψε θεὰ πόδας*) vel pro altero accusativo dativum ponant (*Η* 271 *βλάψε δέ οἱ φίλα γούναθ'*) vel genetivum ab accusativo pendentem faciant (*ξ* 178 *τοῦ δέ τις ἀθανάτων βλάψε φρένας*) vel adiectivis utantur (*βλαψίφρων* Aesch. Sept. 712, *φρενοβλαβής* Herod. II 120).

Ut iam ad verba transgrediar, quae motum quendam animi significant, et apud Homerum et in elegeis saepe *ἅζεσθαι* et *αἰδεῖσθαι* (in elegeis nusquam *αἴδεσθαι*) leguntur. atque illud quidem non solum ad personas pertinet, id quod semper apud Homerum fit et apud Theogn. 748 et 1140, sed etiam ad res, Theogn. 280 (*νέμεσιν*) et 738 (*χόλον*). his igitur locis ita usurpatur ut apud Homerum verba, quae sunt *αἰδεῖσθαι* (*φ* 28 *οὐδὲ θεῶν ὄπιν ᾐδέσατ'*), *ἀλεύεσθαι* (*Π* 711 *μῆνιν ἀλευάμενος*, *Ο* 223 *ἀλευάμενος χόλον*), *ὀπίζεσθαι* (*ξ* 283 *ὠπίζετο μῆνιν*). quae verba omnia in elegeis quoque extant, quamquam eorum usus cum usu Homeri non omni ex parte consentit. nam *αἰδεῖσθαι*, quod duobus locis, Call. 1, 2 sq. *οὐδ' αἰδεῖσθ' ἀμφιπερικτίονας | ὧδε λίην μεθιέντες* et Theogn. 482 *αἰδεῖται δ' ἔρδων οὐδέν* vi pudendi instructum idem significat atque *αἰσχύνεσθαι* (quod apud Homerum rarissime, apud Hesiodum et poetas elegiacos nusquam legitur), reliquis locis est 'vereri', nusquam cum accusativo rei coniungitur. *ὀπίζεσθαι* vero mutata vi etiam casum mutavit; coniungitur enim ut verba, in quibus curandi notio inest, cum genetivo Theogn. 734 *θεῶν μηδὲν ὀπιζόμενος* et 1148 sq. *οἳ θεῶν ἀθανάτων οὐδὲν ὀπιζόμενοι | αἰὲν ἐπ' ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα*; quibuscum locis Maneth. VI. 217 sq. *αἰὲν ἀτασθαλίῃσι γυνὴ ἀθερίζει ἀκοίτην | οὐδὲν ὀπιζομένη λεχέων θεσμῶν τε γάμοιο* conferas. porro ex verbis timendi in usu sunt *δεδοικέναι* et *δειμαίνειν*, quorum hoc et ab Homeri et ab Hesiodi carminibus alienum Tyrt. 11, 3 cum accusativo coniungitur, reliquis locis ita usurpatur, ut *μή* sequatur. nusquam vero *φοβεῖσθαί τινα* extat; Tyrt. 11, 3 certe, quo uno loco hoc verbum invenitur, non timendi, sed ut apud Homerum fugiendi vim habet. neque vero *τρεῖν* huc referri licet, cum ut apud Homerum ita in elegeis (Tyrt. 11, 14, Theogn. 260) nostro 'ausreissen' respondeat. pro quo Homerus *τρομεῖν* et *τρομεῖσθαι* dicit, quorum

[1]) Hom. *α* 195 *τόν γε θεοὶ βλάπτουσι κελεύθου* impediendi significatio in verbo *βλάπτειν* (*τινός*) inest, ut aliis locis, velut Aesch. Ag. 123 *βλαβέντα λοισθίων δρόμων*.

hoc etiam Sol. 36, 12 (trimetr.) legitur; Theognis vero sensu fere eodem 1015 *πτήσσειν τινά* adhibet (*πρίν τ᾽ ἐχθροὺς πτῆξαι*), quae constructio non ita saepe neque umquam in Homeri carminibus extat. ex verbis cavendi *εὐλαβεῖσθαι* apud Atticos demum invenitur, *φυλάττεσθαι* vero, etsi ab antiquis carminibus epicis non alienum est, aliam vim habet. contra ex elegeis huc referendum est Theogn. 1309 *σὺ δὲ ταῦτα φύλαξαι*. praeterea commemoratione digna sunt *ὀλοφύρεσθαί τινα* (Tyrt. 12, 27 et Theogn. 1131), pro quo nusquam *ὀδύρεσθαι* adhibetur, *πενθεῖν τι* (Theogn. 830; cf. *Τ* 225 et *Ψ* 283), *οἰμώζειν τινά* (Tyrt. 7, 1), quod verbum apud Homerum numquam transitive usurpatur. quae est causa, cur in Homeri carminibus tantum formae activae extent, in elegeis etiam passivae inniantur; cf. Theogn. 1203 sq. *οὐδ᾽*... | *οἰμωχθεὶς ὑπὸ γῆν εἶσι τύραννος ἀνήρ*.

Ut iam ad verba, quae vim fugiendi, deficiendi, manendi, latendi, imitandi habent, accedam, haec paucis perstringenda sunt: poetae elegiaci cum Homero verba *φεύγειν*, *ἐκφεύγειν*, *προφεύγειν* communia habent, verba cum binis vel pluribus praepositionibus composita, qualia sunt *ὑπεκφεύγειν*, *ὑπεκπροφεύγειν*, *παρεκπροφεύγειν*, in elegeis non extant. porro *ἐκλείπειν τινά* Theogn. 942, *ἐπιλείπειν* ibid. 1131 legitur, non item apud Homerum neque apud Hesiodum. ex verbis manendi Theogn. 907 *αἶσαν ἔμιμνε* traditum est, *μένειν* autem nusquam cum accusativo coniungitur, id quod, sive est 'sustinere' sive 'expectare', saepe apud Homerum fit. sed in elegeis pro voce *μένειν* verba composita notione expectandi instructa sunt, *ὑπομένειν* Theogn. 1127 *ἥ μιν δήθ᾽ ὑπέμεινε φίλῳ παρὰ παιδὶ μένουσα*, *προσμένειν* 1144 *ἐλπίδα προσμενέτω*, quorum hoc ab Iliade et Odyssia alienum est, illud 'sustinere' apud Homerum significat. item *μιμεῖσθαι* ab Homeri et Hesiodi carminibus abest, semel in elegeis extat (Theogn. 370).

Iam de singulis quibusdam verbis pauca addenda sunt. ac primum quidem non desunt verba, quae ab Homero intransitive usurpentur, in elegeis transitive. veluti Theogn. 1199 *καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν* legitur, apud Homerum *πατάσσειν* est 'pulsare, trepidare' (*N* 282 *κραδίη . . . στέρνοισι πατάσσει*). item *διανύειν* *ρ* 517 (*ἅπαξ εἰρ.*) obiecto caret *οὔ πω κακότητα διήνυσεν ἣν ἀγορεύων*, cui loco Theogn. 511 *βαθὺν διὰ πόντον ἀνύσσας* opponas, quocum conferendi sunt Hes. Op. 635 *πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας* et hymn. Apoll. Del. 108 *ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ* et hymn. Cer. 380 *ῥίμφα δὲ μακρὰ κέλευθα διήνυσαν* (cf. La Roche § 89, 2). Homerus autem, non item Hesiodus, eodem sensu verbis *πρήττειν* et *διαπρήττειν* utitur, sed ita, ut accusativus semper sit *κέλευθον*;[1]) cf. ex. gr. *ν* 83 *ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον*, *Α* 483 *διαπρήσσουσα κέλευθον*,

[1]) Inveniuntur ea verba etiam in hymnis homericis et apud recentiores poetas epicos; sed horum usus ab usu Homeri eo differt, quod alia substantiva obiecti vice fun-

quibuscum locis Theogn. 553 *διαπρήξουσι κέλευθον* comparandus est. quo loco imitatio statuenda est; hoc enim inde adparet, quod nusquam alibi *διαπρήττειν* usurpatum invenitur, etsi loci, quibus adhiberi possit, non desunt; cf. praeter l. supra c. (Theogn. 511 *βαθὺν διὰ πόντον ἀνύσσας*) Tyrt. 11, 15 *λέγων ἀνύσειεν* (ξ 197 *διαπρήξαιμι λέγων*).

Porro *πτωχεύειν* et apud Homerum et in elegeis est 'mendicare'; sed apud illum etiam *πτωχεύειν δαῖτα* invenitur, apud Theognidem autem 922 *πτωχεύει δὲ φίλους πάντας* obiectum persona efficitur; quocum loco Homeri υ 179 *ἀνέρας αἰτίζων* (die Männer anbettelnd) conferas. restat ut dicam Theogn. 75 *ἐπιχειρεῖν ἔργα* legi, qui usus hoc loco excepto posterioribus demum temporibus invenitur, nusquam apud antiquissimos poetas epicos, quippe qui dativum addant, et Theogn. 762 singularem extare constructionem *ἀρέσσασθαί τί τινι (ἡμεῖς δὲ σπονδὰς θεοῖσιν ἀρεσσάμενοι)*. multo enim usitatior est altera structura: *ἀρέσκεσθαί τινά τινι*.

Transgrediamur iam ad obiectum quod dicitur internum. figurae igitur, quam grammatici etymologicam vocant, exempla perpauca in elegeis inveniuntur. sunt autem haec: Sol. 27, 12 *οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει*, Theogn. 733 sq. *σχέτλια ἔργα* . . | *ἐργάζοιτο*,[1]) 361 *μέγα πῆμα παθόντος*; quae elegeis cum Homeri carminibus communia sunt. accedunt pauca, quae ab Iliade et Odyssia aliena sunt, dico Theogn. 543 sq. *τήνδε δικάσσαι* | . . *δίκην* (cf. Hes. fr. 182 *μηδὲ δίκην δικάσῃς*), Demod. 6 (tetram.) *δικάζεν τὴν Πριηνίην δίκην*, Theogn. 582 *ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν*, quae imago apud poetas tragicos satis usitata hoc loco primum invenitur. neque magnus numerus eorum locorum est, quibus pro substantivo ab eadem stirpe derivato alia vox vi simili instructa legitur: Theogn. 159 *ἀγορᾶσθαι ἔπος μέγα*, 688 *δίκην εἰπεῖν*, 761 *φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος*. quae exempla omnia frustra quaeras in Homeri carminibus. communis autem et huic et poetis elegiacis est formula *βίον ζῆν*, quae Theogn. 1121 *ὄφρα βίον ζώοιμι κακῶν ἔκτοσθεν ἀπάντων* et ο 491 *ζώεις δ' ἀγαθὸν βίον* legitur. restat unus locus, de quo agatur necesse est, Theogn. 283, ubi primum, ni fallor, formula *πόδα προβαίνειν* extat, quae post Theognidem cum apud alios scriptores tum apud Euripidem saepe invenitur; cf. Kuehner Gr. gr. § 410, 2c Krueger Di.46, 7, 3. videmus igitur a molli hoc poesis genere formulas audaciores, quae et in carminibus epicis et in poetarum scaenicorum fabulis inveniuntur, abesse. frustra igitur tales loci circumspiciuntur, quales sunt *πῦρ* . . . *δεδορκώς* τ 446, *μένος πνείοντες (πνέουσαν)* χ 203, Soph. Electr. 610 aliique id genus.

---

guntur; cf. hymn. Merc. 203 *ὁδὸν πρήσσουσιν*, Apoll. Rhod. I 1267 *πρήσσει δ' ὁδόν*, Quint. Smyrn. VII 399 sq. *διαπρήσσουσα θαλάσσης* | *βένθεα*, XIIII 404 *διέπρησσον μέλαν ὕδωρ*.

[1]) Bergk pro *ἐργάζοιτο* scripsit *τεχνάζοιτο*.

Hoc loco oportet agatur de iis adiectivis, quae adverbiorum fere modo cum verbis coniunguntur. sed cum praeter ea, quae huc spectant, etiam alia restent, quibus aliae rationes significantur, infra hunc usum paucis perstringam. antea autem ea verba tractemus, quibus duplex accusativus adiungitur, atque initium ab iis capiamus, ad quae bina obiecta externa accedere solent. qua in re observes quaeso mecum in elegeis nullum eorum verborum, quae huc referenda sunt, duplici accusativo instructum esse, cum et eiusmodi verba perpauca legantur et ea, quae extant, *διδάσκειν*,[1]) *ἐρωτᾶν*, *συλᾶν*, *κελεύειν*, aut absolute dicantur aut cum singulis obiectis coniungantur. Theogn. 556 autem, ubi *αἰτεῖν* extat, pro altero accusativo *πρός* legitur, quae praepositio apud Homerum ab hoc verbo aliena est, quippe qui *αἰτεῖν τινά τι* dicat. sed etsi talia levia sunt et casui potius tribuenda, certe neque parvi momenti est neque forte ita incidit, ut figurae, quod *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος* vocant, unum exemplum in elegeis inveniatur, Theogn. 1295 *ὦ παῖ, μή με κακοῖσιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀρίνῃς*, qui versus ceteroquin non est Theognidis, apud Homerum permulta, pauca apud Pindarum et poetas scaenicos; cf. La Roche §§ 100 sqq., Krueger Di. 46, 16, 3. neque sane difficile erat duplicem accusativum vitare, quod ex his exemplis adparebit: Mimn. 14, 5 sq. *τοῦ μὲν ἄρ' οὔποτε πάμπαν ἐμέμψατο Παλλὰς Ἀθήνη | δριμὺ μένος κραδίης* (quocum conferas *Γ* 438 *μή με, γύναι, χαλεποῖσιν ὀνείδεσι θυμὸν ἔνιπτε*), Mimn. 1, 7 *αἰεί μιν φρένας ἀμφὶ κακαὶ τείρουσι μέριμναι*, Theogn. 981 *μηδὲ παρὰ κρητῆρι λόγοισιν ἐμὴν φρένα θέλγοις*.

Iam quod scriptores graeci ab eodem verbo saepe binos accusativos ita pendentes faciunt, ut alter pro obiecto externo sit, alter pro interno, in elegeis nullus invenitur locus ita comparatus. nam neque talia exempla extant, qualia sunt *λ* 544 sq. *κεχολωμένη εἵνεκα νίκης, | τήν μιν ἐγὼ νίκησα*, *ο* 245 sq. *ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεὺς . . . | παντοίην φιλότητα*, quibus audaciora apud poetas tragicos leguntur (cf. Krueger Di. 46, 12, 1, Kuehner Gr. gr. § 411, 3) neque, id quod natura carminum fert, verba appellandi (*προσαυδᾶν*, *προσειπεῖν*) inveniuntur, quibus ab Homero saepe duplex accusativus adiungitur. usus igitur his locis se continet, quibus adiectivum quoddam adverbii fere instar ad verbum transitivum accedit. sed cum poetae elegiaci nusquam, ut supra dictum est, *κακὸν ἔρδειν τινά* similiave dicant, sed semper adverbiis utantur, ne huius quidem usus exempla multa reperiuntur; cf. tamen Theogn. 241 sqq. *καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες | ἐν κώμοις ἐρατοῖς καλά τε καὶ λιγέα | ᾄσονται* et ibid. 1195, ubi vel tres accusativi leguntur, *μήτι θεοὺς ἐπίορκον ἐπόμνυθι*; cui loco

[1]) *Διδάσκομαί τι* legitur Sol. 13, 51 *δῶρα διδαχθείς*; cui loco adiunge *δαῆναί τι* Tyrt. 11, 8 (*ὀργὴν ἐδάητ'*) et Sol. 13, 50 (*ἔργα δαείς*).

similis nondum apud Homerum extat, quippe qui nusquam duplicem accusativum a verbo *ὀμνύναι* pendentem faciat, sed aut hunc aut illum, extat apud Hesiodum Theog. 793 *ὅς κεν τὴν (Στύγα) ἐπίορκον ἀπολείψας ἐπομόσσῃ* et in hymn. Merc. 274 *πατρὸς κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.*

Accedamus ad ea verba, quae cum binis accusativis ita coniunguntur, ut alter obiecti, alter praedicati instar sit. quorum reliquis saepius *ποιεῖν* et *τιθέναι* leguntur, quae apud Homerum quoque cum binis accusativis copulantur, nisi quod, ubi illud extat, semper fere substantivum quoddam, ubi hoc, et adiectivum et substantivum pro praedicato est. atque forte accidit, ut in elegeis, sive hoc sive illud verbum legitur, quattuor locis exceptis (Theogn. 61 *μηδένα ... φίλον ποιεῦ*, 113 ... *κακὸν ἄνδρα φίλον ποιεῖσθαι ἑταῖρον*, Sol. 13, 53 *μάντιν ἔθηκε*, Theogn. 1347 sq. *καί μιν ἔθηκεν | δαίμονα*) semper adiectivum praedicati munere fungatur. numerus autem eorum locorum, quibus *τιθέναι* legitur, et apud Homerum et apud poetas elegiacos altero multo maior est. atque in pentametro *ποιεῖν*, cum a numeris alterius partis eius abhorreat, bis tantum legitur, Theogn. 438, ubi duo accusativi secuntur, et ibid. 738.

De singulis locis non est cur fusius exponamus; sed tamen hoc monere libet, apud Homerum tales locos, quales sunt Tyrt. 10, 17 *ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν*, ibid. 11, 5 *ἐχθρὰν μὲν ψυχὴν θέμενος*, Theogn. 89 *καθαρὸν θέμενος νόον*, quae exempla iam ad Atticorum usum accedunt, nondum extare; nam ubicumque apud Homerum media forma legitur, semper substantivum atque plerumque *ἄκοιτιν* pro praedicato est. neque umquam apud hunc pro accusativo genetivus addita vocula *ἐκ* invenitur, id quod fit Theogn. 431 *ᾧ τις σώφρον' ἔθηκε τὸν ἄφρονα, κἀκ κακοῦ ἐσθλόν.* alia verba, quae huc spectant, rarissima sunt, sive casu factum est, ut ea non usurpentur, quod in verba nominandi et putandi cadit, sive verba quaedam nondum ut apud Homerum ita in elegeis extant, velut *ἀποδεικνύναι.* ad quod, quantum ad Homeri carmina pertinet, *ἀποφαίνειν* accedit, quod semel in elegeis invenitur, Sol. 4, 33 *εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει.*

Accusativus qui dicitur relationis, qui satis multis locis extat, plerumque cum adiectivis, perraro cum verbis coniungitur. accusativi autem, ut omittam adiectiva, de quibus infra agetur, sunt: *γλῶσσαν*, *εἶδος*, *ἰσχύν*, *κεφαλήν*, *κραδίην (κῆρ)*, *μορφήν*, *νῶτον*, *πόδας*, *στέρνον*, *φυήν*, *χρόα*, *θυμόν*, *ὀργήν*, *ψυχήν*, quae substantiva omnia ad corpus animumque humanum eorumque partes pertinent. praeter haec semel legitur *ἔργον*, Theogn. 901, quo uno loco adtributum ad substantivum accedit.

Ex adiectivis vero frequentissime superlativus *ἄριστος* isque solus et ab Homero et in elegeis cum eiusmodi accusativis coniungitur: *νοῦν καὶ γλῶσσαν* Sol. 27, 13, *ἰσχύν* ibid. 27, 8, *εἶδος* Phoc. 3, 4; porro com-

parativi χαριέστερος (φυήν Tyrt. 12, 5), ὠκύτερος (πόδας Theogn. 715), ἀμείνων (ἔργον 901), ματαιότερος (νόον 1025); accedunt ἀλλοῖος (χρόα 217; sed 1073, ubi eadem verba repetuntur, ὀργήν extat), βαρὺς ὤν (ὀργήν 98), καλός (μορφήν 1259), ὁμοῖος (ὀργήν 1073). quibus adice participia ἐληλαμένος (νῶτον Tyrt. 11, 20), πεπληγμένος (στέρνον ibid. 11, 33), κείμενος ἐν μεγάλῃ ... ἀμηχανίῃ (θυμόν Theogn. 646), quo loco participium animi motum quendam significat, ita ut conferri possit cum talibus locis: θυμὸν ἀχεύων (*E* 869), θυμὸν ἀκηχήμενος (*Σ* 29), vel, quod Theogn. 619 legitur et saepius apud Homerum in eadem versus sede, ἀχνύμενος κῆρ. restant haec verba: οἰνοβαρεῖν (κεφαλήν Theogn. 503), δάκνεσθαι (ψυχήν 910), εὖ πάσχειν (κραδίην 977),[1]) ἀσᾶσθαι (θυμόν 989, φρένα 593 et 657). quibuscum locis ultimis — apud Homerum non legitur ἀσᾶσθαι — conferas Herod. III 41 ἐδίζητο, ἐπ᾽ ᾧ ἂν μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀσηθείη ἀπολομένῳ τῶν κειμηλίων, quibus verbis idem significatur atque paullo supra (c. 40) his: καὶ ἐπ᾽ ᾧ σὺ ἀπολομένῳ μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀλγήσεις, et Theocr. XXV 240 ἀσώμενος ἐν φρεσὶν αἰνῶς.

At non semper, ubi accusativo locus est, re vera hic casus legitur, sed nonnunquam locis similibus aut dativus extat, velut Sol. 24, 4 γαστρί τε καὶ πλευρῇς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν et ibid. 5, 3 καὶ χρήμασιν (dat. caus.) ἦσαν ἀγητοί,[2]) aut adiectiva composita adhibentur, ut Sol. 22, 1 ξανθότριχι — Homerus dicit τρίχας ξανθός —, Phoc. 9, 2 ἐλαφρόνοοι, pro quo Homerus dixisset ἐλαφρὸς νόον (cf. α 164 ἐλαφρότεροι πόδας), ὠκυπόδων (ἵππων) Theogn. 889, quo verbo sane Homerus quoque utitur atque ita, ut hoc ad equos, πόδας ὠκύς ad homines referatur.

Restant neutra adiectivorum et pronominum, quae nonnumquam ita usurpantur, ut aut pro obiecto interno aut pro accusativo limitationis sint aut prorsus fere in adverbia abierint. verba autem, quae cum his consociari solent, plerumque sonum quendam significant, veluti Theogn. 887 μακρὰ βοῶντος (*B* 224 μακρὰ βοῶν), 1197 ὀξὺ βοώσης (*P* 89 ὀξὺ βοήσας), 242 sq. καλά τε καὶ λιγέα | ᾄσονται (α 155 καλὸν ἀείδειν, Hes. Scut. 206 λιγὺ μελπομένης), 266 τέρεν φθέγγετ᾽, Phoc. 11, 2 ἡδέα κωτίλλοντα, Theogn. 852 μαλθακὰ κωτίλλων. adde Sol. 13, 23 sq. λάμπει ... | καλόν (*N* 265 λαμπρὸν γανόωντες, Hor. C. II 12, 14 sq. lucidum | fulgentes oculi), Sol. 34, 2 (tr.) λοξὸν ... ὁρῶσιν (ε 393 ὀξὺ μάλα προιδών), Theogn. 71 πολλὰ μογήσας (*A* 162 πόλλ᾽ ἐμόγησα), Sol. 29 πολλὰ ψεύδονται, Theogn. 109 ... ἓν ἁμάρτῃς.

Contra accusativi limitationis speciem prae se fert πάντα, quod in Iliade semper, in Odyssia duobus locis exceptis (θ 214 et ν 209), cum verbis coniungitur, in elegeis sic constructum legitur: Tyrt. 10, 27 πάντ᾽

---

[1]) Accusativum exhibet *A*, cuius libri scripturam Bergk in novissima editione vix recte neglexisse puto.

[2]) Apud Homerum ἀγητός, ubicumque traditur, cum accusativo εἶδος coniungitur.

*ἐπέοικεν* et Theogn. 897 *πάντ'... χαλεπαίνειν*; quibus locis Theogn. vv. 902 *ἅπαντα σοφός*, 841 *τὰ μὲν ἄλλα*, 873 *τὰ μὲν . . . τὰ δέ* adiciendi sunt.

Prorsus autem in adverbia abierunt *πολλά* Tyrt. 12, 25 *πολλὰ . . . ἐληλάμενος* et Theogn. 619 *πολλ'... κυλίνδομαι, τὶ*, saepe *οὐδέν (μηδέν), οὔτι (μήτι)* atque adiectivis et verbis sequentibus; ad quae accedit *ὅ* (weshalb) Theogn. 909 *ὃ δὴ καὶ ἐμοὶ μέγα πένθος ὄρωρεν*, quod apud Homerum hac quidem vi numquam instructum est, sed Eur. Hec. 13 sq. *νεώτατος δ' ἦ Πριαμιδῶν· ὃ καί με γῆς | ὑπεξέπεμψεν*.

Quos locos si cum iis componimus, quibus apud Homerum adiectiva adverbiorum fere partes susceperunt, in huius carminibus eum usum multo latius patere facile intellegitur. neque id mirum; multa enim adverbia, in primis ea, quae a stirpibus in *ο* exeuntibus derivantur, paulatim demum usitatiora esse incipiunt, ita ut exempli gratia *καλῶς*, quod apud posteriores scriptores tritissimum est, in Iliade et hymnis homericis nusquam, in Odyssia tantum *β* 63, apud Hesiodum fr. 16 legatur. nec sane id in elegearum reliquiis conspicitur — supra *καλόν* et *καλά* pro adverbiis dici vidimus —, sed ex aliis rebus facile adparet adverbiorum usum in his carminibus iam latius patere, adiectivorum artioribus finibus contineri. etenim primum nusquam iam, id quod saepe fit apud Homerum, adiectiva, quae in litteras *ες* desinunt, adverbiorum munere funguntur. deinde *πάντως* in Iliade et Odyssia est rarissimum, in elegeis, in primis apud Solonem, usitatissimum atque non solum, quod semper apud Homerum fit, ita usurpatur, ut cum negatione coniungatur, sed saepe etiam ita, ut vocula *οὐ* careat. et quod apud illum saepissime *πάμπαν* et *πάντα* extant, haec in elegeis rarissime inveniuntur (*πάμπαν* Mimn. 14, 5 et Theogn. 873). postremo non desunt adverbia in elegeis, pro quibus Homerus semper adiectivis utitur; nam Theogn. 636 *ἀτρεκέως* traditur, cui apud Homerum *ἀτρεκές* ita respondet, ut semper verbum sequatur, nusquam ut apud Theognidem adiectivum. ad quod accedit *ἐτύμως* Xenoph. 7, 4 — Homerus dicit *ἔτυμον* —, *ἴσως* Theogn. 224 et 271, pro quo apud Homerum semper *ἶσον* et *ἶσα* leguntur, quarum formarum illa etiam Sol. 24, 1 (*ἰσόν τοι πλουτοῦσιν*, repetitum Theogn. 719) et Theogn. 82 (*ἶσον . . μετέχειν*) extat, *εὐφροσύνως* Theogn. 766,[1]) *καθαρῶς* Theogn. 198 ut Hes. Op. 337 et hymn. Apoll. Del. 121 (utroque loco legitur *ἁγνῶς καὶ καθαρῶς*).

### *b)* De genetivo.

Quod in accusativo tractando vidimus neque saepe eum vim localem habere et raro pro praepositionibus, quae cum accusativo coniunguntur, suffixa legi, idem de genetivo valet. nam genetivi localis, de quo

[1]) Adverbium hoc singulare est; Theognis ipse 776 eodem sensu *ἐν εὐφροσύνῃ* dicit.

Kruegerum Di. 46, 1, Kuehnerum l. c. § 418, 8 a conferas, in elegeis nullum exemplum invenitur, suffixum *θεν* autem bis extat, id quod iam p. 112 commemoratum est.

Iam genetivi temporalis, cuius usus etiam apud Homerum perpaucis locis continetur, unum extat exemplum Phoc. 8 *νυκτός*. sed saepius hic genetivus ita usurpatur, ut participium accedat, quem genetivum absolutum dicere solemus. locos huc pertinentes paucis verbis perstringere satis est, cum, ubicumque genetivus absolutus in elegeis invenitur, semper tempus eo significetur,[1]) dico Call. 1, 11, Sol. 13, 66 (vv. 65—70 repetiti sunt Theogn. 585—590, ubi non sine variis scripturis leguntur), ibid. 27, 5 et 6, Xenoph. 6, 2, Phoc. 11, 1, Theogn. 21, 697, 1040, 1222. omnes autem loci, qui huc spectant, hoc commune habent, quod participium nusquam est aoristi, sed semper praesentis, quod apud Homerum quoque multo pluribus locis invenitur quam illud; cf. I. Classen 'Beobachtungen aus dem homerischen Sprachgebrauche' pp. 180 sqq., ubi omnes versus homerici, in quibus genetivus absolutus legitur, congesti sunt. de singulis autem locis nihil aliud commemorandum est quam hoc Xenoph. 6, 2 sq. *καί ποτέ μιν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα | φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσθαι ἔπος*, quamquam propter sequens verbum *ἐποικτεῖραι* accusativus poni potuit, tamen, quo magis res efferretur, genetivum praelatum esse.

Porro genetivus qui dicitur exclamationis, qui ab Homeri carminibus alienus est et Atticorum demum temporibus usitatior esse incipit, bis extat in Theognidis elegeis, 527 *ὤ μοι ἐγὼν ἥβης καὶ γήραος οὐλομένοιο* et 891 *οἴ μοι ἀναλκείης*.

Paucis ii loci absolvi possunt, quibus genetivus a substantivis pendet. genetivi igitur adpositivi qui dicitur exempla leguntur duo, Tyrt. 4, 4 *Σπάρτης ἱμερόεσσα πόλις* et ex certa Bergkii coniectura — libri *αἰπύ τε πύλον* exhibent — Mimn. 9, 1 *αἰπὺ Πύλον Νηλήιον ἄστυ*.

Praeterea poetae elegiaci ubertate quadam orationis usi non ita raro bina verba ita coniungunt, ut pro singulis posita videantur. quod cum de aliis tum de verbo *τέλος* valet, quod etiam apud Homerum sic usurpatur; cf. Theogn. 768 *γῆράς τ' οὐλόμενον καὶ θανάτοιο τέλος* (*Γ* 309 *ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν*), Mimn. 2, 6 sq. *ἡ μὲν ἔχουσα τέλος γήραος ἀργαλέου, | ἡ δ' ἑτέρη θανάτοιο*, ibid. 2, 9 *αὐτὰρ ἐπὴν δὴ τοῦτο τέλος παραμείψεται ὥρης*, cui loco opponas Theogn. 985 *παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη*, Theogn. 1119 *ἥβης μέτρον ἔχοιμι* (*Λ* 225 *ἥβης ... ἵκετο μέτρον*), Theogn. 418 *ὑπερτερίης δ' ἄμμιν ἔνεστι λόγος*, ad quem locum Welcker (p. 119) adnotat 'per periphrasin pro *ἡ ὑπερτερίη*'.

---

[1]) Sol. 33, 2 (tetram.) genetivus absolutus vim concessivam habet.

Ut iam ad genetivum, quo auctor rei alicuius significatur, transeam, dignus est qui commemoretur Theogn. v. 185 *γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει*, ubi filia de plebe hominis intellegitur. cui loco similis neque in elegeis extat neque apud Homerum, nisi quod hic nonnumquam a nomine proprio patris nomen hoc modo pendens facit: *Ὀιλῆος ταχὺς Αἴας* (*B* 527). item talia ab utroque poesis genere absunt, quale est Eur. Ion. 1286 *κᾆτ' ἔκτανες σὺ φαρμάκοις τὸν τοῦ θεοῦ.*

De genetivo possessivo, quantum ad pronomina reflexiva pertinet, satis habeo ad ea relegare, quae supra prolata sunt. pronominum autem personalium genetivum rarissime in elegeis extare animadvertimus, cum poetae aut Homeri exemplum secuti dativo commodi aut pronomine possessivo uti soleant. loci autem, qui huc faciunt, hi sunt: Theogn. 377 *πῶς δή σευ . . . τολμᾷ νόος*, 969 sq. *πρίν σου κατὰ πάντα δαῆναι | ἤθεα.* ad quos accedere puto 516 *σεῦ φίλος ὤν*, ubi Leutsch. Phil. XXVIIII 669 perperam mihi *σοί* coniecisse videtur. nam cum in elegeis *φίλος* saepe non ea vi, quam apud Homerum habere solet, dico vim latini 'carus', instructum sit, sed latino 'amicus' respondeat, non est, cur cum substantivo *φίλος* genetivus non coniungatur.

Superest, ut paucis ii perstringantur loci, quibus ab eodem substantivo bina verba pendent. qui ita explicandi sunt, ut alterum genetivum cum substantivo tamquam in unum coire et inde alterum pendere sumamus. huc igitur spectant Xenoph. 2, 18 *ῥώμης ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει* et Mimn. 14, 5 sq. *τοῦ μὲν ἄρ' οὔποτε πάμπαν ἐμέμψατο Παλλὰς Ἀθήνη | δριμὺ μένος κραδίης.*

Ex adiectivis, quae huc referenda sunt, multa paulatim demum usu recepta sunt, ita ut non pauca apud Homerum nondum extent; cf. Krueger Di. 47, 26. item in elegeis pauca inveniuntur. sed tamen inter carmina homerica et elegiaca ideo multum interest, quod uno adiectivo excepto reliqua apud Homerum aut omnino non leguntur aut genetivo carent. commune et huic et illis est *ἄξιος* Call. 1, 21 *ἔρδει γὰρ πολλῶν ἄξια μοῦνος ἐών*, ubi id verbum idem valet atque *ἀντάξιος*, quam vim apud Homerum, ubicumque genetivus sequitur, habet, et Theogn. 456 *οὐδενὸς ἄξιος.* contra desunt apud Homerum itemque apud Hesiodum, leguntur in elegeis *ἀντίτυπος (πίστιος)* Theogn. 1244 (Aesch. Sept. 508 *τὸν Διὸς ἀντίτυπον*), *ἄπειρος (ἄθλων)* ibid. 1013, *μεστός (εὐφροσύνης)* Xenoph. 1, 4, pro quo illi *πλεῖος* dicunt, *φθονερός*, quod primum Theogn. 770 legitur. genetivo autem instructa sunt in elegeis, carent eo apud Homerum — ab Hesiodi carminibus aliena sunt — duo: *αἴτιος (ἄτης καὶ κέρδεος)* Theogn. 133 (*τόσον αἴτιος Φ* 275 et 370, *οὔ τι Α* 153; cf. Theogn. 407 *ἐγὼ δέ τοι αἴτιος οὐδέν*) et *καρτερός* ibid. 479 sq. *ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτι κεῖνος | τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς οὐδὲ νόου.* quo loco *καρτερός*, ut Theocr. XV

94 ὃς ἀμῶν καρτερὸς εἴη, idem significat atque ἐγκρατής, quae vox, cum a numeris dactylicis abhorreat, neque apud Homerum et Hesiodum neque in elegeis legitur. ex metri igitur necessitate et hic locus singularis explicandus est et alii Theognidis loci, quibus non minus inusitata deprehenduntur, dico 504 ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης et 1186 οἳ τούτων ἀμφοτέρων ταμίαι (sc. νοῦ καὶ γλώσσης).[1])

Brevis de adverbiis esse possum. perpauca enim extant neque ullum eorum excepta vocula ὡς, de qua infra agetur, apud Homerum cum genetivo non coniungitur. sunt autem haec: ἀπάτερθε Theogn. 1153, ἄτερ Mimn. 1, 1 et 6, 1, Theogn. 171, ἐγγύθεν 943, ἔξω 56, ἐκτός Tyrt. 11, 28, Theogn. 744, 754, 968, ἔκτοσθεν 1121, νόσφι 166 et 766.[2]) quae apud Homerum aut semper aut, quod de voculis ἄτερ et νόσφι dictum volo, longe plurimis locis sensu proprio pronuntiata sunt et ad res, quae sensibus percipi possunt, relata. sed paulatim usus eorum latius patuit, id quod iam in elegeis conspicitur; nam plerisque locis ea translate usurpata video et substantivis abstractis praemissa. apud Homerum igitur frustra locum circumspicies, qualis est Theogn. 1153 κακῶν ἀπάτερθε μεριμνέων (cf. Mimn. 6, 1 ἄτερ νούσων τε καὶ ἀργαλέων μελεδωνῶν, Theogn. 766 νόσφι μεριμνάων). sed melius etiam, quantum sit discrimen inter Homerum elegearumque scriptores, ex usu vocabulorum ἐκτός et ἔκτοσθεν adparet. uni enim exemplo, ubi ἐκτός ad rem spectat, quae sensibus percipi potest, Tyrt. 11, 28 ἐκτὸς βελέων, opponenda sunt haec: Theogn. 744 ἐκτὸς ἐὼν ἀδίκων, 753 ἐκτὸς ἀτασθαλίης, 968 γνώμης πολλὸν ἄρ' ἐκτὸς ἔβην, 1121 ὄφρα βίον ζώοιμι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων, quibuscum locis ex Homeri carminibus ne unus quidem conferri potest. quod autem ad ὡς adtinet, genetivus ut saepius apud posteriores scriptores ita Theogn. 516 (ὡς φιλότητος ἔχεις) positus est.

Iam res in eo est, ut de verbis agatur, quae cum genetivo coniungi solent. ut igitur ab iis initium capiatur, quae genetivo partitivo instructa esse solent, sunt quaedam, quae apud antiquissimos poetas epicos nondum reperiantur. atque μετέχειν et μεταδιδόναι, quamquam posterioribus temporibus frequentissime leguntur, apud Homerum et Hesiodum desunt, non item apud poetas elegiacos; nam illud Theogn. 82 et 354, hoc 104 et 925 traditum est. quibus adice ἀντιτυγχάνειν 642 et

---

[1]) Secundum Papium (cf. eius lex. s. v. πρότιμος) Xenoph. 2, 17 πρότιμός τινος legitur; locum enim sic citat: τό περ ἔστι πρότιμον ῥώμης, ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει. at ante vocem ῥώμης interpungendum est, quippe quae ad enuntiatum relativum pertineat et, quo magis prematur, pronomini praemissa sit; cf. ea, quae p. 147 de hoc loco monui.

[2]) ἐντός et πρόσθε, quamquam non desunt, cum genetivo, id quod casu factum est, non sunt coniuncta.

1334 et *ἐρᾶν*, pro quo Homerus et Hesiodus *ἔρασθαι* dicunt, quod apud Theognidem quoque his locis legitur: 256, 696, 1337, 1375.

Alia autem verba apud Homerum aut longe aliam vim habent ideoque cum genetivo non coniunguntur aut proprio ab illo sensu adhiberi solent, in elegeis translato. illuc igitur *καθάπτεσθαι* spectat Sol. 32, 2 sq. (tetram.) *τυραννίδος δὲ καὶ βίης ἀμειλίχου | οὐ καθηψάμην*, quod apud Homerum est 'compellare, increpare' itemque apud Hesiodum, qui tantum Op. 332 eo utitur (cf. ex gr. *Α* 582 *ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐπέεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσιν*), huc *ἔχεσθαι* Theogn. 32 *ἀλλ' αἰεὶ τῶν ἀγαθῶν ἔχεο*, *ἅπτεσθαι* Theogn. 1012 *κεφαλῆς δ' ἅπτεται ἀκροτάτης* de senectute dictum, *ἁμαρτάνειν*, quod apud Homerum satis saepe de iaculantibus dicitur, rarissime vi translata usurpatur (*λ* 511 *μύθων*, *η* 292 *νοήματος*), quae sola in elegeis conspicitur, Theogn. 1099, 1361, 1379 in formula *ἐμῆς (σῆς) φιλότητος ἁμαρτών* in extremo hexametro collocata.

Ex reliquis verbis commemorandum est *ἔμμορε*, quod apud poetas elegiacos formula homerica *τιμῆς ἔμμορε* (Theogn. 234) continetur, porro *τιμῆς οὔτ' ἀφελών* Sol. 5, 2, *εὖτέ σε καὶ τούτων μοῖρ' ἐπέβαλλεν ἔχειν* Theogn. 356, *παντοίων ἀγαθῶν γαστρὶ χαριζόμενοι* 1000, *ἀντιάζειν τινός* 552 et 1308, *ἱμείρειν* Mimn. 2, 14 et Sol. 25, 2, *πειρᾶσθαι* Theogn. 126 (*πρὶν πειρηθείης* (sc. *ἀνδρός*) *ὥσπερ ὑποζυγίου*).

Sed non semper in his verbis genetivus usitatus est, verum etiam accusativus, sive ipsa vox *μέρος* pro obiecto est, velut Theogn. 453 *εἰ γνώμης ἔλαχες μέρος ὥσπερ ἀνοίης*, sive non de parte, sed de tota re cogitandum. semper igitur in elegeis *κιχάνειν τι* et *λαμβάνειν τι* legitur, quia ea verba, ubicumque extant, non significant 'Antheil an etwas erlangen' sed 'etwas erlangen', velut Theogn. 917sq. *ἀλλὰ πρὶν ἐκτελέσαι κατέβη δόμον Ἄιδος εἴσω, | χρήματα δ' ἀνθρώπων οὑπιτυχὼν ἔλαβεν*. in eodem carmine (925) legitur: *οὔτε γὰρ ἂν προκαμὼν ἄλλῳ κάματον μεταδοίης*, quo loco Camerarius lenissima medela adhibita *καμάτου* coniecit; at recte puto editores traditam scripturam servavisse, cum *κάματον μεταδιδόναι* hic potius 'das durch Mühe Erworbene[1]) hinterher[2]) geben' (cf. locum simillimum modo citatum *χρήματα*... *οὑπιτυχὼν ἔλαβεν*) quam 'Antheil daran geben' significare videatur. quibus locis adde *τυχεῖν τι* Theogn. 256 *τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν*.

Verba audiendi in elegeis usitata haec sunt: *ἀκούειν*, *ἐπακούειν*, *συνιέναι*, *ἀίειν*, *πεύθεσθαι*, *κλύειν*, quae his poetis cum Homero communia sunt. accedit *ἀν' οὖς ἔχειν* (id est *ἀκούειν*) Theogn. 887 *μηδὲ λίην*

---

[1]) De hac vi vocabuli *κάματος* cf. *ξ* 417 *ἄλλοι δ' ἡμέτερον κάματον νήποινον ἔδουσι*, Hes. Theog. 599 *ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται*.

[2]) *μετά* = hinterher; cf. *Α* 763 sq. *ἦ τέ μιν οἴω | πολλὰ μετακλαύσεσθαι, ἐπεί κ' ἀπὸ λαὸς ὄληται*.

κήρυκος ἄν' οὖς ἔχε μακρὰ βοῶντος. atque ἀίειν Xenoph. 6, 5 extat ψυχή, τὴν ἔγνων φθεγξαμένης ἀίων, πεύθεσθαι Mimn. 14, 1 sq. οὐ μὲν δὴ κείνου γε μένος καὶ ἀγήνορα θυμὸν | τοῖον ἐμεῦ προτέρων πεύθομαι, quocum loco cf. *P* 408 πολλάκι γὰρ τό γε μητρὸς ἐπεύθετο νόσφιν ἀκούων et λ 50 (= 89)[1] Τειρεσίαο πυθέσθαι i. e. ex ore Tiresiae. ἐπακούειν vero se continet ea parte elegearum, quae a Theognide abiudicanda est, 1321 τῶνδ' ἐπάκουσον (höre auf) ἐπῶν, ut uno loco Homeri — reliquis locis hic ἐπακούειν τι dicit —, *B* 143 ὅσοι οὐ βουλῆς ἐπάκουσαν, et 1366 καί μου παῦρ' ἐπάκουσον ἔπη, cui constructioni similis apud Homerum non extat. denique animadvertas verbum κλύειν (Sol. 13, 2, Theogn. 4 et 13), quod semper nostro ‘erhören’ respondet, non cum genetivo coniungi, sed cum dativo; nam Sol. 13, 2 extat κλῦτέ μοι εὐχομένῳ, Theogn. 13 εὐχομένῳ μοι κλῦθι, 4 σὺ δέ μοι κλῦθι. quibuscum conferas Hom. ep. 12, 1 κλῦθί μοι εὐχομένῳ, hymn. Apoll. Pyth. 156 κέκλυτε νῦν μοι, Γαῖα καὶ Οὐρανός. differt igitur hoc ab usu Homeri, quippe qui κλῦθί μευ dicere soleat (de dubiis nonnullis locis cf. Ebelingii lex. p. 837 et La Roche § 83, 5). neque vero hanc ob causam dativum in genetivum mutare licet, quod Valckenaer in Solonis loco fecit, praesertim cum eius usus vestigia etiam apud Homerum inveniantur in verbo ἀκούειν *Π* 531 ὅττι οἱ ὦκ' ἤκουσε μέγας θεὸς εὐξαμένοιο, in verbo κλύειν δ 767 θεὰ δέ οἱ ἔκλυε ἀρῆς (idem quod ἀρωμένου). facile enim genetivus participii a voce audiendi pendens, cum dativus commodi praecederet, ita immutari potuit, ut dativus in eius locum succederet.

Parvus est numerus eorum verborum, quae vim monendi, curandi contrariamve habent neque ullum eorum, quae Krueger Di. 47, 11 ab Iliade et Odyssia abesse dicit, in elegeis extat. sed tamen non plus duo a poetis elegiacis eodem modo usurpantur, quo ab Homero et Hesiodo, μιμνήσκειν et λανθάνεσθαι, quorum hoc apud Homerum multo saepius quam ἐπιλήθεσθαι — ἐπιλανθάνεσθαι neque in huius neque in Hesiodi carminibus extat — adhibitum Theogn. 1 sq. (οὔποτε σεῖο | λήσομαι) traditur. contra Tyrt. 12, 17 ἐπιλαθέσθαι in tmesi legitur: αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται, ut *K* 99 ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται (κ 236 ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης) et Hes. Op. 264 σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπὶ πάγχυ λάθεσθε. Reliqua autem, quae in elegeis extant, apud duos illos poetas epicos aut omnino non inveniuntur aut aliam vim habent ideoque cum alio casu conectuntur. atque illuc praeter locos nonnullos, quibus complura vocabula ita coniunguntur, ut eadem vis efficiatur, quae reliquis locis in singulis verbis inest (Theogn. 112 μνῆμα δ' ἔχουσ' ἀγαθῶν, Phoc. 7, 1

---

[1]) Falso igitur negat Krueger Di. 47, 10, 8 πεύθεσθαί τινός (τι) ‘von jemand (ab aliquo) erfragen oder erfahren’ in Homeri carminibus inveniri.

*μελέτην ἔχε πίονος ἀγροῦ*, Xenoph. 1, 24 *θεῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν ἀγαθόν)* spectat *μελεδαίνειν* Theogn. 1129 *πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω*,[1]) huc *ὀπίζεσθαι*, cuius verbi iam p. 139, ubi de accusativo agebatur, mentio facta est, et *ἐπιστρέφεσθαι* Theogn. 440 *τῶν δ' αὐτοῦ κηδέων οὐδὲν ἐπιστρέφεται* (cf. Soph. Phil. 598 sq. *τίνος ... τοῦδ' ... ἐπεστρέφοντο πράγματος χάριν*), cuius verbi forma media apud Homerum quidem non extat, sed apud Hesiodum Theog. 753 *γαῖαν ἐπιστρέφεται* — eadem verba Theogn. 648 leguntur — et hymn. XXVII (XXVI) 10 *πάντῃ ἐπιστρέφεται*.

Ut iam ad verba, quibus copia quaedam vel inopia significatur, accedam, enumeratis locis quibusdam, veluti Theogn. 8 sq. *ἐπλήσθη ... | ὀδμῆς*, 1158 *οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις*, Mimn. 2, 13 *παίδων ἐπιδεύεται*, Phoc. 7, 1 *χρηΐζων πλούτου* acuratius de duobus verbis, *ἄχθεσθαι* dico et *κορεννύναι*, agendum est. singulare enim est, quod Xenoph. 1, 9 sq. legitur: *γεραρή τε τράπεζα | τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη*, atque ita explicandum, ut *ἄχθεσθαι* prope ad vim verbi *πλήθειν* accedere sumamus, id quod apud Homerum saepe in verbo simili *βρίθειν* conspicitur, velut *ο* 333 sq. *τράπεζαι | σίτου καὶ κρειῶν ἠδ' οἴνου βεβρίθασιν*. ut autem talia verba, si genuina vis elucet, cum dativo qui dicitur instrumenti coniunguntur, ita *κορεννύναι* genetivo instructum esse solet, qui Theogn. 1249 legitur *κριθῶν ἐκορέσθης*. sed duobus locis Theognideis dativus instrumenti adhibitus est, qui cum hoc verbo rarissime consociatur: 751 *πλούτῳ κεκορημένος* et 1269 *ἀλλὰ τὸν ὕστερον ἄνδρα φέρει κριθαῖσι κορεσθείς*. quibuscum conferas hymn. Cer. 175 *ἄλλοντ' ἂν λειμῶνα κορεσσάμεναι φρένα φορβῇ*. in quo loco tractando Franke (De hymni in Cererem compositione, dictione, aetate a. 1881) acutius quam verius hoc discrimen inter genetivum et dativum intercedere putat: '*κορέσσασθαι φρένα φορβῆς*', inquit, 'dicuntur, qui mentem herbis satiant i. e. complent; contra *κ. φ. φορβῇ* metaphorice dicuntur, qui pascenda herba (proprie herbarum ope, dat. instrum.) mentem satiant i. e. cupidinem edendi explent'. at num quaeso tale quid in dativo inesse potest? quamquam igitur cogitatione eiusmodi loci inter se differunt, non differunt sensu, id quod optime adparet collatis locis Theogn. 1249 *κριθῶν ἐκορέσθης* et 1269 *κριθαῖσι κορεσθείς*.

Pauca his adnectere libet de iis verbis, in quibus superandi vel similis inest notio. quo verba nonnulla spectant cum praepositione *ὑπέρ* composita, *ὑπερβάλλειν* Theogn. 673 sq. *ὑπερβάλλει δὲ θάλασσα | ἀμφοτέρων*

---

[1]) Vis curandi in hoc verbo satis rara est. Theognis ipse eo alio sensu utitur 185 sq.: *γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει | ἐσθλὸς ἀνήρ, ἤν οἱ χρήματα πολλὰ διδῷ*, quae verba Pape in lexico suo falso interpretatus est: 'Der gute Mann mag nicht, will nicht eine schlechte Frau heiraten'. debebat enim vertere: 'Der Adelige nimmt keinen Anstand, ein Weib von niedriger Abkunft zu heiraten'.

*τοίχων* (translate 479 *ὅς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον* 'excesserit modum'), *ὑπερέχειν* 757 *Ζεὺς μὲν τῆσδε πόληος ὑπειρέχοι.* verba autem, quae proprie 'imperare' significant, quod adhibendorum eorum occasio non erat, rarissime inveniuntur, neque umquam ab iis genetivus pendet; nam *ἄρχειν* Theogn. 679 absolute dicitur, *ἀνάσσειν* cum dativo coniungitur Sol. 19, 1, Theogn. 373, 803.

Porro genetivus qui dicitur separationis adiectus legitur verbis *ἀπερύκειν* Theogn. 775, *ἀπόρνυσθαι* Mimn. 9, 5 (cf. *E* 105), *ἐκλύεσθαι* Phoc. 15, 2 (*κακοῦ*) et Theogn. 1339 (*πόθου*), *εἴκειν* 936 (*χώρης εἴκουσιν;* sed Tyrt. 12, 42, unde Theognidis versus petitus est, *εἴκουσ' ἐκ χώρης* traditur), *λήγειν* 999, *μεθιέναι* Tyrt. 12, 44 (*μὴ μεθιεὶς πολέμου*). ad quae verba *νοσφίζεσθαι* accedit Theogn. 1291 sq. *πατρὸς νοσφισθεῖσα δόμων, ξανθὴ 'Αταλάντη· | ᾤχετο δ' ὑψηλὰς ἐς κορυφὰς ὀρέων.* quem locum hanc ob causam exscripsi, quod magna ei similitudo est cum hymn. Cer. 92 sq. *νοσφισθεῖσα* (Ceres) *θεῶν ἀγορὴν καὶ μακρὸν Ὄλυμπον | ᾤχετ' ἐπ' ἀνθρώπων πόλιας καὶ πίονα ἔργα.* hic autem non ut apud Theognidem genetivus legitur, qui ex genuina verbi vi explicandus est, sed accusativus, qui ex analogia eorum verborum, in quibus vitandi notio inest, positus est. ceterum animadvertas velim Homerum quoque in iis locis, qui his similes sunt, accusativum adhibere, sed ita, ut non passiva forma utatur, sed aoristo medii, velut *φ* 77 *νοσφισσαμένη τόδε δῶμα.*

Raro genetivo causa significatur, cum dativus in ea re usitatus sit. tamen huc referenda puto Theogn. 219 *μηδὲν ἄγαν ἄσχαλλε ταρασσομένων πολιητέων* (cf. *τ* 534 *κτήσιος ἀσχαλόων ἥν οἱ κατέδουσιν*, *τ* 159 *ἀσχαλάᾳ ... βίοτον κατεδόντων*), 1205 *οὐδ' ἂν ἐκεῖνος ἐμοῦ τεθνηότος οὔτ' ἀνιῷτο*, qui loci (de similibus cf. Classen l. c. pp. 162 sq.) iam prope ad genetivum quem dicunt absolutum accedunt, Tyrt. 12, 1 sq. *οὔτ' ἂν μνησαίμην οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην | οὔτε ποδῶν ἀρετῆς οὔτε παλαισμοσύνης.*

Genetivi vero criminis neque apud Homerum neque in elegeis ullum exemplum invenitur. genetivus pretii autem a poetis elegiacis adiungitur verbis duobus, quorum utrumque ab Homeri carminibus alienum est, dico *διαμείβεσθαι* (Sol. 15, 2 sq. *οὐ διαμειψόμεθα | τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον*), pro quo ille verbo *ἀμείβειν* utitur, velut *Z* 235 sq. *ὅς* (sc. *Γλαῦκος*) *πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν, | χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων* et *ἀντερύεσθαι* Theogn. 77 *χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι.*

## c) De dativo.

Quod supra vidimus rarissime in accusativo et genetivo praepositione non adiecta inesse loci significationem, idem de dativo valet. nam quod Theogn. 757 legitur *Ζεὺς μὲν τῆσδε πόληος ὑπειρέχοι, αἰθέρι ναίων*

manifesta est imitatio, cum formula *αἰθέρι ναίων* apud Homerum *B* 412, *Δ* 166, *ο* 523 (Hes. Op. 18) in eadem versus sede inveniatur. sed pauci restant loci, quibus, quamquam similes sunt in Homeri carminibus, certa imitatio statui non potest: Theogn. 807 *Πυθῶνι*,[1]) 1216, ubi *κεκλιμένος* traditur, qua voce apud Homerum nulla saepius cum dativo coniungitur (cf. Capelle 'De dat. loc.' p. 18 et Nahrhaft 'Der loc. Dat.' p. 18 et 'Beiträge zur hom. Syntax' p. 52), *Ληθαίῳ κεκλιμένη* (sita) *πεδίῳ*, cui versui Archil. 2, 2 *πίνω δ' ἐν δορὶ κεκλιμένος* (*ζ* 307 *κίονι κεκλιμένη*) opponendus est, quamquam hic, cum verba *ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ δ' οἶνος* | *Ἰσμαρικός* praecedant, anaphora in causa esse potuit, cur praepositio adderetur; porro Sol. 42, 2 (*μέλη*) *μὴ κρυπτὸν ἔχων ἔγχος κραδίῃ* et Theogn. 1173 *ὦ μάκαρ, ὅστις δή μιν ἔχει φρεσίν*, quae exempla vix ab iis differunt, in quibus *ἐν* legitur, velut 1261 *ἰκτίνου γὰρ ἔχεις ἀγχιστρόφου ἐν φρεσὶν ἦθος* et 387 *βλάπτουσ' ἐν στήθεσσι φρένας* (cf. *N* 487 *ἕνα φρεσὶ θυμὸν ἔχοντες*, *η* 219 *πένθος μὲν ἔχω φρεσίν*, at *η* 218 *ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔχοντα*). quibus locis adnumerandos esse puto vv. 1247 *ἴσθι δὲ θυμῷ* (135 *ἐν φρεσὶν εἰδώς*), 1305 *θυμῷ γνούς*, 1008 *καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ*, quamquam eiusmodi dativi iam prope ad dativum qui dicitur instrumenti accedunt. ceterum his dativis, cum verba sentiendi, ad quae accedunt, per se intellegantur, ubertas quaedam sermonis efficitur, nisi, id quod ex. gr. in 1051sq. *ἀλλὰ βαθείῃ* | *σῇ φρενὶ βούλευσαι σῷ ἀγαθῷ τε νόῳ* conspicitur, adtributo quodam instructi sunt. causa autem, cur eiusmodi dativi adiciantur, haec est, quod, ut Lobeckii verbis Paral. p. 531

---

[1]) Totus locus in codice *A* sic traditur: (805sqq.) *τόρνου καὶ στάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρῶν* (Vinetus recte *θεωρὸν*) | *εὐθύτερον χρὴ μέν, Κύρνε, φυλασσόμενον* (Camerarius recte *φυλασσέμεναι*), | *ὦ τινί κεν Πυθῶνι θεοῦ χρήσας ἱερεῖα* (*g* *θεὸς χρ. ἱερείᾳ*, *O* rel. *θεὸς χρ. ἱερεῖα*) | *ὀμφὴν σημήνῃ πίονος ἐξ ἀδύτου*. locum vitiis laborantem alii alio modo sanare studuerunt; conferas, cum longum sit prolatas sententias enumerare, Bergkii adnotationem. multa Bergk mutavit, qui 806 pro *χρὴ μέν* coniecit *με χρή* et 807 ex parte codicem *g* secutus *ὅττι κεν ἐν Πυθῶνι θεός, χρήσας ἱερείῃ ὀμφήν*, . . . scripsit. at *με* in enuntiato, quod in universum dictum est (cf. 809 sq.), ferri nequit ac, si nos ille ad 543sq. *χρή με παρὰ στάθμην καὶ γνώμονα τήνδε δικάσσαι*, | *Κύρνε, δίκην* relegat, is locus, cum *τήνδε* accedat, longe aliter comparatus est. quod vero adnotat utrumque verbum et *χρήσας* et *σημήνῃ* ipsius dei consulentibus futuras res aperientis esse, falsus est; nam, ut exemplum adferam, Pindarus Pyth. IIII 6 *ἱέρεα χρῆσεν* dixit. equidem, cum et *με* reiciendum sit et *μιν*, quod alii voluerunt, valde displiceat, *μέν* autem vi vocis *μήν*, id quod saepe fit, instructum nihil offendat, et 806 *χρὴ μέν* retinendum esse puto et 807, quo codicis *A* scripturam spectare Brunck vidit, *ᾧ τινί κεν Πυθῶνι θεοῦ χρήσασ' ἱέρεια ὀμφὴν σημήνῃ* scribendum. ceterum animadvertas velim Homerum semper *Πυθοῖ ἐνί* dicere — de Pindari usu Bergkii adnotationem conferas —; sed cave respectis locis homericis hoc loco *κ' ἐν Πυθῶνι* scribas, cum similia locativi vestigia — nam potius locativus quam dativus, qui paulatim illius partes suscepit, statuendus est — vel in prosa oratione inveniantur et apud Homerum semper adtributum, quod in hoc loco non extat, sequatur.

prolatis utar, 'sonus atque significatio et ad aures fortius accidit et animum diutius in eadem cogitatione defigit et persaepe intellectum adiuvat, orationem acriorem reddit et instantiorem'. etsi igitur talia poetae elegiaci epicorum exemplum secuti non respuunt, at tamen et parce admittunt et solum dativum praepositioni praeferunt. ut unum exemplum adferam, apud Homerum ad verbum *ὁρᾶν* et alia similia saepissime *ὀφθαλμοῖσι* et *ἐν ὀφθαλμοῖσι* accedit. in elegeis *ἐν ὀφθαλμοῖσι* tantum apud Callinum, qui et aetate et carminum argumento ceteris Homero propior est, legitur 1, 20 *ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν*, *ὀφθαλμοῖς* autem Tyrt. 10, 26 *αἰσχρὰ τά γ' ὀφθαλμοῖς καὶ νεμεσητὸν ἰδεῖν* et Sol. 34, 2 (tetram.) *λοξὸν ὀφθαλμοῖς ὁρῶσιν*.

Iam ut de suffixorum usu exponamus, semel *φι* legitur Theogn. 311 in voce *θύρηφι*, quae prorsus in adverbium abiit eodem modo quo apud Homerum.

Item dativus temporis in paucis substantivis usitatus est. loci autem, quibus invenitur, ita comparati sunt, ut adiectivum semper accedat uno loco excepto Sol. 4, 16 *τῷ . . . χρόνῳ*, qui dativus ab Homeri carminibus alienus est, apud alios articulo carere solet.

Non ita raro dativus ad eum refertur, cuius nescio quo modo, ut aliquid fiat, interest. quod in primis de pronominibus personalibus valet, velut Mimn. 5, 1 *αὐτίκα μοι κατὰ μὲν χροιὴν ῥέει ἄσπετος ἱδρώς*, Theogn. 178 *γλῶσσα δέ οἱ δέδεται*, 531 *αἰεί μοι φίλον ἦτορ ἰαίνεται*, 1199 sqq. *καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν*, | *ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς*, | *οὐδέ μοι ἡμίονοι κύφων' ἕλκουσιν ἀρότρου*. a quibus locis, cum semper substantivum aliquod accedat, ne genetivus quidem pronominis alienus esset. sed ut ab aliis poetis ita ab his dativus praefertur, qui non tam ad singula verba quam ad totum enuntiatum pertinet. verum etiamsi deest substantivum, dativus pronominis sic usurpatur, quamquam exempla rariora sunt; cf. 1055 sq. *αὐτὰρ ἐμοὶ σὺ* | *αὔλει*.

Hic illic etiam liberiore modo dativus ponitur, veluti Theogn. 903 sq. *ὅστις ἀνάλωσιν τηρεῖ κατὰ χρήματα θηρῶν*, | *κυδίστην ἀρετὴν τοῖς συνιεῖσιν ἔχει* (in den Augen der . . .) et similiter 1105 sq. *ἐς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολύβδῳ* | *χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ*. cuius usus exempla apud posteriores satis multa (cf. Kuehner § 423, 25 b), apud Homerum perpauca extant; cf. Soph. Ant. 904 *καίτοι σ' ἐγὼ ἐτίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ*, Herod. III 88 *γάμους τε τοὺς πρώτους ἐγάμεε Πέρσῃσι ὁ Δαρεῖος* (cf. Tac. Ann. I 42 an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas), Hom. *Β* 284 sq. *Ἀτρείδη, νῦν δή σε, ἄναξ, ἐθέλουσιν Ἀχαιοὶ* | *πᾶσιν ἐλέγχιστον θέμεναι μερόπεσσι βροτοῖσιν*. quod vero apud posteriores scriptores etiam *ὡς* dativo adicitur vel *παρά τινι* dicitur, ut Soph. Ant. 1161 *Κρέων γὰρ ἦν ζηλωτός, ὡς ἐμοί, ποτέ*, Herod. I 32 *οὗτος παρ' ἐμοὶ*

τὸ οὔνομα τοῦτο ... δίκαιός ἐστι φέρεσθαι (cf. Tac. Hist. I 29 quod aeque apud bonos miserum est), id a poetarum elegiacorum usu alienum est.

Item liberius participium Theogn. 1059 sq. adhibetur πολλῶν ὀργὴν ἀπάτερθεν ὁρῶντι | γιγνώσκειν χαλεπόν et 955 δειλοὺς εὖ ἕρδοντι δύω κακά, quibus locis prorsus respondentes apud Homerum non inveniuntur, cum, si dativus participii, id quod raro fit, simili modo usurpatur, semper nomen quoddam accedat.

Porro huc referendi sunt ii loci, quibus dativus cum passiva forma verbi cuiusdam coniungitur. quod, cum Theogn. 1258 Bergkii coniectura ἄλλοτε τοῖς, ἄλλοτε τοῖσι φιλέαι (libri: φιλεῖν) valde dubia sit, tantum in versu 261 fit, ubi traditum est οὔ μοι πίνεται οἶνος.

Ut iam ad ea verba intransitiva transeam, quae dativum adsciscere solent, in primis ἕπεσθαι de quo accuratius agatur dignum esse videtur idque duabus de causis. constat enim apud Homerum ἅμα ἕπεσθαί τινι frequentissimum esse; in elegeis autem, quamquam verbum ἕπεσθαι sat multis locis sequitur, ἅμα nusquam accedit. atque adeo voculam eam poetae elegiaci respuunt, ut Solon 6, 1 δῆμος δ' ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο praepositionem σύν praeferat, quamquam hic usus satis rarus est neque umquam in Homeri carminibus conspicitur. hoc uno igitur loco σύν τινι ἕπεσθαι extat, quocum illud ἅμα ἕπεσθαί τινι conferri potest. reliquis vero solus dativus legitur neque Theognidis vv. 327 sq. ἁμαρτωλαὶ γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἕπονται | θνητοῖς excipiendi esse videntur, sed vertendi 'Fehler sind in der Welt im Gefolge der Sterblichen'.[1]) in quo loco id ipsum conspicias, quo praeter commemoratum discrimen exempla ex elegeis petita ab usu Homeri differunt. apud Homerum enim in tanta locorum copia ἕπεσθαι rarissime translate dicitur, velut *I* 512 τῷ ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, *Δ* 415 τούτῳ μὲν γὰρ κῦδος ἅμ' ἕψεται, *I* 513 sq. Διὸς κούρῃσιν ἕπεσθαι | τιμήν, in elegeis autem semper de substantivis abstractis usurpatur, velut Tyrt. 4, 9 δήμου δὲ πλήθει νίκην καὶ κάρτος ἕπεσθαι, Sol. 8 ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται, Theogn. 150 ἀρε-

---

[1]) Haeserunt quidam in hoc loco. atque Emperius pro ἐν coniecit ἅμ', cuius coniecturae nemo, si eorum, quae supra de ea vocula dicta sunt, rationem habuerit, patronus existet, praesertim cum ἅμα semel omnino in elegeis legatur, Tyrt. 2, 3 οἷσιν ἅμα. neque Ruhnkenii coniectura πέλονται opus est, cum ἕπεσθαι aptissimum sit et probata explicatione, quam supra Bergkium secutus protuli, et ea difficultas, quae est in voce ἐν, et ea, quae est in seiunctis verbis ἀνθρώποισιν et θνητοῖς, tollatur. neque quicquam obstare videtur, quominus ἐν ἀνθρώποισι sic interpretemur, cum ea verba oblitterata vi genuina apud Theognidem saepe simili modo usurpentur; cf. 131 sq. οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον | ἔπλεθ' (sc. τούτοις), ὅτοις ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη, 273 τῶν πάντων δὲ κάκιστον ἐν ἀνθρώποις, 647 sq. ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν, | αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται; vide praeterea 1003, 1135.

τῆς δ᾽ ὀλίγοις ἀνδράσι μοῖρ᾽ ἕπεται; et si Theogn. 225 de homine usurpatur, tamen translata vis statuenda est: ἀλλ᾽ ὁ μὲν οὐκ ἐθέλει κακοκερδείῃσιν ἕπεσθαι. ex verbis compositis unum invenitur ἐφέπεσθαι Theogn. 1073 et 217. eadem autem vi praeterea ὀπηδεῖν instructum est, quod uno loco Theognidis extat: 933 παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ, ubi nescio an cum Arsenio (Viol. 501), qui hunc versum adfert, pro κάλλος, quod minus placet, κῦδος scribendum sit, ad quod verbum etiam codicum *e l* scriptura κλέος a numeris abhorrens spectat, et imitatio statuenda; idem enim Hes. Op. 313 legitur: πλούτῳ δ᾽ ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ (cf. *P* 251 ἐκ δὲ Διὸς τιμὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ), neque veri simile est poetam in verbo ὀπηδεῖν adhibendo, quod alibi ut obsoletum vitatur, non certum quendam locum imitatum esse.

Ex verbis, quae dativum quem vocant sociativum adsciscunt, haec paucis perstringere in animo est. ὁμιλεῖν τινι apud Homerum praeter eam vim, quam posterioribus temporibus habere solet, etiam idem significat atque μάχεσθαί τινι, quae notio ab elegeis aliena est. praeter ὁμιλεῖν autem Theogn. 31 sq. sensu non diverso legitur προσομιλεῖν: κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει | ἀνδράσι, alio sensu ibid. 215 sq. ὃς (sc. πολύπους) ποτὶ πέτρῃ, | τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη (cf. Pseudophocyl. 49 μήδ᾽, ὡς πετροφυὴς πολύπους, κατὰ χῶρον ἀμείβου). quo verbo Homerus nusquam utitur. neque apud hunc συνεῖναι plus uno loco extat η 270, ubi translate dicitur (ξυνέσεσθαι διζυῖ); proprio autem sensu legitur Theogn. 668 τοῖς ἀγαθοῖσι συνών. ad quae verba accedunt μετεῖναι Tyrt. 10, 7, ὁμαρτεῖν, quod apud Homerum (cf. Krueg. Di. 48, 7, 3) significat 'zusammenhandeln, zusammengehen' et semper absolute usurpatur, Theogn. 1165 τοῖς ἀγαθοῖς σύμμισγε, κακοῖσι δὲ μή ποθ᾽ ὁμάρτει, προσομαρτεῖν, quod apud reliquos scriptores non invenitur, 609 sq. ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ | ἀνδρί. iam ad verbum μιγνύναι et ea quae cum hoc cohaerent verba venimus. in quibus adhibendis poetae elegiaci ab Homeri usu recedunt. nam μιγνύναι, quod apud Homerum usitatissimum est et praeter genuinam vim etiam de eo usurpatur, qui inter alios versatur vel aliquo familiariter utitur, nec non de concubitu adhibetur, in elegeis tantum Theogn. 190 πλοῦτος ἔμιξε γένος et 444 extat. contra συμμίσγειν, quod apud Homerum semel invenitur, *B* 753 οὐδ᾽ ὅ γε Πηνειῷ συμμίσγεται, nusquam apud Hesiodum (in hymno Ven. saepe legitur συμμίσγειν τινά τινι i. e. efficere, ut concumbant), in elegeis passim usurpatur atque non solum proprio sensu, sed etiam translato, ut Theogn. 35 sq. ἢν δὲ κακοῖσιν | συμμίσγῃς et 1165 τοῖς ἀγαθοῖς σύμμισγε, quibus locis utendi vim habet, vel ibid. 64 sq. χρῆμα δὲ συμμίξῃς μηδενὶ μηδ᾽ ὁτιοῦν | σπουδαῖον (sich einlassen in), vel 214 (= 1072), ubi ὀργὴν συμμίσγων legitur. praeterea compositum extat Theogn. 961 ἀναμίσγεσθαι (ἰλυῖ).

Ex adiectivis, quae dativo instructa esse solent, ὁ αὐτός τινι, quod tiam apud Homerum deest, in elegeae reliquiis non conspicitur; contra μία Theogn. 299 sq. οὐδεὶς λῇ φίλος εἶναι, ἐπὴν κακὸν ἀνδρὶ γένηται, | οὐδ'. ᾧ κ' ἐκ γαστρός, Κύρνε, μιῆς γεγόνῃ notionem latini 'idem' habet et dativum adsciscit; nam hic vix adtractio quae dicitur pronominis minus usitata (ᾧ i. q. τούτῳ, ὅς) statuenda esse videtur, cum ne hoc quidem apud Homerum (cf. Krueger Di. 51, 9, 1) et poetas elegiacos fiat, ut pro accusativo pronominis relativi genetivus vel dativus, si quidem ad hos casus refertur, usurpetur. ceterum animadvertas nonnulla adiectiva, quae huc spectant, apud Homerum nondum extare. dico θητός Tyrt. 10, 29 (absolute usurpatum est Hes. Theog. 31), πάτριος ibid. 15, 6, σύμφορος Theogn. 457, 526, 1352. his adde ἄπιστος Theogn. 601, ἐρατός Tyrt. 10, 29, a quibus Homerus dativum nusquam pendentem facit. communia autem sunt adiectiva ἴκελος (εἴκελος, ἀλίγκιος, ἐναλίγκιος absunt ab elegeis), quod tantum Mimn. 2, 3 traditur, ὅμοιος et ἴσος, quae illo usitatiora sunt, etsi, quod casu factum esse videtur, ἴσος semper absolute usurpatur, πίσυνος Theogn. 75, φίλος, ἐχθρός.

Iam res in eo est, ut de dativo instrumenti agatur. constat non raro Homerum, si magis loci significationem premere velit, pro dativo praepositione ἐν uti. quam poetae elegiaci perpaucis locis admittunt; cf. Sol. 13, 44 ἐν νηυσὶν . . ἄγειν (Theogn. 12 ἔπλεε νηυσὶ θοαῖς), Tyrt. 11, 25 δεξιτερῇ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄβριμον ἔγχος (Theogn. 534 χερσὶ λύρην ὀχέων). cum talibus autem substantivis, in quibus vis localis non est, ἐν non coniungitur, quamquam his quoque Homerus praepositionem eam praemittit. veluti, ut unum adferam exemplum, Homerus saepe ἐν δεσμοῖς δεῖν dicit, contra Solon 4, 25 δεσμοῖσί τ' ἀεικελίοισι δεθέντες. sed melius etiam, quantum hac in re inter Homeri et poetarum elegiacorum genus dicendi intersit, ex usu voculae ὑπό adparebit. Homerus enim saepe, ubi alii solum dativum ponunt, ὑπό τινι dicit idque non solum, si verbi forma est passiva, sed etiam, quamquam multo rarius, si est activa, veluti *Γ* 352 καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον (Soph. Oed. R. 202 (τόν), . ., ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ). in elegeis vero ne in passivis quidem verborum formis plus uno loco ὑπό traditur, Sol. 13, 37 χὤστις μὲν νούσοισιν ὑπ' ἀργαλέῃσι πιεσθῇ (cf. *N* 667 νούσῳ ὑπ' ἀργαλέῃ φθίσθαι).

Ex reliquis locis commemoratione hi digni sunt: Tyrt. 10, 31 ποσὶν . . στηριχθείς, ubi Buchholz falso sic interpungit: μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν, | στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς (cf. *μ* 433 sq. οὐδέ πῃ εἶχον | οὔτε στηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον . . ., *Φ* 241 sq. οὐδὲ πόδεσσιν | εἶχε στηρίξασθαι), Theogn. 815, ubi formula homerica λὰξ ποδί legitur, sed non ut apud Homerum in prima versus sede (*K* 158 et *ο* 45 | λὰξ ποδὶ κινήσας), neque ita, ut λάξ praecedat; immo in altera versus parte posita est, ut verbis ποδὶ λὰξ ἐπιβαίνων

(ibid. 847 *λὰξ ἐπίβα*) clausula efficiatur, Theogn. 331 *ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν*, ubi, cum non magis quam ibid. 220 *Κύρνε, μέσην δ' ἔρχευ τὴν ὁδόν, ὥσπερ ἐγώ* oppositio fiat, minus apte *ποσσίν* adicitur, contra aptissime apud Homerum ζ 39sq. *καὶ δὲ σοὶ ὧδ'* (37 *ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν ἐφοπλίσαι) αὐτῇ πολὺ κάλλιον ἠὲ πόδεσσιν | ἔρχεσθαι (= πεζόν ἔρχεσθαι)*. qui simili ubertate sermonis usus est 939 *οὐ δύναμαι φωνῇ λίγ' ἀειδέμεν*. quod vero ibid. 96 *ὅς κ' εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονῇ δ' ἕτερα* dativus, qui primo obtutu supervacaneus esse videtur, accedit, id fieri patet, quo magis verba opposita premantur, et quod ibid. 469sq. *ὅντιν' ἂν ἡμῶν | θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἕλῃ* legitur, causa, cur *οἴνῳ* adiciatur, in insolita vi vocis *θωρηχθῆναι (μεθυσθῆναι)* posita est, atque eo magis dativo opus est, quod ante Theognidem verbum ea vi nusquam adhibitum reperitur.[1])

Dativus causae plerumque ad verba, quae adfectum quendam significant, refertur. atque semper dicitur *χαίρειν τινί, τέρπεσθαι, ἐπιτέρπεσθαι* (Theogn. 1218), *ἀγάλλεσθαι* (Xenoph. 3, 5), *μοχθίζειν* (Theogn. 164). contra uno loco, ubi de persona agitur, Theogn. 59 *ἐπί* additur: *ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες*.

Loci, quibus dativus causae ab aliis verbis pendet, haud multi inveniuntur; conferas tamen Sol. 4, 5 *φθείρειν .. ἀφραδίῃσι*, Theogn. 669sq. *ἄφωνος | χρημοσύνῃ*, 703 *πολυιδρείῃσιν*, 1234 *σῇσιν ἀτασθαλίαις* aliosque paucos.

Artissimis vero finibus dativus mensurae continetur. verba enim, quibuscum coniungi solet, aut omnino desunt — in his *διαφέρειν, ὑστερεῖν, ἐλαττοῦσθαι*, quae eadem ab Homeri carminibus aliena sunt — aut, si unum alterumve extat, dativo caret. neque comparativi vel superlativi formae dativo instructae esse solent excepto uno loco Theogn. 605 *πολλῷ τοι πλέονας*; poetae elegiaci enim comparativo *πολλόν* et *πολύ* — uno tantum loco Theogn. 996 *ὅσσον* extat — praemittunt (cf. Xenoph. 8, Theogn. 262, 393, 618, 884, 1370, quibus *πολλόν*, et ibid. 853 et 1173, quibus *πολύ* legitur), superlativo *μέγα* (Sol. 27, 7 et 27, 13). qui usus ita differt ab usu Homeri, ut in Iliade et Odyssia voculae *πολλόν, πολύ, μέγα* et ad comparativos et ad superlativos accedant, dativus vero nusquam usurpetur.

Restat, ut pauca de dativo modi addantur. quo spectant loci nonnulli, quibus modi significatio ita efficitur, ut adtributum substantivo adiciatur: Sol. 42, 3 (*μέλη*) *φαιδρῷ σε προσεννέπῃ προσώπῳ*, Theogn. 199 *φιλοκερδέι θυμῷ*, 1125 *νηλέι θυμῷ* (cf. ι 272 et 287). contra adtributo

[1]) Sane reliquis locis Theognidis, quibus *θωρήσσω* sic usurpatur, vox nude posita est, sed ex sententiarum conexu facile, quid ea significet, adparet, veluti 884, ubi verbis *θωρηχθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφροτέρως* versus praecedit *τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδώνας*.

carent *θυμῷ* Tyrt. 10, 13 (vertas 'muthig'), *ὅρκῳ* Theogn. 200, *βίῃ* 346, 371. quibuscum conferas Theogn. 776 sq. *ἐν εὐφροσύνῃ . . . πέμπωσ' . . .* (766 *εὐφροσύνως διάγειν*), Phocyl. 9, 2 *σὺν κόσμῳ στείχοντες*, Theogn. 197 sq. *σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται | καὶ καθαρῶς.*

### IV. De praepositionibus.

*a)* De praepositionibus, quae cum accusativo coniunguntur.

Cum praepositio *ὡς* in elegeae reliquiis non extet, hic de una vocula *εἰς (ἐς)* agendum est. sed antequam in eam accuratius inquiram, pauca de formis praemittenda sunt. de quibus Renner (cf. Curt. Stud. gramm. I 174) haec profert: 'Brevior forma etiam apud Homerum sola fere usitata est, ubicumque metrum eam admittit. eandem rationem sequi videntur elegiaci, qui sunt ionicae gentis; cf. Mimn. 9, 3; 12, 9; 5, 2 (*ἐσορῶν*), Archil. el. 9, 7. dubium est, quam rationem ingressus sit Theognis. Tyrtaeus et Solon, ubicumque licet, longiorem formam ponere videntur; cf. Tyrt. 11, 4; 10; Sol. 2, 5; 4, 18; 9, 3 etc.; tr. 36, 6; 36, 17'. ut iam ad usum ipsum accedam, *εἰς* ad locum spectare solet. quod etiam de iis locis valet, quibus praepositionem genetivus sequitur, qui usus in elegeis voce *Ἅιδης* se continet; cf. Sol. 24, 8 *ἔρχεται εἰς Ἀΐδεω* (repetitum Theogn. 726), Theogn. 802 *δύσεται εἰς Ἀΐδεω*, 906 *εἰς Ἀΐδαο περᾶν.* quibuscum locis compares 244 *εἰς Ἀΐδαο δόμους*, 1014 *εἰς Ἀΐδεω δῶμα.* videmus igitur hactenus poetas elegiacos cum Homero consentire. quod vero apud illos etiam accusativus, qui est *Ἅιδην*, legitur (cf. Tyrt. 12, 38 *ἔρχεται εἰς Ἀΐδην* et Mimn. 2, 14, ubi eadem versus clausula extat), id ab Homeri carminibus (non item ab hymnis) alienum est, cum apud Homerum vox *Ἅιδης* semper ad deum, nusquam ad locum referatur.

Porro Homerus *εἰς* saepe cum accusativo numeri singularis nominis proprii coniungit, ut idem atque 'ad' significet, velut *H* 312 *εἰς Ἀγαμέμνονα δῖον ἄγον* (cf. etiam Hes. Sc. Herc. 83 *ἵκετο δ' ἐς Κρείοντα καὶ Ἡνιόχην*), cuius usus ne unum quidem exemplum in elegeis extat. contra in his *εἰς* multo saepius ad substantiva abstracta accedit quam apud illum. perpaucis enim locis Homeri ita comparatis hi opponi possunt ex elegeis petiti: Tyrt. 11, 10 *εἰς κόρον ἠλάσατε*, Sol. 4, 18 et 9, 3 *εἰς . . . δουλοσύνην*, 13, 68 *εἰς . . ἄτην* (repetitum Theogn. 588), Theogn. 42 *ἐς κακότητα*, 404 *εἰς . . ἀμπλακίην*, 560 *ἐς.. χρημοσύνην*, multi alii. item, quantum ad adiectiva pertinet, usus in elegeis latius patet. apud Homerum enim *ἐς μέσσον*, *ἐς κακόν*, *ἐς ἀγαθόν* extat, in elegeis praeter haec alia; cf. Tyrt. 12, 43 *ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι*, Theogn. 304 *ἐς ὀρθὰ λάβῃς*, 919 *ἐς ἄκαιρα πονεῖν.* quibus adde Xenoph. 3, 4 *εἰς ἐπίπαν.*

Iam de tempore tria substantiva usurpata inveniuntur: Sol. 13, 47sq. *ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρεον εἰς ἐνιαυτὸν | λατρεύει*, ubi verba *εἰς ἐνιαυτόν* vim insolitam nostri 'Jahr aus, Jahr ein' habent, *τέλος* et *τελευτή*, quae verba vocula *εἰς* instructa praeter Theogn. 1083sq. *νόημα | ἔμπεδον αἰὲν ἔχειν ἐς τέλος* semper, id quod apud Homerum neque in his neque in aliis substantivis umquam fit (cf. Krueger Di. 68, 21, 10), adverbiorum instar sunt. loci autem, qui huc pertinent, sunt: Sol. 13, 28 *πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη*, Theogn. 136 *ἐς τέλος εἴτ' ἀγαθὸν γίνεται εἴτε κακόν*; *ἐς δὲ τελευτήν* Theogn. 201, 607, 755 semper in clausula hexametri, ut Hes. Op. 333, quo loco primum *ἐς δὲ τελευτήν* sic usurpatum invenitur.

*b)* De praepositionibus, quae cum genetivo coniunguntur.

Ex voculis, quae huc referendae sunt, *ἄνευ* tantum Xenoph. 3, 2 extat, cum hi poetae etiam adverbiis *ἄτερ* (Mimn. 1, 1 et 6, 1), *νόσφι* (Theogn. 166 et 766), *ἀπάτερθε* (1153), quorum supra mentio facta est, adhibeant. usitatior est praepositio *ἀντί*. de qua satis habeo ad tres locos relegare. primus est Theogn. 97sqq. *ὃς τὸν ἑταῖρον | γιγνώσκων ὀργὴν . . . φέρει | ἀντὶ κασιγνήτου*, ubi, ut schol. Ariston. verbis utar, *ἀντὶ κασιγνήτου* idem valet atque *ἴσον κασιγνήτῳ*; cf. *Φ* 75 *ἀντί τοί εἰμ' ἱκέταο* (schol. Ariston. *ἡ διπλῆ, ὅτι ἀντὶ τοῦ ἴσος ἱκέτῃ εἰμί*), *Θ* 546 *ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνός θ' ἱκέτης τε τέτυκται*. porro ad locum Theogn. 343sq. te revoco: *τεθναίην δ', εἰ μή τι κακῶν ἄμπαυμα μεριμνέων | εὑροίμην, δοίης* (sic ex coni. Turnebi scribendum puto pro *δοίην*) *δ' ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας*; hic enim locus eo memorabilis est, quod ut ibid. 342 (*δὸς δέ μοι ἀντὶ κακῶν καί τι παθεῖν ἀγαθόν*) verbis *ἀντὶ κακῶν* verbum *ἀγαθόν* ita hic voci *ἀνίαι* eadem vox opponitur. et bene dicit homo amissas fortunas vehementer querens ut nostro utar sermone: 'Ich will sterben, wenn meine Sorgen kein Ende nehmen und du für Beschwerlichkeiten gibst — Beschwerlichkeiten'. tertius autem locus est Theogn. 789sq. *μή ποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη | ἀντ' ἐρατῆς σοφίης*, quo *ἄλλο ἀντί* idem fere significat atque *ἄλλο ἤ*. qui usus eius praepositionis cum vocabulo *ἄλλος* coniunctae apud poetas scaenicos frequens est, apud antiquissimos poetas rarissimus. in Homeri enim carminibus nullum eius exemplum extat, unum apud Hesiodum Theog. 892sq. *ἵνα μὴ βασιληίδα τιμὴν | ἄλλος ἔχοι Διὸς ἀντὶ θεῶν αἰειγενετάων*.

*Ἀπό* et apud Homerum et in elegeis de rebus, quae sensibus percipiuntur, adhiberi solet. de quibus locis non est cur fusius agatur. Theogn. 63 legitur *ἀπὸ γλώσσης φίλος εἶναι*, quocum versu conferendus est 979 *μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ*. porro Theogn. 1156 *ζῆν ἀπό τινος* extat, ibid. 28 *ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον* et 35 *ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι* cum verbo discendi con-

iunctum ἀπό vix a vocula παρά differt. atque etiam Theogn. 957 εἴ τι παθὼν ἀπ' ἐμεῦ ἀγαθόν, si quidem — sunt enim qui addubitent — lectio tradita genuina est, ἀπό pro ὑπό legitur, quod saepe apud posteriores scriptores fit.

Ἄχρι semel apud Homerum, semel apud Solonem 13, 35 ἄχρι δὲ τούτου invenitur utroque loco ad tempus spectans. item μέχρι tantum Call. 1, 1 μέχρις τεῦ κατάκεισθε et Theogn. 1299 μέχρι τίνος με προφεύξεαι traditur.

Ut iam ad praepositionem εἵνεκα (ἕνεκα) accedamus, forma, quae est εἵνεκα, usitata est. sed Theogn. 518 traditur ἕνεκα, Sol. 37, 5 (trim.) οὕνεκα (τῶν οὕνεκ'). eadem forma Theogn. 671, 854, 1349 coniunctionis ὅτι instar est. contra τοὔνεκεν (= τοῦ ἕνεκεν) Xenoph. 2, 19 adverbii munere fungitur. de usu ipso autem nihil aliud commemorandum est quam hoc, bis (Theogn. 518 et 1202) substantivum postpositnm esse. praeterea animadvertas formam εἵνεκα semper (Theogn. 46, 62, 730, 1202) in eadem versus sede post caesuram pentametri reperiri.

Praepositione ἐκ poetae elegiaci in universum eodem modo utuntur quo Homerus. sed tamen hoc differunt, quod illi non epicorum more ἐκ pro ἐκτός ponunt. tales igitur locos, quales sunt Π 668 ἐλθὼν ἐκ βελέων, Ξ 129 sq. ἐχώμεθα δηιοτῆτος | ἐκ βελέων (cf. Herod. II 142 ἐν τοίνυν τούτῳ τῷ χρόνῳ τετράκις ἔλεγον ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι), frustra in elegeis requiras, cum potius ἐκτός dicatur; cf. Tyrt. 11, 28 μηδ' ἐκτὸς βελέων ἑστάτω ἀσπίδ' ἔχων. praeterea haec commemoranda sunt. ut ἐκ cum verbis, in quibus liberandi notio inest, coniungitur, velut Theogn. 103 οὔτ' ἄν σ' ἐκ χαλεποῖο πόνου ῥύσαιτο καὶ ἄτης, ita ibid. 1385 λύσιν ἐκ χαλεπῶν coniunctum est. atque eadem vis primitus talibus locis, qualis est Theogn. 1315 sq. ἀλλ' ἐγὼ ἐκ πάντων σ' ἐδόκουν θήσεσθαι ἑταῖρον | πιστόν statuenda est, quamquam simul praeferendi notionem inesse manifestum est, ut δ 722 sq. πέρι γάρ μοι Ὀλύμπιος ἄλγε' ἔδωκεν | ἐκ πασέων et Herod. I 134 τιμῶσι δὲ ἐκ πάντων. porro ἐκ etiam de auctore usurpatur Sol. 4, 21 sq. ἐκ γὰρ δυσμενέων ταχέως πολυήρατον ἄστυ | τρύχεται, ibid. 9, 3 ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται, Theogn. 1232 ἐκ σέθεν ὤλετο μὲν Ἰλίου ἀκρόπολις (ἐξ Ἔρωτος), quibus locis non proxima causa, ad quam ὑπό spectat, sed quae dicitur adiuvans significatur. perraro ἐκ ad tempus spectat, velut Xenoph. 7, 3 ἐκ γενετῆς, Theogn. 739 ἐξ ἀρχῆς, ac rarius etiam ita adhibetur, ut substantivum cum eo coniunctum adverbii instar sit, id quod fit Theogn. 61 sq. μηδένα τῶνδε φίλον ποιεῦ, Πολυπαΐδη, ἀστῶν | ἐκ θυμοῦ (vom Herzen, herzlich); cf. I 342 sq. ὡς καὶ ἐγὼ τὴν | ἐκ θυμοῦ φίλεον et ibid. 486 ἐκ θυμοῦ φιλέων. ὑπέξ legitur Theogn. 949.

De vocula πλήν nihil aliud animadvertendum est nisi hoc, apud poetas elegiacos usum eius latius patere quam apud Homerum et Hesiodum. Homerus enim θ 207, Hesiodus Sc. Herc. 74 ea utitur, apud

poetas elegiacos extat Tyrt. 12, 9, Demod. 2, 2, Phoc. 1, 2. quae iam restat praepositio *πρό* tantum Theogn. 1077 *πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσσεσθαι* tradita est.

c) De praepositionibus, quae cum dativo coniunguntur.

Ut a vocula *ἐν (ἐνί)* initium capiam, in ea re tractanda multos locos silentio praeterire possum. quorundam iam supra, ubi de dativo agebatur, mentionem feci et dixi raro, si per sententiam solus dativus legi potest, in elegeis *ἐν* addi, saepe apud Homerum. ab illo poetae elegiaci hoc quoque differunt, quod nusquam eam praepositionem genetivo substantivi cuiusdam hoc modo praemittunt: *ἐνὶ Κίρκης* (κ 282), *ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται* (Z 47), quamquam — quod casu factum esse puto — ne *ἐν Ἅιδου* quidem usquam traditur.

Iam e numero eorum locorum, quibus *ἐν* translate dicitur, adferendi sunt Theogn. 240, ubi is, qui in ore multorum est, *πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν* dicitur, 833, quo loco primum, ut videtur, *ἐν κοράκεσσι* de rebus invenitur, quae perierunt (*πάντα τάδ' ἐν κοράκεσσι καὶ ἐν φθόρῳ*), sed ita, ut explicandi causa *ἐν φθόρῳ* addatur.

Restat, ut pauca de substantivis abstractis, quibus *ἐν* praecedit, adnectantur. apud Homerum enim pauca exempla, quae huc spectant, leguntur, permulta in Theognidis carminibus, ut hac in re, quod iam supra in vocula *εἰς* vidimus, poeta ille multo propius ad Herodotum et qui post hunc fuerunt scriptores accedat quam ad Homerum. iam vide exempla, quae huc pertinent: Tyrt. 12, 1 *οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην*, Archil. 4, 4 *ἐν φυλακῇ*, Sol. 4, 10 *δαιτὸς ἐν ἡσυχίῃ*, Xenoph. 2, 19 *ἐν εὐνομίῃ πόλις εἴη*, Theogn. 48 *πολλῇ κεῖται ἐν ἡσυχίῃ*, 78 *ἐν χαλεπῇ.. διχοστασίῃ*, 378 *ἐν ταὐτῇ μοίρῃ .. ἔχειν*, 439 *ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν*, 555 *χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον*, 619 *ἐν ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι*, 776 *ἐν εὐφροσύνῃ*, 913 *τρύχω βίον ἐν κακότητι*, 1256 *οὔποτέ οἱ θυμὸς ἐν εὐφροσύνῃ*, 1295 *κακοῖσιν ἐν ἄλγεσι*.

Venimus ad praepositionem *σύν* (*ξύν* Sol. 19, 3 et Theogn. 1063). de cuius usu T. Mommseni opera[1]) edocti sumus et compertum habemus in ea adhibenda singulos scriptores multum inter se differre. atque in universum dici potest *σύν* poetis,[2]) *μετά* reliquis scriptoribus[3]) proprium

[1]) Cf. commentationes eius sic inscriptas: 'Entwicklung einiger Gesetze für den Gebrauch der Praepositionen *μετά*, *σύν* und *ἅμα* bei den Epikern', Frankfurt a. M. 1874; 'Gebrauch von *σύν* und *μετά* c. gen. bei Euripides', Frankfurt a. M. 1876; 'Die Praepositionen *σύν* und *μετά* bei den nachhomerischen Epikern', Leipzig 1879.

[2]) Excipe maxime Aristophanem, qui locis octoginta quinque *μετά*, viginti duobus *σύν* adhibet, et Euripidem, apud quem illa vocula locis centum uno extat, haec centum nonaginta septem.

[3]) Herodotus *μετά* sexagies quinquies, *σύν* septuagies bis usurpat, Xenophon illam ducenties septuagies quinquies, hanc quingenties quinquagies sexies.

esse, *ἅμα* in primis apud Homerum et Herodotum saepius extare. vocula *μετά* cum genetivo consociata in Hesiodi Op. et dieb., in Scuto Herc., in Pugna ranar. et mur., in maioribus hymnis homericis nusquam legitur, quinquies apud Homerum, semel in Hesiodi Theogonia (347), sexies apud Pindarum. contra *σύν* in Iliade et Odyssia locis centum octoginta uno, in Hesiodi Theogonia septem, apud Pindarum centum tredecim invenitur. quibus praemissis iam in elegeas ipsas inquiramus. atque de vocula *ἅμα*, quanto studio poetae elegiaci eam evitent, iam p. 155 expositum est. *σύν* vero semel et vicies extat, *μετά* cum genetivo constructum septies (semel apud Solonem, sexies apud Theognidem). sed iam eo redeamus, unde digressi sumus, et de praepositione *σύν* exponamus. haec vocula igitur et de hominibus et de rebus dicitur. atque quod ad illos locos adtinet, ut reliquos praeteream, Theogn. 1041 sq. *δεῦρο σὺν αὐλητῆρι· παρὰ κλαίοντι γελῶντες* | *πίνωμεν* deest verbum, id quod in adverbio *δεῦρο* saepe fit; supple, ut *σύν* intellegatur, mente *ἴωμεν*; Sol. 35, 1 (tetram.) *σὺν θεοῖσιν ἤνυσ'* et Theogn. 1117sq. *Πλοῦτε, ...* | *σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ*, *σύν τινι* 'ope alicuius' significat. ex his vero adferendi sunt Theogn. 241 sqq. *σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις ... ᾄσονται* (unter Flötenbegleitung), 237 sq. *σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον* | *πωτήσῃ*, ubi *σὺν οἷς* (= quibus instructus) a dativo instrumenti non multum discrepat (cf. *Π* 279 *σὺν ἔντεσι μαρμαίροντας* et, quod saepe in Iliade legitur, *σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες*). porro *σύν* satis multis locis cum substantivis abstractis coniungitur, qui usus ab Homeri carminibus totus fere abest. huc spectant Sol. 24, 6 *σὺν δ' ὥρῃ γίνεται ἁρμόδια*, Theogn. 50 *κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα*, 1068 *τερπωλὴ νικᾷ πάντα σὺν εὐφροσύνῃ*; adde Phoc. 9, 2 *σὺν κόσμῳ στείχοντες*, Theogn. 197 sq. *ὃ μὲν Διόθεν καὶ σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται* | *καὶ καθαρῶς*, 330 *σὺν ἰθείῃ ... δίκῃ*, quibus tribus locis modus significatur.

## *d)* De praepositionibus, quae et cum genetivo et cum accusativo coniunguntur.

*Διά*, ubicumque ad genetivum accedit (Tyrt. 12, 25 et 26, Theogn. 18, 691), ad locum spectat. genetivo vero usitatior est accusativus, in quo Archil. 4, 1 *διὰ σέλματα νηός* et Mimn. 12, 5 *διὰ κῦμα φέρει* et quodammodo etiam Theogn. 671 sq. *οὕνεκα νῦν φερόμεσθα καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες* | *Μηλίου ἐκ πόντου νύκτα διὰ δνοφερήν* (cf. *ι* 143, ubi legitur *νύκτα δι'* (wegen) *ὀρφναίην*) loci significationem inesse adparet. contra Tyrt. 5, 2 *ὃν διὰ* (per quem) *Μεσσήνην εἵλομεν* ad hominem refertur. vides locos, quos tractavimus, ab usu scriptorum atticorum, quippe qui talibus locis *διά τινος* dicant, differre, consentire cum usu Homeri. notio autem

'propter', quam *διά* cum accusativo coniunctum apud illos semper habet, nusquam fere apud Homerum, apud poetas elegiacos non ita raro invenitur, ita ut hos medium inter Homerum et scriptores posteriores locum obtinere adpareat. loci autem hi sunt: Sol. 11, 1 *δι' ὑμετέρην κακότητα*, ibid. 11, 4 *διὰ ταῦτα*, Theogn. 855 *δι' ἡγεμόνων κακότητα*, (at 1377 sq. *κακότητι φρενῶν δειλοῖσιν ὁμιλεῖς | ἀνδράσι*), 1378 *διὰ τοῦτο.*

*Κατά* praepositio cum genetivo coniuncta apud Homerum semper ad locum pertinet. idem de elegeis valet; cf. Theogn. 176, 1206, Mimn. 2, 14 *κατὰ γῆς ἔρχεται εἰς Ἀίδην*, quo loco, quamquam etiam notio 'von (der Erde) herab', quae antiquis temporibus usitata esse solet, ferri potest, *κατὰ γῆς* 'unter die Erde' significare puto; nam etsi ante Atticos *κατά* cum genetivo coniunctum raro notionem latini 'sub' habet, tamen non prorsus ea deest, velut Ψ 100 sq. *ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠύτε καπνὸς | ᾤχετο τετριγυῖα*, hymn. Merc. 68 *ἔδυνε κατὰ χθονός*. iam ex elegeis ipsis praeter locum modo citatum huc spectare videtur 1277 sq. *τῆμος Ἔρως προλιπὼν Κύπρον, περικαλλέα νῆσον, | εἶσιν ἐπ' ἀνθρώπους σπέρμα φέρων κατὰ γῆς* (unter die Erde, in die Erde; an *κατὰ γῆν*?). sed in ea parte elegearum, quae sub Theognidis nomine fertur neque tamen ab eo profecta est, bis, quod nusquam alibi ante Atticorum tempora fit, *κατά τινος λέγειν* (über, gegen) extat, 1240 a et b *πολλάκι τοι παρ' ἐμοὶ κατὰ σοῦ λέξουσι μάταια | καὶ παρὰ σοὶ κατ' ἐμοῦ.*

*Κατά τι*, ubi ad locum refertur, 'per' significat, velut Theogn. 247 sq., ubi variae leguntur praepositiones: *Κύρνε, καθ' Ἑλλάδα γῆν στρωφώμενος ἠδ' ἀνὰ νήσους, | ἰχθυόεντα περῶν πόντον ἐπ' ἀτρύγετον*, a quo loco Theogn. 23 *πάντας δὲ κατ'* [1]) *ἀνθρώπους ὀνομαστός* non differt. quod si Homerus formulas *κατὰ φρένα, κατὰ θυμόν, κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν, κατὰ νόον* saepe verbis deliberandi aliisque ita adnectit, ut loci significatio in iis insit, a poetis elegiacis eae non ita usurpantur. hi enim, id quod supra vidimus, aut in solius verbi usu adquiescunt aut, quod ceteroquin etiam de Homero valet, dativos, quales sunt *θυμῷ, φρεσίν*, adiciunt. ac si in elegeis *κατά* cum talibus substantivis coniungitur, nusquam ad locum refertur, sed translate de voluntate dicitur; cf. Sol. 4, 1 sq. *ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται | αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων*, Theogn. 142 *θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον*, | 350 *ὅς κατ' ἐμὸν νοῦν τελέσειε τάδε.* cuius usus, qui et apud Herodotum et apud

---

[1]) Hartung, cum non *κατ' ἀνθρώπους* sed *ἐπ' ἀνθρώπους* (ut Theogn. 83) dici soleat, *μὲν ἐπ' ἀνθρώπους* scribendum esse putavit. sed in verbis traditis haerendum non est. nam cum *πᾶσαν κατὰ γῆν* dicatur, etiam *πάντας κατ' ἀνθρώπους* dici potest. ceterum non desunt loci similes, quibus *κατά* extat; cf. ex. gr. γ 302 *ἠλᾶτο . . . κατ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους*, ο 276, υ 206, hymn. Apoll. Pyth. 177 *κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων.*

scriptores atticos satis late patet, apud Homerum vestigia tantum reperiuntur. ex huius enim carminibus, quantum ad verba *φρήν* et *νόος* pertinet, nulla alia exempla quam haec eo referenda sunt: *I* 108 *οὔ τι καθ' ἡμέτερόν γε νόον* et, quo loco dativus extat, *O* 194 *τῷ ῥα καὶ οὔ τι Διὸς βέομαι φρεσίν* (schol. AD *κατὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην*). quae his locis statuenda est vis 'secundum', eadem et in formulis *κατὰ κόσμον, μοῖραν, αἶσαν*, quae iam apud Homerum extant, reperitur; adde Theogn. 923 sq. *κατὰ χρήματ' ἄριστον ἁπάντων | τὴν δαπάνην θέσθαι.* restat, ut dicam semel *κατά*, quod nusquam apud Homerum fit, de tempore adhiberi, Tyrt. 12, 41 *οἱ .. κατ' αὐτόν* (aequales).

Praepositio *ὑπέρ* cum genetivo rarissime consociatur (Tyrt. 11, 26, Mimn. 5, 6, qui versus Theogn. 1022 repetitur) ac solum de loco dicitur. nusquam igitur vim latini 'pro' habet. quod, cum loci, qui huc spectant, non pauci sint, certe non casu factum est. atque illos inspicientes intellegimus poetas elegiacos non *ὑπέρ* adhibuisse, sed, id quod infra videbimus, *περί* Homeri exemplum secutos. nam ne apud hunc quidem excepto *A* 443 sq. *Φοίβῳ θ' ἱερὴν ἑκατόμβην | ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν* ea notione *ὑπέρ τινος* instructum est, et quod *H* 449 *τεῖχος ἐτειχίσσαντο νεῶν ὕπερ* legitur, id proprio sensu accipiendum est, quod ex *N* 682 sq. *αὐτὰρ ὕπερθεν* (sc. *νεῶν*) | *τεῖχος ἐδέδμητο* adparet. restat *ὑπέρ τι*, quod Sol. 4, 29 ad locum, Theogn. 498 et 501 (*ὑπὲρ μέτρον*) ad modum refertur.

Et cum dativo et cum accusativo unam praepositionem *ἀνά* coniungi constat. verum in elegeis *ἀνά τινι* non legitur, sed solum *ἀνά τι.* atque huius usus exempla omnia ad locum spectant, neque talia, qualia sunt Mimn. 14, 6 *ἀνὰ προμάχους* et Theogn. 839 *τούτων (δίψης καὶ μεθύσεως) δ' ἂν τὸ μέσον στρωφήσομαι* excipienda sunt.

### *e)* De praepositionibus, quae et cum genetivo et cum dativo et cum accusativo coniunguntur.

Praepositio *ἀμφί* [1]) perpaucis locis invenitur. nam cum genetivo coniuncta uno tantum loco extat, Xenoph. 1, 20 *ἀμφ' ἀρετῆς*, qui versus valde corruptus est, cum dativo Theogn. 55 *ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον* et, ubi translate dicitur, 465 *ἀμφ' ἀρετῇ τρίβου* et Archil. 9, 4 sq. *οἰδαλέους δ' ἀμφ' ὀδύνῃς ἔχομεν | πνεύμονας*, cum accusativo Tyrt. 5, 4 *ἀμφ' αὐτὴν* (sc. *Μεσσήνην*) *δ' ἐμάχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη*, quocum loco conferendi sunt Homeri vv. *P* 387 sq. *μαρναμένοιιν | ἀμφ' ἀγαθὸν θεράποντα ποδώκεος Αἰακίδαο.*

---

1) *ἀμφίς*, quod apud Homerum modo adverbii modo praepositionis instar est, tantum Xenoph. 1, 12 vi adverbii instructum legitur.

*Ἐπί* genetivo adiunctum a posterioribus scriptoribus vario modo usurpatur. in elegeis autem, quod etiam de Homeri carminibus valet, ad locum spectare solet; semel, Theogn. 557 *κίνδυνός τοι ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς*, translate adhibetur in formula, quae saepe apud scriptores graecos invenitur, primum Hom. *K* 173 sq. *νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς | ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι* (Ariston. schol. A *ἡ δ.*, *ὅτι ἀντὶ τοῦ τὰ πράγματα ἡμῶν τριχὸς ἤρτηται, ὅ ἐστιν ἐν ἐσχάτῳ κινδύνῳ ἐστὶν καὶ ἐπὶ ὀξύτητος κινδύνων μεταφορικῶς*). de tempore autem haec constructio usurpatur tantum Theogn. 203 sq. *οὐ γὰρ ἐπ᾽ αὐτοῦ | τίνονται μάκαρες πρήγματος ἀμπλακίας*.

Si dativum praepositioni *ἐπί* adiunctum respicimus, apud Homerum semper *ἐν προμάχοισι πίπτειν* legitur, contra in eodem carmine Tyrtaei (10) v. 1 *ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα*, 21 *μετὰ προμάχοισι πεσόντα*, 30 *ἐν προμάχοισι πεσών*. porro *ἔπεστι ἐπί τινι* legitur Theogn. 85 et *ἐπί τινι ἔπι* ibid. 66. praeterea *ἐπί τινι* hic illic cum verbis coniungitur, in quibus motus alicuius significatio inest, Theogn. 1149 *αἰὲν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα* (qua constructione usitatius est hoc: *προσέχειν νοῦν τινι* vel *ἐπέχειν νοῦν τινι*) et 461 sq. *μήποτ᾽ ἐπ᾽ ἀπρήκτοισι νόον ἔχε μηδὲ μενοίνα | χρήμασι, τῶν ἄνυσις γίνεται οὐδεμία*, quibuscum locis Plat. Leg. XI 926 b verba *καὶ ἐπὶ μείζοσι γάμοις τὴν διάνοιαν ἐπέχων* conferenda sunt.

Ad causam spectat Theogn. 1113 *ἐπ᾽ ἀλλήλοισι γελῶντες*, cui loco similes sunt Sol. 19, 5 *οἰκισμῷ δ᾽ ἔπι τῷδε χάριν καὶ κῦδος ὀπάζοι* et Xenoph. 2, 20 *χάρμα γένοιτ᾽ ἐπὶ τῷ*, ad consilium Theogn. 757 sq. *Ζεὺς μὲν τῆσδε πόληος ὑπειρέχοι, αἰθέρι ναίων | αἰεὶ δεξιτερὴν χεῖρ᾽ ἐπ᾽ ἀπημοσύνῃ* et Sol. 4, 13 *κλέπτουσιν ἐφ᾽ ἁρπαγῇ*.

Quae adhuc prolata sunt exempla, cum iis consentiunt, quae in Homeri carminibus leguntur, quamquam in universum animadvertendum est in elegeis *ἐπί τινι* saepius de rebus, quae sensibus non percipiuntur, usurpari, apud illum saepius de rebus, quae sensibus percipiuntur. adde, quod a poetis elegiacis *ἐπί* etiam cum adiectivis coniungitur, non item ab Homero, ut tales loci ab huius carminibus absint, quales sunt Sol. 13, 25 *ἐφ᾽ ἑκάστῳ* (neutr.) et Theogn. 325 *ἐπὶ παντί*.

*Ἐπί*, ubi ad accusativum accedit, aut 'per' significat, velut Mimn. 12, 7 *(φέρει) . . . ἄκρον ἐφ᾽ ὕδωρ*, ibid. 15 *καί μιν ἐπ᾽ ἀνθρώπους βάξις ἔχει χαλεπή*, Theogn. 83 sq. *ἐπὶ πάντας | ἀνθρώπους*, aut 'ad, in', velut Mimn. 11, 4 *ἐπ᾽ Ὠκεανοῦ καλὸν ἵκοντο ῥόον* et, quibus locis substantiva abstracta pro subiecto sunt, Theogn. 86 *οὐδ᾽ αἰσχρὸν χρῆμ᾽ ἔπι κέρδος ἄγει*, 787 *τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν* (cf. 633 *ὅ τοί κ᾽ ἐπὶ τὸν νόον ἔλθῃ*). temporis vero significatio inest in verbis Mimn. 2, 3 *πήχυιον ἐπὶ χρόνον* et ibid. 5, 3 (repetitus Theogn. 1019) *ἐπὶ πλέον ὤφελεν εἶναι*, si quidem Theogn. 1019 codicis *g* scriptura *ἐπὶ* — reliqui *ἐπεὶ* exhibent — genuina est.

Praepositionem *μετά*, ad quam tractandam iam accedimus, quinquies apud Homerum, septies apud poetas elegiacos cum genetivo coniungi supra commemoratum est. atque locis homericis ea non tam 'cum' quam 'inter' significat ideoque semper ad pluralem accedit. idem de plerisque locis Theognideis valet — 339 *χοὔτως ἂν δοκέοιμι μετ᾽ ἀνθρώπων θεὸς εἶναι*; cf. praeterea 353, 652, 792, 885 —; sed ibid. 1065 et singularis numerus legitur et notio 'cum' statuenda est: *ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ᾽ αὐλητῆρος ἀείδειν* (unter Begleitung); cf. 241 sqq. *καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες . . . | ᾄσονται.*

Quam igitur vim *μετά τινος* plerisque locis habet, eadem *μετά τινι* semper instructum est, velut Theogn. 33 sq. *καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν | ἵζε* collatis vv. 885 sq. *ὄφρα μετ᾽ ἄλλων | κωμάζοιμι.* a quo loco citato reliqui (Tyrt. 10, 21, Sol. 2, 3, Theogn. 739, 763, 733) vix differunt, nisi quod extremo loco *μετά* non ut reliquis ad homines, sed ad rem refertur: *μετὰ φρεσί* (inter praecordiorum membranas, animo), quae verba etiam apud Homerum coniuncta leguntur. accusativi cum *μετά* consociati unum extat exemplum Theogn. 71 *μετ᾽ ἐσθλὸν ἰών.*

Quoniam de praepositione *παρά* cum genetivo et dativo coniuncta non est cur fusius exponatur, tantum de accusativo pauca dicamus necesse est. apud Homerum enim *παρά* cum nominibus rerum, quae cerni non possunt, tantum *N* 787 *πὰρ δύναμιν . . πολεμίζειν* et *ξ* 509 *παρὰ μοῖραν* coniungitur, saepius in elegeis: Phoc. 16, 2 *παρὰ καιρὸν ἀπαιτέων* (zur Unzeit), Theogn. 199, ubi item *παρὰ καιρόν* legitur, sed ita, ut idem fere significet atque *πὰρ τὸ δίκαιον*, quod in proximo versu extat, 639 *πολλάκι πὰρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίγνεται εὖ ῥεῖν.* praeterea animadvertas velim apud Homerum *παρά τι*, ubicumque vim 'secundum' habet, proprio sensu accipiendum esse, contra iis locis Theognidis, quibus eadem vis statuenda est, translate dici: 543 sq. *χρή με παρὰ στάθμην καὶ γνώμονα τήνδε δικάσσαι, | Κύρνε, δίκην* et 945 *εἶμι παρὰ στάθμην ὀρθὴν ὁδόν.* quibus locis similes apud Atticos, non item apud veteres poetas epicos inveniuntur.

Venimus ad praepositionem *περί*. de qua iam supra dictum est poetas elegiacos non *ὑπέρ τινος μάχεσθαι* similiaque dicere, sed Homeri exemplum secutos *περί τινος*. sunt autem qui hunc pertinent loci hi: Call. 1, 7, Tyrt. 10, 13 et 12, 34, Sol. 3, 1, Theogn. 888, quibus omnibus *μάχεσθαι* (Tyrt. 12, 34 et Theogn. 888 *μάρνασθαι*) legitur. praeterea *περί τινος* satis multis locis respondet latino 'de aliqua re', velut Tyrt. 4, 10 *περὶ τῶν . . ἀνέφηνε*, Xenoph. 7, 4 *περὶ τῶνδ᾽ οἶδα λέγειν*, Theogn. 995 *σοφίης πέρι δηρισάντοιν.* quid vero de Theogn. v. 118 *οὐδ᾽ εὐλαβίης ἐστὶ περὶ πλέονος*, qui valde corruptus est, faciendum sit, nescio.

Constructionis cum dativo unum extat exemplum Tyrt. 10, 2 *περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον*, quod vix differt a locis, quibus *περί* genetivo adiunctum legitur. contra accusativus satis usitatus est. quem usum si cum usu Homeri componimus, idem colligitur quod iam saepe vidimus. apud Homerum enim exceptis perpaucis locis, quibus *πένεσθαι περὶ δεῖπνον* similiaque leguntur — quamquam ne talibus quidem vis genuina evanuit — *περί τι* semper de loco dicitur, in elegeis aliae rationes significantur. atque cum verbis *πένεσθαι περὶ δεῖπνον* Theogn. v. 1359 *περὶ παῖδα πονούμενον* conferri potest. his autem locis, quos iam enumerabo, similes frustra apud illum quaeras: Theogn. 1144 *εὐσεβέων περὶ θεούς* (cf. Plat. Conv. 193 b), Sol. 27, 11 *περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρός*, ubi ut Sol. 13, 69 sq. (vv. repetiti Theogn. 589 sq.) *θεὸς περὶ πάντα δίδωσιν | συντυχίην* fere adverbii instar *περὶ πάντα* est, Sol. 9, 6 *ἀλλ' ἤδη χρὴ περὶ πάντα νοεῖν.*

*Πρός*, ubicumque genetivo praecedit, ad homines refertur atque idem fere significat quod latinum 'a, ex'. non minus septem locis (Mimn. 2, 4, Sol. 13, 3, Theogn. 556, 810, 1010, 1182, 1280) *πρός* cum genetivo pluralis verbi *θεός* coniungitur, ad quos Theogn. 381 *οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν* et 1339 *ἐκλέλυμαι δὲ πόθου πρὸς ἐυστεφάνου Κυθερείης*, ubi verborum formae sunt passivae, prope accedunt. minus usitatum *πρός τινι* est. nam praeter Theogn. 215 sq. *ὃς ποτὶ πέτρῃ, | τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη (ε 415 βάλῃ λίθακι ποτὶ πέτρῃ)*, quo loco forma *ποτί* extat, quae eadem Tyrt. 16, 1 (anap.) legitur, et Xenoph. 7, 3 *ἐείκοσι πέντε τε πρὸς τοῖς* nullum eius usus exemplum invenitur. quod si in ultimo versu *πρός* vim latini 'praeter' habet, eadem uno loco Homeri, κ 68 *ἕταροί τε κακοί, πρὸς τοῖσί τε ὕπνος* statuenda est, saepe apud Herodotum, qui et *πρὸς τούτοις (τούτῳ)* et *πρὸς δέ* dicit. porro *πρός τι*, quod apud Homerum ad res, quae cernuntur, referri solet, ad homines tantum cum verbis pugnandi et loquendi coniunctum, in elegeis semper aut ad homines aut ad res abstractas spectat, veluti Sol. 27, 16 *πρὸς μεγάλην ἀρετήν*, Theogn. 379 *πρὸς ὕβριν.*

Restat *ὑπό.* quae praepositio cum genetivo coniuncta et de loco usurpatur, Call. 1, 10 sq. *ὑπ' ἀσπίδος … | ἔλσας*, Tyrt. 11, 35 sq. *ὑπ' ἀσπίδος … | πτώσσοντες*, ibid. 12, 32 *ὑπὸ γῆς περ ἐών*, et de causa eaque interna Sol. 13, 11 *ὑφ' ὕβριος*, externa Tyrt. 6, 2 *ἀναγκαίης ὕπο λυγρῆς*, Theogn. 387 *κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης*. adde 1203 *ὑπ' ἐμοῦ κεκλήσεται*, quo uno loco *ὑπό* ad passivam verbi formam accedit. quae usus genera poetae elegiaci cum Homero communia habent. talia autem exempla, qualia sunt: Theogn. 533 *ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδων* (unter Begleitung) et 825 *ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδειν*, in Iliade et Odyssia non extant. sed cum locis citatis, ut scriptores posteriores praeteream, compara Hes. Sc. 278 *ὑπὸ λιγυρῶν συρίγγων*

ἴεσαν αὐδήν, hymn. XIX (XVIII) 15 δονάκων ὕπο Μοῦσαν ἀθύρων, Archil. 123 ᾄδων ὑπ᾽ αὐλητῆρος, Herod. I 17 ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων.

Ὑπό τινι ter legitur, bis de loco usurpatum, Theogn. 879 κορυφῆς ὕπο Τηυγέτοιο (hymn. XVII (XVI) 3 et XXXIII (XXXII) 4 ὑπὸ Ταϋγέτου κορυφῆς) et 243 sq. ὅταν δνοφερῆς ὑπὸ κεύθεσι γαίης | βῇς πολυκωκύτους εἰς Ἀίδαο δόμους, cui loco magna similitudo est cum X 482 sq. νῦν δὲ σὺ μὲν Ἀίδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης | ἔρχεαι.[1]) contra Sol. 13, 37 νούσοισιν ὑπ᾽ ἀργαλέῃσι πιεσθῇ vis causalis statuenda est ut saepe apud Homerum, velut *N* 667 νούσῳ ὑπ᾽ ἀργαλέῃ φθίσθαι. item ὑπό τι de loco usurpatur exceptis Theogn. vv. 1373 ὑπὸ πᾶσαν | .. ἔρχεαι ἀγγελίην, quae verba, si quidem — sunt enim qui dubitent — sana sunt, 'ad nuntium' (auf die Botschaft hin) significare videntur.

### *f)* De reliquis rebus in praepositionum usu memorabilibus.

Adverbiorum vim, quam genuinam fuisse constat, praepositiones in elegearum reliquiis nusquam fere habent. sane duo extant loci, quos huc referre liceat, Sol. 4, 15 ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ᾽ ἐόντα et Tyrt. 11, 32 ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ καὶ κυνέην κυνέῃ. sed Solon ea verba ex *A* 70 hausit, ubi legitur ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα, Tyrtaeus cum alibi tum eo ipso loco, in quo scribendo animo eius vv. *N* 130 sq. φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκει προθελύμνῳ· | ἀσπὶς ἄρ᾽ ἀσπίδ᾽ ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ᾽ ἀνήρ obversati esse videntur, Homeri genus dicendi ita imitatus est, ut etiam in adhibendis voculis ἐν δέ, quamquam loco citato non traduntur, illum secutus esse videatur. tertium vero exemplum non extat; nam quod Bergk Theogn. 724 σὺν δ᾽ ἥβῃ γίνεται ἁρμοδία scripsit, id certo falsum est; cf. Sol. 24, unde haec petita sunt.

Satis multis autem locis poetae elegiaci tmesim, de qua iam exponere in animo est, admiserunt. quos iam secundum singulas praepositiones digestos enumerabo. ἀνά: Theogn. 887 κήρυκος ἀν᾽ οὖς ἔχε (*E* 798 ἂν δ᾽ ἴσχων τελαμῶνα). — ἀπό: Theogn. 883 τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας (*ϑ* 149, quo uno loco in voce ἀποσκεδαννύναι tmesis statuenda est, σκέδασον δ᾽ ἄπο κήδεα θυμοῦ), 767 τηλοῦ τε κακὰς ἀπὸ κῆρας ἀμῦναι (*Δ* 11 κῆρας ἀμῦνει, at *A* 67 ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι), 891 ἀπὸ μὲν Κήρινθος ὄλωλεν (cf. ex gr. *Θ* 90 ἀπὸ θυμὸν ὄλεσσεν), 1271 μαργοσύνης ἀπὸ μὲν νόον ὤλεσας ἐσθλόν (cf. ibid. 664, ubi codex *A* απο-

---

[1]) La Roche (cf. edit.) ὑπὸ cum substantivo δόμους coniungi vult; sed cum aliae res — in dativo propter sequens verbum movendi, cum similia exempla satis multa inveniantur, non est haerendum — tum Theognidis versus, ubi ὑπό nullo pacto ad accusativum δόμους referri potest, obstant, quominus illum sequamur.

*τοῦν ὤλεσε* praebet, grammatici alii aliud coniecerunt). — *διά*: Theogn. 511 *βαθὺν διὰ πόντον ἀνύσσας*, de quo versu ea conferas, quae in accusativo tractando (p. 140) dicta sunt (Hes. Op. 635 *πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας*, hymn. Apoll. Del. 108 *ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ*). — *εἰς*: Theogn. 311 *εἰς δὲ φέροι τὰ γελοῖα* (apud Homerum, quamquam *εἰς* in tmesi legitur, tamen nusquam *εἰς* — *φέρειν* extat). — *ἐκ*: Theogn. 1064 in notissima formula homerica *ἐξ ἔρον ἱέμενον*. — *ἐν*: Theogn. 869 *ἔν μοι ἔπειτα πέσοι* (*Δ* 134 *ἐν δ' ἔπεσε ζωστῆρι*). — *ἐπί*: Theogn. 349 sq. *ἐπί τ' ἐσθλὸς ὄροιτο | δαίμων* (*γ* 471 *ἐπὶ δ' ἀνέρες ἐσθλοὶ ὄροντο*, *Ψ* 112 *ἐπὶ δ' ἀνὴρ ἐσθλὸς ὀρώρει*, alia), 1357 *ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι κεῖται* (Hes. Op. 581 *ἐπὶ ζυγὰ βουσὶ τίθησιν* et hymn. Cer. 217 *τέτλαμεν ἄνθρωποι· ἐπὶ γὰρ ζυγὸς αὐχένι κεῖται*), Tyrt. 12, 17 *αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται* (*K* 99 *ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται*, Hes. Op. 264 *σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπὶ πάγχυ λάθεσθε*; cf. *κ* 236 *ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης*), Call. 3, 1 *ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται* (*Ω* 351 *ἐπὶ κνέφας ἤλυθε γαῖαν*), Archil. 3, 1 *οὔ τοι πόλλ' ἐπὶ τόξα τανύσσεται* (*Π* 567 *ἐπὶ νύκτ' ὀλοὴν τάνυσε κρατερῇ ὑσμίνῃ*), ibid. 9, 6 *ἐπὶ κρατερὴν τλημοσύνην ἔθεσαν* (*Β* 39 *θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεα*, *Σ* 317 *χεῖρας ἐπ' ἀνδροφόνους θέμενος στήθεσσιν ἑταίρου*), Theogn. 1188 *εἰ μὴ μοῖρ' ἐπὶ τέρμα βάλοι* (*δ* 440 *βάλεν δ' ἔπι δέρμα ἑκάστῳ*, *υ* 4 *ἐπὶ χλαῖναν βάλε κοιμηθέντι*), 973 *ἐπὶ γαῖα καλύψῃ* (Homerus et Hesiodus hoc verbo non utuntur, sed composito *κατακαλύπτειν*; cf. *Ξ* 114 *κατὰ γαῖα καλύπτει* et Hes. Op. 121, 140, 156 *αὐτὰρ ἐπειδὴ* (*ἐπεὶ καὶ*) *τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν*), 947 sq. *οὔτ' ἐπὶ δήμῳ | τρέψας οὔτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος*, 1011 sq. *καλὸν δ' ἐπὶ γῆρας ἐλέγχει | οὐλόμενον*. — *κατά*: Tyrt. 5, 7 *κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες* (*σ* 270 *τεὸν κατὰ δῶμα λιποῦσα*, *P* 91 *λίπω κάτα τεύχεα καλά*), Theogn. 671 *καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες* (*καταβάλλειν* etiam apud Homerum in tmesi legitur, sed non de velis deducendis usurpatur; cf. *ο* 496 *λύον ἱστία*, *Α* 433 *ἱστία μὲν στείλαντο*, quibus verbis opponuntur *ἀνά θ' ἱστία λευκὰ πέτασσαν* (*Α* 480), *ἀνά θ' ἱστία λεύκ' ἐρύσαντες* (*ι* 77)), 292 *νικήσασα δίκην γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει* (*Β* 699 *ἔχεν κάτα γαῖα μέλαινα*, *λ* 497 *οὕνεκά μιν κατὰ γῆρας ἔχει*), 680 *ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ* (*καταπίνειν* apud Homerum non extat, sed quater in Hesiodi Theogonia in tmesi de Saturno liberos et lapidem illum devorante dicitur), Tyrt. 10, 9 *κατὰ δ' ἀγλαὸν εἶδος ἐλέγχει* (Pind. Ol. VIII 25 *ἔργῳ τ' οὐ κατὰ εἶδος ἐλέγχων*), Archil. 9, 3 sq. *τοίους γὰρ κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης | ἔκλυσεν*. — *σύν*: Theogn. 192 *σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς* (*Ψ* 687 *σὺν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν*, Hes. Op. 179 *μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσι*).

Haec igitur certa tmesis exempla mihi quidem esse videntur. Pierson vero, qui Mus. Rhen. XI pp. 90—128, 260—292, 379—427 commentationem ‘Ueber die Tmesis der Präposition vom Verbum bei den griechischen Dichtern, insbesondere bei Dramatikern und Lyrikern’

inscriptam inseruit, praeterea tmesim his locis statuit: Sol. 4, 15, Theogn. 513, 589, 969, 1145, 1373. quocum Sitzler (cf. indicem editioni Theognideae adiectum) de versibus 589 et 969 consentit. idem Theogn. 821 cum Bergkio, ibid. 59 et 1113 solus tmesim statuit. quare facere non possum, quin de his locis pauca exponam. ac primum quidem, ut Theogn. 1145, ubi Pierson ex Schaeferi coniectura pro tradita lectione *καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων* scripsit *κατ' ἀ. μ. κ.*, et 1373sq. *ἀλλ' ὑπὸ πᾶσαν | αἰεὶ σπουδαίην ἔρχεαι ἀγγελίην*, cum sane sit, cur et *ὑπέρχεσθαι ἀγγελίην* et *ἔρχεσθαι ὑπ' ἀγγελίην* displiceat, silentio praeteream, Sol. 4, 15 *ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ' ἐόντα*, quem versum ex Iliade haustum esse supra dictum est, *σύν* adverbii instar est, cum vocabula *πρό* et *εἶναι* in unum verbum non coalescant; cf. C. A. I. Hoffmanni commentatio 'Die Tmesis in der Ilias' inscripta II p. 9 (progr. Ioannei Lueneburg. a. 1859). quod vero ad Theogn. 513 sq. adtinet, ubi traditur *νηός τοι πλευρῇσιν ὑπὸ ζυγὰ θήσομεν ἡμεῖς, | Κλεάρισθ', οἷ' ἔχομεν χοῖα διδοῦσι θεοί*, sane variae de eo loco prolatae sunt sententiae, sed equidem Schneidewinum recte de eo iudicasse puto (cf. Philol. XXVIIII pp. 664 sqq.), qui hanc Camerarii loci explicationem probavit: *ἐγὼ δ' ὅμως κατὰ τὰ τῆς νεὼς ἴκρια καὶ τῶν ἐρετῶν ζυγὰ, ἤγουν καθέδρας, ξένια παραθήσομαι.* iam ibid. 589 sq. hoc legitur: *τῷ δὲ κακῶς ποιεῦντι θεὸς περὶ πάντα τίθησιν | συντυχίην ἀγαθήν.* quo loco et Piersonium et Sitzlerum tmesim statuisse commemoratum est. sed cum nihil impediat, quominus *περὶ* ad adiectivum *πάντα* referamus — poetae elegiaci enim, ut supra demonstratum est, recentiorum scriptorum more praepositiones cum adiectivis coniungere non dubitant et *περὶ πάντα* etiam Sol. 27, 11 *τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρός* extat —, tmesis reicienda est. cui rei aliud quoque favet. versus enim illi, quod Pierson non curavit, Solonis sunt; nam Sol. 13, 69 sq. traditum est *τῷ δὲ κακῶς ἕρδοντι θεὸς περὶ πάντα δίδωσιν | συντυχίην ἀγαθήν.* cum autem *περιδιδόναι*, quod hic legitur, eam vim, quae requiritur, non habeat, *περί* cum voce *πάντα* non possumus non coniungere. similiter versus 969 sq. *ἔφθην σ' αἰνήσας πρίν σου κατὰ πάντα δαῆναι | ἤθεα* comparati sunt. sed hic Piersonii et Sitzleri sententia eo facilius refelli potest, quod verbum *καταδαῆναι* omnino non extat. quare ut supra verba *περὶ πάντα* ita hic *κατὰ πάντα* (cf. Thuc. IIII 81 *κατὰ πάντα ἀγαθός* et Plat. Tim. 30 d) coniungenda esse puto et, quantum ad sententiam enuntiati pertinet, ad versum 967 *τούτων δ' ἐκφαίνει πάντως χρόνος ἦθος ἑκάστου* revoco. item Theogn. 821, ubi vulgaris scriptura est *οἳ δ' ἀπογηράσκοντας ἀτιμάζουσι τοκῆας*, *ἀπὸ* ad *ἀτιμάζουσι* referre dubito. sane *ἀπογηράσκειν* apud recentiores tantum scriptores legitur, sed etiam *ἀπατιμάζειν* est rarissimum, cum uno Aeschyli loco inveniatur. ceterum addo Hartungium *καταγηράσκοντας* coniecisse et apud Hesiodum Op. 185 loco simili *αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμή-*

σουσι τοκῆας extare. si porro Sitzler Theogn. 59 (repetitus 1113), ubi ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες legitur, ἐπί ad γελᾶν pertinere vult, cur id statuatur nihil causae est, cum γελᾶν ἐπί τινι passim inveniatur.

His locis tractatis alii restant, de quibus Pierson, quamquam se omnium locorum rationem habuisse p. 410 dicit, non egit, dico Call. 3, 1, Tyrt. 5, 7 et 12, 17, Archil. 3, 1, Theogn. 292, 511, 671, 887, 1357. sed hi versus iam supra adlati excepto 1357 ita comparati sunt, ut alio modo explicari non possint. quare eos Piersonium fugisse puto. in versu 1357 autem (ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι κεῖται), ne quis ἐπ' αὐχένι coniungat, hoc impedit, quod interiecto substantivo, quod subiecti vice fungitur, praepositio a substantivo dirimi non potest; cf. Hoffmanni commentatio '*Ἀμφί* in der Ilias' inscripta pp. 12 sqq. (progr. Ioannei Lueneburg. a. 1857) et libri eius supra commemorati part. I pp. 3 sqq.

His rebus iam absolutis eo redeamus, unde digressi sumus, et in eos versus, ubi tmesis statuenda est, accuratius inquiramus. locos adlatos ita digessi, ut primos eos ponerem, qui ex carminibus epicis hausti sunt, his ea verba adiungerem, quae iam ante poetarum elegiacorum aetatem in tmesi leguntur neque tamen formulae speciem prae se ferunt, postrema ea adscriberem, quae in carminibus epicis aut cum eadem praepositione coniuncta iuveniuntur, ita tamen, ut in tmesi non legantur, aut nondum cum eadem praepositione componuntur. certae sane formulae paucae extant. sed multi inveniuntur loci, quibus simillimi in carminibus epicis leguntur. neque neglegendum est non pauca exempla in extrema versus sede, in qua pleraeque formulae legi solent, et in carminibus epicis et in elegeis extare, ut, cum versuum clausulae gravius ad aures accidant ideoque facilius in memoria haereant, saepius, quam pro certo adfirmari potest, illa ipsa carmina in causa fuisse potuerint, cur a poetis elegiacis praepositio in tmesi adhiberetur. propria autem haec tantum iis sunt: εἰσ-φέρειν Theogn. 311, ἐπ-ελέγχειν 1011, ἐπι-καλύπτειν 973, ἐπι-τρέπειν 947sq.,[1]) κατ-ελέγχειν Tyrt. 10, 9, κατα-κλύζειν Archil. 9, 3 sq. nam εἰσφέρειν, ἐπιτρέπειν, κατελέγχειν in carminibus epicis nusquam in tmesi leguntur, ἐπικαλύπτειν, ἐπελέγχειν, κατακλύζειν apud posteriores demum scriptores extant. sed praepositiones ipsae, quibuscum haec verba composita sunt, apud Homerum omnes in

[1]) Quamquam δήμῳ praepositionem ἐπί sequitur (ἐπὶ δήμῳ τρέψας), tamen cave, ne ad id substantivum ἐπί referas. nam τρέπειν non habet vim translatam concedendi, quae saepe inest in voce ἐπιτρέπειν, velut praeter hunc locum, ubi simili sensu (ἀνδράσι) πειθόμενος sequitur, *K* 79 οὐ μὲν ἐπέτρεπε γήραι (schol. V οὐκ ἐδίδου ἑαυτὸν τῷ γήρᾳ οὐδὲ ὑπετάττετο αὐτῷ, Hes. ὑπεχώρει), Plat. Leg. VII 802 b . . . ἐπιθυμίαις μὴ ἐπιτρέποντας vel, quo loco hanc ipsam ob causam invito Kruegero (Di. 68, 41, 2) tmesim statuo, Soph. Ant. 1107 δρᾶ νυν τάδ' ἐλθὼν μηδ' ἐπ' ἄλλοισιν τρέπε.

tmesi sunt. praeterea commemorandum est in elegeis praepositionem nusquam verbo postponi, id quod satis multis locis homericis conspicitur.

Nominibus autem praepositiones postponuntur his locis: *ἀμφί* Mimn. 1, 7 *αἰεί μιν φρένας ἀμφί*; *ἄνευ* Xenoph. 3, 2 *τυραννίης ἦσαν ἄνευ στυγερῆς*; *ἀπό* Mimn. 12, 8 *χῶρον ἀφ' Ἑσπερίδων*, Theogn. 35 *ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ'*, 447 *κεφαλῆς . . . ἄπ' ἄκρης*; *διά* Tyrt. 5, 2 *δν διά*, Theogn. 672 *νύκτα διὰ δνοφερήν*; *εἰς* Mimn. 12, 9 *γαῖαν ἐς Αἰθιόπων*, Sol. 4, 24 *γαῖαν ἐς ἀλλοδαπήν*, 19, 6 *πατρίδ' ἐς ἡμετέρην*, 36, 6 (trim.) *πατρίδ' εἰς θεόκτιτον*; *ἐκ* Sol. 4, 8 *ὕβριος ἐκ μεγάλης*, 9, 3 *ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων*; *ἐν* Sol. 7 *ἔργμασιν ἐν μεγάλοις*, Theogn. 239 sq. *εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ | ἐν πάσαις*; *ἕνεκα* semper exceptis Theogn. vv. 518 et 1202; *ἐπί* Mimn. 14, 9 *δηίων ἔπ'*, Sol. 19, 5 *οἰκισμῷ δ' ἔπι τῷδε*, Theogn. 86 *αἰσχρὸν χρῆμ' ἔπι*; *κατά* Theogn. 176 *πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων*, 213 *φίλους κάτα πάντας*; *παρά* Sol. 13, 51 *Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα*; *περί* Call. 1, 7 et Tyrt. 12, 34 et Theogn. 888 *γῆς πέρι*, Tyrt. 10, 13 *γῆς πέρι τῆσδε*, Theogn. 995 *σοφίης πέρι*, 1101 *ἐμεῦ πέρι*; *πρός* Theogn. 1071 *φίλους πρὸς πάντας* (ibid. 213, unde v. 1071 petitus est, *κατά* traditur); *ὑπό* Tyrt. 6, 2 *ἀναγκαίης ὕπο λυγρῆς*, Sol. 36, 8 (trim.) *ἀναγκαίης ὕπο*, 13, 37 *νούσοισιν ὑπ' ἀργαλέῃσι*, Theogn. 879 *κορυφῆς ὕπο Τηυγέτοιο*. quibus locis ii adnumerandi sunt, quibus *ἐκτός* et *ἔκτοσθεν*, quae voculae potius adverbiorum instar sunt, substantiva secuntur, Theogn. 744 *ἔργων ὅστις ἀνὴρ ἐκτὸς ἐὼν ἀδίκων*, 968 *γνώμης πολλὸν ἄρ' ἐκτός*, 1121 *κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων*.

Iam si accuratius in hos locos inquirimus, apud eos poetas, qui ante Theognidem sunt, multo saepius nomina praepositionibus praecedere videmus, quamquam qui est huius corporis versuum numerus ceterarum reliquiarum versuum summam longe superat. neque omnes loci pariter comparati sunt. undeviginti enim locis[1]) post praepositionem adiectivum, quod ad substantivum refertur, legitur, tribus genetivus, qui item adtributi munere fungitur. contra non plus duobus locis (Sol. 13, 51 et Theogn. 86) substantivo adtributum praemittitur. restant undecim, qui adtributo carent. quorum haec est condicio, ut Theogn. v. 35 *ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ'* [2]) excepto praepositio substantivum nulla particula interiecta ex-

---

1) Voculae *ἕνεκα* hic ratio non habetur.

2) Idem de Theognidis versu 968 *γνώμης πολλὸν ἄρ' ἐκτὸς ἔβην* valere non miraberis, cum eiusmodi verba, quae medium fere inter praepositiones et adverbia obtinent locum, liberiore modo poni possint. nullam autem excusationem habet, quod Bergk Theogn. 171 pro iis, quae sunt in libris: *θεοῖσιν ἐπικράτος Α*, *οἷς ἐστι κράτος* O, *οἷς ἐστὶ μέγα κράτος* ceteri, scripsit *θεοῖς εὔχου θεοῖς ἐστιν ἔπι κράτος*. nonne enim vel maxime in verbis *ἐστιν ἔπι* offendes, pro quibus *ἔπεστι* vel *ἔπι* requiritur? mendum igitur potius, cum praestantissimi codicis *Α* verba optime in hexametri numeros quadrent, in priore parte esse videtur, et fortasse scribendum est *θεοῖς, Κύρν', εὔχεο, θεοῖσιν ἔπι κράτος*; cf. hymn. Cer. 150 *οἷσιν ἔπεστι μέγα κράτος ἐνθάδε τιμῆς*.

cipiat. quodsi adiectivum praepositionem sequitur, substantivum praecedit, non solum particulae *(δέ, τέ)* interponuntur, sed etiam alia verba: *Κύρνε* Theogn. 176, *ἀμίαντον* 447, *παρέσσῃ* 239, *ἦσαν (ἄνευ)* Xenoph. 3, 2, *ὅστις ἀνήρ (ἐκτός)* Theogn. 744.

Praepositio, etiamsi substantivo praecedit, ita collocari solet, ut nullum verbum intercedat. non raro tamen particulae, a quibus enuntiatum incipere non potest, interponuntur, saepissime *δέ*, saepe *τέ*, paucis locis *μέν* et *γάρ*, *γέ* Sol. 2, 2, *τοί* Theogn. 1372, *γάρ τοι* 287.[1]) compluries vero eaedem particulae substantivum secuntur idque non solum, cum per metrum alio loco poni non possunt, velut Theogn. 417 *ἐς βάσανον δέ*, sed etiam alibi. alia vocabula non intercedunt; nam quod Theogn. 512 *ἐπ' οὐδὲν ἔχοντα* legitur, ea verba idem fere significant atque 'egenus'. aliter autem res se habet, si ad substantivum adtributum accedit. tum enim fit, ut substantivum longius a praepositione removeatur, si hanc adtributum excipit. conferas quaeso Theogn. 401sq. *μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος | ἔργμασιν ἀνθρώπων*, cui loco simillimus est Hes. Op. 694 *μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος*, nisi quod hic verbum *ἄριστος* aliud non sequitur, Sol. 4, 18 *εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην*, Mimn. 11, 4 *ἐπ' Ὠκεανοῦ καλὸν ἵκοντο ῥόον*, Sol. 4, 1 sq. *κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται | αἶσαν*.

Porro pro verbo substantivo cum praepositione coniuncto tres praepositiones adhibentur: *ἔνι*, *ἔπι*, *πάρα*. *ἔνι* Theogn. 530 legitur, *ἔπι* 66, 464, 607, 1212, 1214,[2]) ad quos locos Theogn. 171 *θεοῖσιν ἔπι κράτος* accedit, siquidem recte de versu eo iudicavi, *πάρα* Sol. 38, 5 (trim.), Theogn. 281, 1063.

## V. De verbis.

### *a)* De generibus verborum.

In elegeis nonnullae formae **activae** leguntur, pro quibus apud reliquos scriptores formae mediae legi solent. atque Theogn. 995 *δηρισάντοιν* traditur, quae forma rarissime invenitur, velut Theocr. XXV 82, Orph. Arg. 410; nam *δηρίεσθαι* praefertur, qua forma sola Homerus, apud quem etiam *δηριᾶσθαι* invenitur, usus est. idem de verbis *ἐρᾶν* et *πονεῖν* valet. et Homerus enim et Hesiodus semper *ἔρασθαι* et *πονεῖσθαι* dicunt, apud Theognidem saepe et *ἐρᾶν* et *ἔρασθαι*, *πονεῖν* 919, *πονεῖσθαι* 1359 extat. ad quos locos, si Bergk Mimn. 2, 1 sq. recte *ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυαν-*

---

[1]) Particulas quae in Homeri carminibus interiectae sunt, Kuehner Gr. gr. § 445 adnot. 4 a congessit.

[2]) In Bergkii editione *ἔπι* etiam Theogn. 609 *οὐδ' ἔπι καλόν* et 1329 *σοί τε διδοῦν ἔπι καλόν* ex ipsius coniectura, *ἔνι* 631 *ᾧτ' ἔνι* ex Emperii coniectura legitur, sed vix recte.

*ϑέος ὥρῃ* (libri *ὥρη*) | *ἔαρος, ὅτ᾽ αἶψ᾽ αὐγῇς αὔξεται ἠελίου* scripsit — et sane magnam ea coniectura probabilitatem habet, cum alterius enuntiati subiectum *φύλλα* sit — *φύειν* accedit, quae forma eadem vi instructa rarissime invenitur, velut *Z* 149 *ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει, ἡ δ᾽ ἀπολήγει* et Theocr. VII 75 *αἴτε (δρύες) φύοντι.*

Ut iam ad formas medias transeam, primum animadvertas in locutionibus ita comparatis, ut notio, quae inest in verbo quodam, circumscriptione exprimatur, Homerum formis activis uti, poetas elegiacos et eos scriptores, qui post hos fuerunt, medias usurpare solere. cf. *α* 116 *μνηστήρων τῶν μὲν σκέδασιν κατὰ δώματα ϑείη*, *ω* 484 sq. *ἡμεῖς δ᾽ αὖ παίδων τε κασιγνήτων τε φόνοιο* | *ἔκλησιν ϑέωμεν*, quibus locis inter alios opponas Sol. 13, 46 *φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν ϑέμενος* (Soph. Ant. 151 *τῶν νῦν ϑέσϑαι λησμοσύναν*), Tyrt. 12, 1 *ἐν λόγῳ ἄνδρα τιϑείμην*, ibid. 10, 17 *μέγαν ποιεῖσϑε (= αὐξάνετε)... ϑυμόν.* deinde Homerus semper *ἀμείβειν* dicit, ubi haec vox vim commutandi habet. contra in elegeis, in quibus haec una vis reperitur, *ἀμείβεσϑαι* legitur Sol. 2, 2 *πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος* et ibid. 27, 6 *χροιῆς ἄνϑος ἀμειβομένης*. item Homerus duobus locis exceptis (*B* 114, *I* 21 *νῦν δὲ κακὴν ἀπάτην βουλεύσατο)* semper *βουλεύειν* dicit, sive verbum id 'consilia agitare' sive 'meditari' significat. neque vero haec forma ab elegeis aliena est; nam non solum, ubi suadendi vel meditandi notio inest (Theogn. 1101 *ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι* et 1089 *εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακόν*), adhibetur, sed etiam duobus locis, quibus vis consultandi statuenda est, Phoc. 8, 1 *νυκτὸς βουλεύειν* et Theogn. 69 *βούλευε σὺν ἀνδρί.* sed ibid. 633 *βουλεύου δὶς καὶ τρίς* et 1052 *σῇ φρενὶ βούλευσαι* forma media tradita est. si porro Homerus sensu non vario *δίειν* et *δίεσϑαι*, *πειρᾶν* et *πειρᾶσϑαι*, *φάναι* et *φάσϑαι* dicit, in elegeis alterutra forma in usu esse solet. semper enim *πειρᾶσϑαι* legitur (*οἴω* et *οἴομαι* ab elegeis aliena sunt), semper *φάναι* excepto uno loco Xenoph. 6, 3 *φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσϑαι ἔπος*. ut igitur hac in re, ita etiam in alia poetae elegiaci magis sibi constant. Homerus enim saepe, ubi reliqui scriptores formis passivis utuntur, medias ponit: in elegeis eius usus unum extat exemplum Mimn. 14, 7, ubi ex certa Schneidewini coniectura (*εὖϑ᾽ ὅγ᾽ ἀνὰ προμάχους*) *σεύαιϑ᾽* (*σεύηϑ᾽ A*, *σεύεϑ᾽ ὅδ᾽* Schow.) restitutum est. restat unus locus, qui commemoratione dignus est, Theogn. 439 *οὗτος ἀνὴρ . . . πέδας χαλκεύεται αὐτῷ.* ubi formae mediae *χαλκεύεται*, quo magis res prematur — *πέδας χαλκεύεται* 'compedes sibi procudit', *πέδας χαλκεύεται αὐτῷ* 'sibi ipsi procudit' — adicitur dativus pronominis reflexivi, quod apud Homerum fieri Krueger Di. 52, 10, 5 negat. sed falso; vestigia enim usus eius extant, velut *β* 125 sq. *μέγα μὲν κλέος αὐτῇ* | *ποιεῖτ᾽.*

Pauca de genere passivo addenda sunt. Theogn. 94 *νοσφισϑεὶς δ᾽ ἄλλῃ γλῶσσαν ἵησι κακήν* legitur, ibid. 1291 *πατρὸς νοσφισϑεῖσα δόμων,*

ξανθῇ Ἀταλάντῃ. utroque igitur loco (tertius non extat) aoristum passivum habes, pro quo Homerus excepto λ 72 sq. μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν | νοσφισθείς, ubi νοσφισθείς eandem vim habet atque Theogn. 94, semper forma νοσφίσασθαι utitur eaque locis Theognidis versui 1291 simillimis, velut τ 579 νοσφισσαμένη τόδε δῶμα. contra hymni Cereris versus 92 νοσφισθεῖσα θεῶν ἀγορήν cum altero Theognidis versu consentit, nisi quod, ut supra commemoratum est, hic accusativus traditur. item Tyrt. 10, 31 sq. (= 11, 21 sq.) ἀλλά τις εὖ διαβὰς μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς legitur, apud Homerum Φ 241 sq. οὐδὲ πόδεσσιν | εἶχε στηρίξασθαι. quibuscum locis Theogn. 379 ἐπὶ σωφροσύνην τρεφθῇ conferri potest, pro qua forma apud Homerum semel (ο 80) τραφθῆναι, saepissime τραπέσθαι, quod etiam Archilochus 9, 8 dicit, invenitur.

*b)* De temporibus verborum.

Ut a tempore praesenti initium capiam, notissimum est satis multa verba vim perfecti habere posse. cuius usus etiam in elegeis exempla nonnulla extant. atque non solum ἥκειν (Theogn. 819), οἴχεσθαι (1297), φεύγειν (1290 (ὥς ποτέ φασιν) ... φεύγειν) reperiuntur, quae passim sic usurpantur, sed etiam θνήσκων Call. 1, 18 sq. λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρὸς | θνήσκοντος, ut Soph. Oed. R. 118 θνήσκουσι γὰρ πλὴν εἷς τις et Herod. IIII 190 θάπτουσι δὲ τοὺς ἀποθνήσκοντας οἱ νομάδες κατάπερ οἱ Ἕλληνες; ceterum cf. Bergkii adnot.

Imperfectum nonnumquam respectis aliis rebus, quae ad tempus praeteritum pertinent, usurpatur, etsi res per praesens etiam tempus durat; cf. Krueger Gr. gr. 53, 2, 4. quo spectat Theogn. 787 sq. ἀλλ' οὔτις μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων· | οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης. similiter comparati sunt duo alii loci, ubi enuntiata relativa ad exemplum eorum conformata sunt, a quibus pendent, 665 sq. εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι (de hae protasi cf. Bergkii nota), ..., οἷά περ ᾔδη, | οὐκ ἂν ἀνιώμην et 905 sqq. εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου τέλος ἦν, ὁπόσον τις | ἤμελλ' ἐκτελέσας εἰς Ἀίδαο περᾶν, | εἰκὸς ἂν ἦν, ὃς μὲν πλείω χρόνον αἶσαν ἔμιμνεν, | φείδεσθαι μᾶλλον τοῦτον ὃν εἶχε βίον. porro de re, quam quis suscepit neque tamen peregit, imperfectum semel usurpatur, Theogn. 1290 ἔργ' ἀτέλεστα τέλει, ut iam apud Homerum, velut λ 322 sqq. ἥν ποτε Θησεὺς | ... | ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο, πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα.

Iam ut de aoristo agamus, id quod natura carminum horum fert, saepissime is in sententiis generalibus adhibetur. cuius rei ut luculentissimum adferam exemplum, Theogn. 661 sqq. legitur: καὶ πρῆξαι μέντοι τι· καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο, | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ· καί τε πενιχρὸς ἀνὴρ | αἶψα μάλ' ἐπλούτησε· καὶ ὃς μάλα πολλὰ πέπαται, | ἐξαπίνης πάντ' οὖν ὤλεσε νυκτὶ μιῇ. | καὶ σώφρων ἥμαρτε, καὶ ἄφρονι πολλάκι δόξα | ἕσπετο, καὶ τιμῆς

*καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν.* saepe in eiusmodi enuntiatis tempora ita variant, ut modo aoristus modo praesens inveniatur, velut Sol. 13, 67 sqq. *ἀλλ' ὁ μὲν εὖ ἔρδειν πειρώμενος οὐ προνοήσας | εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσεν, | τῷ δὲ κακῶς ἔρδοντι θεὸς περὶ πάντα δίδωσιν | συντυχίην ἀγαθήν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης,* Theogn. 225 sq. *ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐθέλει κακοκερδείῃσιν ἕπεσθαι, | τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἄπιστοι ἅδον.* sed non solum in enuntiatis primariis, verum etiam in enuntiatis relativis aoristus sic adhibitus est et in altero membro enuntiati bipertiti, quod membrum etiam in elegeis enuntiati primarii instar esse solet, ut Sol. 4, 15 sq. *ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ' ἐόντα, | τῷ δὲ χρόνῳ πάντως ἦλθ' ἀποτισομένη,* et in aliis, ut Theogn. 195 sq. *ἐπεὶ κρατερή μιν ἀνάγκη | ἐντύει, ἥ τ' ἀνδρὸς τλήμονα θῆκε νόον* et Sol. 4, 20 *ὃς πολλῶν ἐρατὴν ὤλεσεν ἡλικίην.* item Homeri more in similitudine illa, quae apud Sol. 13, 17 sqq. extat, aoristus gnomicus legitur.

Ut iam de perfecto pauca addam, extant formae duae, quae, quamquam praesentis temporis forma non deest, prorsus in huius vim abierunt: *κέκηδα (κήδομαι)* Tyrt. 12, 28, quo uno loco hoc adhibitum videtur, *ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις* et *λέληθα (λήθω)* Sol. 13, 27 *αἰεὶ δ' οὔ ἑ λέληθε,* quo loco primum *λέληθα* invenitur, et Theogn. 121 *ἐνὶ στήθεσσι λελήθῃ.* ex numero autem eorum verborum, quae ita comparata sunt, ut perfectum aliam vim habeat atque praesens, *πεπᾶσθαι* adferendum est, quippe quod primum in elegeis inveniatur, Sol. 13, 7 sq. *ἀδικῶς δὲ πεπᾶσθαι | οὐκ ἐθέλω,* quocum loco Theogn. 663 *καὶ ὃς μάλα πολλὰ πέπαται*[1]) et Pind. Pyth. VIII 73 *εἰ γάρ τις ἐσλὰ πέπαται* conferas.

## c) De modis.

### α) *De modorum in enuntiatis primariis usu.*

Paucis verbis complecti possumus, quae de modorum in enuntiatis primariis usu dicenda sunt. vix enim quicquam est, quo poetae elegiaci ab iis scriptoribus, qui post illos floruerunt, differant, et si multa antiquissimis carminibus epicis propria fere sunt, eorum in elegeis nullum exemplum invenitur. neque igitur ad indicativum futuri umquam particula *κέν (ἄν)* accedit[2]) neque coniunctivus sive adiecta eadem particula sive omissa ita usurpatur, ut prope ad vim futuri accedat, velut *B* 488 *πληθὺν*

[1]) Apud Theogn. 146 etiam aoristus *πασάμενος* legitur.

[2]) Bergk Theogn. 877 neglecta codicis *A* scriptura, quae est *τάχ' αὖ*, secutus reliquos libros *τάχ' ἄν τινες ἄλλοι ἔσονται* scripsit. quod probare dubito. falso idem Theogn. 641 *οὔ τοί κ' εἰδήσεις* coniecit. nam per optativum, qui in proximo versu legitur (*εἰ μὴ σπουδαίου πρήγματος ἀντιτύχοις),* indicativus futuri ferri non potest neque in tradita scriptura *οὔ τοι κ' εἰδείης οὔτ' εὔνουν οὔτε τοι* (libri *τὸν*) *ἐχθρόν* ulla inest offensio.

δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω vel hymn. Cer. 149 ταῦτα δέ τοι σαφέως ὑποθήσομαι ἠδ' ὀνομήνω. nam quod Theogn. 1133 sq. κακοῦ καταπαύσομεν ἀρχήν, | ζητῶμεν δ' ἕλκει φάρμακα φυομένῳ legitur, et hic et 505 sq. ἀλλ' ἄγ' ἀναστὰς | πειρηθῶ, μή πως καὶ πόδας οἶνος ἔχει in coniunctivo adhortandi vis inest. ceterum hoc loco primam personam numeri singularis, quae etiam apud scriptores atticos invenitur (cf. Krueger Gr. gr. 54, 2, 1) usurpatam videmus adiectis particulis ἀλλ' ἄγε, quae item Archil. 4, 1, ut Theogn. 829 ἀλλ' ἄγε δή et multis locis ἀλλά, imperativo praemittuntur. pro quibus neque Homerus neque poetae elegiaci umquam φέρε (δή) usurpant.

Iam optativus, ubicumque legitur particula κέν (ἄν) non accedente, aut eius est, qui quid optat, aut eius, qui se devovet. illuc autem, ut tales locos omittam, qualis est Theogn. 979 μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ, spectant Theogn. 731 sq. Ζεῦ πάτερ, εἴθε γένοιτο θεοῖς φίλα τοῖς μὲν ἀλιτροῖς | ὕβριν ἀδεῖν, καί σφιν τοῦτο γένοιτο φίλον, Mimn. 6, 1 sq. αἲ γὰρ ἄτερ νούσων τε καὶ ἀργαλέων μελεδωνῶν | ἑξηκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου, Theogn. 894 ὡς δὴ Κυψελιδέων Ζεὺς ὀλέσειε γένος, quibus locis optativo particulae variae praecedunt, quae ab Homero quoque sic usurpantur. huc referendi sunt Mimn. 1, 2 τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι et Theogn. 343 sq. τεθναίην δ', εἰ μή τι κακῶν ἄμπαυμα μεριμνέων | εὑροίμην. pauci relinquuntur loci, quibus, quamquam optandi vis abest, optativus legitur non addita vocula ἄν (κέν), quae in eiusmodi enuntiatis exceptis Homeri carminibus poni solet, Theogn. 1187 sq. οὔτις ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι οὐδὲ βαρεῖαν | δυστυχίην, εἰ μὴ μοῖρ' ἐπὶ τέρμα βάλοι,[1]) quae verba haec excipiunt: οὐδ' ἂν δυσφροσύνας . . . προφύγοι, ibid. 927 τὰ χρήματα πάντ' ἀποδραίη (praecedit οὔτ' ἂν . . . τελέοις); cf. ibid. 125, ubi optimi libri οὐδὲ γὰρ (εἰδείης) praebent, deteriores, quibuscum Aristoteles (Eth. Eudem. VII 2) conspirat, οὐ γὰρ ἄν.

*β) De modorum in enuntiatis secundariis usu.*

Ut ab iis enuntiatis, in quibus adfirmandi vis inest, initium capiatur, tres leguntur coniunctiones, quae omnes a pronomine relativo originem ducunt, ὡς, οὕνεκα, ὅτι. ex quibus ὡς reliquis saepius adhibetur (Sol. 4, 32, Theogn. 66, 282, 718, 1248, 1322), οὕνεκα, quod in Iliade tantum Λ 21, paucis locis Odyssiae, hymn. Apoll. Pyth. 198 eandem notionem habet, Theogn. 671 et 854, ὅτι (nusquam ὅ), quae particula in elegeis omnino est rarissima, tantum Theogn. 1305. verba ipsa autem, a quibus enuntiata ea pendent, sunt γιγνώσκειν (Theogn. 717 γνώμην καταθέσθαι), εἰδέναι, ἡγεῖ-

[1]) Hermann pro οὔτις coniecit οὐκ ἄν, Herwerden pro verbis ἄποινα διδοὺς scribere voluit ἄποιν' ἂν δούς; sed recte Bergkium scripturae traditae patronum extitisse puto, praesertim cum paulo infra ἄν sequatur.

σθαι (Theogn. 282), διδάσκειν (Sol. 4, 31). quod autem ad modos adtinet, semper indicativus legitur, qui Theogn. 1305 sq. θυμῷ γνούς, ὅτι . . . ἄνθος | ὠκύτερον σταδίου supplendus est.

His pauca de enuntiatis interrogativis addamus. si eorum locorum, quibus pronomina vel adverbia interrogativa, quae sunt ὅστις, quod Theogn. 912 (δύ' εἰσὶ πρόσθεν ὁδοί μοι·) φροντίζω τούτων ἥντιν' ἴω προτέρην pro ὁπότερος usurpatur, ὅπως, alia, ratio non habetur, perpauca restant exempla, quae a particulis interrogativis incipiunt; neque enim umquam εἰ invenitur, sed tantum μή Theogn. 506, neque in enuntiatis bipertitis πότερον — ἤ, sed εἴτε — εἴτε Theogn. 136 et ibid. 913 sq. ἤ — ἤ.

Ut ad ea enuntiata, in quibus causae significatio inest, transeam, hae coniunctiones in usu sunt: ἐπεί, ὅτι, οὕνεκα. ex quibus tantum ἐπεί saepe legitur atque ita semper, ut uno loco excepto, qui apud Theognidem 1319 extat neque tamen huius poetae est, enuntiato primario postponatur. particularum vero earum, quae apud alios scriptores saepe accedunt (cf. Zycha Mel. Vind. VII pp. 112 sqq.), apud poetas elegiacos nulla adiecta invenitur praeter Xenoph. 6, 4, ubi ἐπεὶ ἤ extat. ὅτι autem, quam coniunctionem in elegeis rarissime adhibitam esse supra dictum est, Sol. 20, 2 et Theogn. 1200 traditur, οὕνεκα Theogn. 1349. his autem locis coniunctiones ὅτι et οὕνεκα a verbis, quibus motus quidam animi significatur, pendent, quibuscum similiter etiam εἰ coniungitur Sol. 32, 1 sqq. (tetram.) εἰ δὲ γῆς ἐφεισάμην | . . . | οὐδὲν αἰδεῦμαι, ibid. 11, 1 sq. εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα, | μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε. hic usus voculae εἰ, quamquam saepius apud Atticos reperitur, ab Homeri carminibus alienus est. iam si de modis ipsis quaeritur, omnibus locis, quibus eae coniunctiones inveniuntur, indicativus legitur.

Enuntiata finalia, de quibus Ph. Weberi libri qui 'Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze' inscribitur I pp. 72 sqq. conferas, in elegeis perpauca inveniuntur. ex quibus nonnulla quam maxime memorabilia sunt. atque ut de coniunctionibus ipsis pauca praemittam, et apud Homerum et in elegeis particula ὄφρα, cuius propria vis est temporalis quaeque in enuntiatis finalibus paulatim ita reliquis particulis cessit, ut apud poetas atticos omnino evanesceret, reliquis usitatior est. legitur enim ea Theogn. 546, 565, 885, 1121. contra ἵνα tantum Theogn. 776 extat. quod si enuntiata finalia sunt negativa, Homerus cum reliquas coniunctiones tum ὄφρα rarissime — in Odyssia ὄφρα μή omnino non invenitur — cum voce μή coniungit, sed longe plurimis locis vocula μή sola adhibita enuntiatum finale primario non tam subiungit quam adiungit. idem de elegeis valet; nam semel (Theogn. 546) ὄφρα μή extat, reliquis locis μή, Sol. 42, 2 (μέλῃ), Phoc. 16, 2, Theogn. 76, 1307. quibus locis omnibus, cum in enuntiatis primariis — Theogn. 546 enuntiatum, a quo ὄφρα μή

pendet, intercidit — aut praesens legatur aut (Theogn. 1307) imperativus aoristi, coniunctivus expectatur, qui re vera extat exceptis Theogn. vv. 885 et 1121, ubi adtractione adhibita optativus invenitur, et eiusdem vv. 1306 sqq., ubi, quod est rarissimum et ne apud Homerum quidem (cf. Ph. Weber l. c. p. 59) plus duobus locis (Υ 300 sq. et ω 543 sq.) usitatum, post vocem *μή* indicativus futuri legitur: *τοῦτο συνεὶς χάλασον | δεσμοῦ, μή ποτε καὶ σὺ βιήσεαι, ὕβριμε παίδων, | Κυπρογενοῦς δ' ἔργων ἀντιάσεις χαλεπῶν.*

Haec igitur sunt enuntiata proprie finalia. a quibus, quod ad modos adtinet, et coniunctivum vocula *ἄν* (*κέν*) accedente et optativum eadem particula adiecta, quod ad coniunctiones pertinet, *ὡς* et *ὅπως*, quarum haec perraro apud Homerum, nusquam apud Hesiodum neque in hymnis homericis vim finalem habet, sed paulatim demum (cf. Hippon. 85, 3, Anacr. 63, 2, Pind. Nem. III 62) eam nacta est, abesse vidimus. accedit unus locus, quo vis non proprie finalis statuenda est, Sol. 13, 37 sq. *χὤστις μὲν νούσοισιν ὑπ' ἀργαλέῃσι πιεσθῇ, | ὡς ὑγιὴς ἔσται, τοῦτο κατεφράσατο.* qui versus duabus de causis memorabilis est. etenim, si quidem hymn. Ven. vv. 276 sq. interpolati sunt, hic primum enuntiatum secundarium primario praecedit, et primum in eiusmodi enuntiato non proprie finali indicativus futuri usurpatus est.

Ex iis enuntiatis, quae a verbis timendi pendent, unum memorabile est, Theogn. 541 sq. *δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαΐδη, ὕβρις, | ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὄλεσεν.* hic enim ex *ὄλεσεν* supplendum est *ὀλέσῃ*, ut ibid. 859, ubi *ἤν δέ τί μοί ποθεν ἐσθλόν, ἃ πανράκι γίνεται ἀνδρί* legitur, *γένηται* ex *γίνεται.* reliqui vero loci ita comparati sunt, ut a formis praesentis temporis coniunctivus pendeat.

Venimus ad enuntiata condicionalia tractanda. ac primum quidem constat apud Homerum saepe a particula *εἰ* incipere enuntiatum, quo non condicio, sed quod quis optat exprimatur; cf. L. Langii commentatio 'Der homerische Gebrauch der Partikel *εἰ*' inscripta pp. 325 sqq. saepius autem quam *εἰ* in Iliade leguntur *αἲ γάρ, εἰ γάρ, αἴθε, εἴθε,* eaque semper in Odyssia, ubi *εἰ* sic usurpatum non invenitur. neque huius usus exempla in elegeis extant, sed, id quod supra vidimus, *αἲ γάρ* et *εἴθε* adhibentur. porro apud Homerum, etiamsi apodosis sequitur, saepe enuntiata, quae a particula *εἰ* incipiunt, non tam condicionem quam id, quod quis optat, significant. quo in primis ea exempla referenda sunt, in quorum apodosi *τῷ κεν* legitur, veluti ι 456 sqq. *εἰ δὴ ὁμοφρονέοις ποτιφωνήεις τε γένοιο, | εἰπεῖν, ὅππῃ κεῖνος ἐμὸν μένος ἠλασκάζει· | τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλῃ | θεινομένου ῥαίοιτο . . .* sed tales etiam locos apud poetas elegiacos frustra quaeras. nam ubicumque *εἰ* legitur, sententia est vere condicionalis.

Propius ad eiusmodi locos ea enuntiata accedunt, ubi *εἰ* cum optativo coniungitur, praesertim si enuntiatum secundarium praecedit, velut Xenoph. 2, 1 sqq. *ἀλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο | ἢ πενταθλεύων, ἔνθα Διὸς τέμενος | πὰρ Πίσαο ῥοῇς ἐν Ὀλυμπίῃ, εἴτε παλαίων | ἢ καὶ πυκτοσύνην ἀλγινόεσσαν ἔχων, | εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον, ὃ παγκράτιον καλέουσιν, | ἀστοῖσίν κ' εἴη κυδρότερος προσορᾶν*, in quo longo verborum ambitu particularum variatio memorabilis est. de reliquis autem locis, in quibus optativus legitur, non est cur agatur, nisi quod Theogn. 1177, si verba tradita *εἴ κ' εἴης ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός* genuina sunt, *κέ* accedit, ut saepe apud Homerum, de quo cf. Naegelsbach l. c. adn. ad *Α* 59 et exc. VIII; qui ceteroquin de ea re sententiam impeditissimam protulit talem condicionem ab alia condicione supplenda pendere ratus. cf. etiam Hes. fr. CCXVII (Goettl.) *εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.* iam pauca de apodosi adicienda sunt. in qua optativus cum particulis *ἄν, κέν* coniunctus esse solet. sicubi eae particulae desunt, optativus optantis est exceptis Theogn. vv. 125, 927, 1187, de quibus p. 178 actum est. praeterea paucis locis, si res postulat, indicativus invenitur, velut Theogn. 769 sq. *χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν | εἰδείη, σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν*, quod verba ea etiam omisso enuntiato condicionali vim suam obtinent.

Coniunctivus in enuntiatis condicionalibus apud poetas elegiacos tam saepe fere quam apud Homerum ipsum particulis *ἄν, κέν* non adiectis legitur. sunt autem loci hi: Tyrt. 12, 35, Sol. 13, 29, Theogn. 93, 121, 199,[1]) 321. accedit Sol. 4, 30, ubi *εἰ καὶ* extat, et praeterea huc referenda sunt duo enuntiata, quae a verbis *οὐδ'* (*μηδ'*) *εἰ* incipiunt, Call. 1, 13 *οὐδ' εἰ προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων*[2]) et Theogn. 285. restat unus locus, quo invito Bergkio coniunctivum scribendum esse puto, Theogn. 627 sq. *αἰσχρόν τοι μεθύοντα παρ' ἀνδράσι νήφοσι μεῖναι, αἰσχρὸν δ', εἰ νήφων πὰρ μεθύουσι μένῃ.* Bergk enim codicem *f* secutus (*Α μένει* praebet) *μένοι* scripsit; sed neque ex hac scriptura, quae etiam per se displicet, neque ex indicativo *μένει* tertia scriptura *μένῃ*, quae apud Stobaeum et in codice Vindobonensi extat, explicari potest. quae cum ita sint et *εἰ μένῃ* in sententia generali suum habeat locum, hoc genuinum esse puto. de quibus locis omnibus hoc memorandum est nusquam in apodosi futurum

---

[1]) De forma correpta coniunctivi (*κτήσεται*) — locus enim hic est: *εἰ δ' ἀδίκως παρὰ καιρὸν ἀνὴρ . . . | κτήσεται . . . | αὐτίκα μέν τι φέρειν κέρδος δοκεῖ* . . — cf. Mimn. 2, 9 et 3, 1 (*παραμείψεται*).

[2]) Brunck pro *εἰ* scribi voluit *ἦν*. at *οὐδ' ἤν* apud poetas elegiacos nusquam invenitur, apud Homerum est rarissimum. quod si Spitzner ad *Υ* 101 adnotat voculas *οὐδ' εἰ* nusquam sequi coniunctivum, legitur tamen ille *α* 204, et praeterea *καὶ εἰ*, quae particulae verbis *οὐδ' εἰ* respondent, *π* 98 et 116 cum coniunctivo coniunguntur.

inveniri, sed semper indicativum praesentis aut imperativum (Theogn. 285) aut aoristum gnomicum.[1]) cuius rei causa haec est, quod sententiae illae generales sunt. idem de plerisque locis valet, quibus *ἤν*, pro qua particula neque *ἐάν* neque *εἰ ἄν* neque *εἴ κεν* umquam tradita sunt, legitur, veluti Sol. 12, 1, Theogn. 211, 697. duobus locis particulae *εἰ μέν* et *ἢν δέ* inter se respondent, Theogn. 857 sqq. *τῶν δὲ φίλων εἰ μέν τις ὁρᾷ μέ τι δειλὸν ἔχοντα, | αὐχέν᾽ ἀποστρέψας οὐδ᾽ ἐσορᾶν ἐθέλει· | ἢν δέ τί μοί ποθεν ἐσθλόν, ἃ παυράκι γίνεται ἀνδρί, | πολλοὺς ἀσπασμοὺς καὶ φιλότητας ἔχω*, et 929 sq. *εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι, | παῦροι, κοὐκέθ᾽ ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.*[2]) porro *ἤν τε — ἤν τε*, quod ab Homeri carminibus alienum est, Theogn. 379 invenitur, *ἢν μέν — ἢν δέ* ibid. 1355.

Iam paucis verbis ea enuntiata condicionalia perstringenda sunt, ubi *εἰ* ad indicativum accedit. ac primum quidem, ut ab iis initium sumam, quae vim realem habent, in protasi semper fere est indicativus praesentis aut futuri. aoristi utendi semel occasio data erat, Sol. 32, 1 sqq. (tetram.) *εἰ δὲ γῆς ἐφεισάμην | πατρίδος, . . ., | οὐδὲν αἰδεῦμαι*, quo loco, ut p. 179 commemoratum est, *εἰ* prope ad coniunctiones causales accedit, perfecti Sol. 11, 1 sq. *εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ . . ., | μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε*, de quo loco idem valet. quod autem ad ea enuntiata pertinet, ubi indicativus praesentis legitur, nihil fere memorabile est, nisi quod Sol. 13, 41 copula *ἐστὶν* supplenda est. restant igitur ea enuntiata, in quibus futurum extat, Sol. 20, 1, Theogn. 871 sq., 1280, 1332 sq., quibus locis tempus futurum ad res, quas quis certo fore confidit, significandas adhibitum est. ceterum cum Theogn. vv. 869 sqq. *ἔν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς . . ., | εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω οἵ με φιλεῦσιν, | τοῖς δ᾽ ἐχθροῖς ἀνίη καὶ μέγα πῆμ᾽ ἔσομαι*, quae verba eius sunt, qui se devovet, conferri possunt *B* vv. 259 sqq. *μηκέτ᾽ ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη, | μηδ᾽ ἔτι Τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλημένος εἴην, | εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω, . . ., | αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω.* apodosis variae sunt formae. modo enim indicativus praesentis legitur, modo imperativus, Theogn. 869 et 958 optativus, qui est optantis aliquid, indicativus futuri bis ante verba *οὐδ᾽ εἰ* (Theogn. 1023 sq. et 1328). restant enuntiata irrealia Sol. 37, 11 sqq. (trim.), Theogn. 432 sqq., 435 sq., 453 sqq., 905 sqq.; adde 667 sq. *εἰ . . ἔχοιμι, | οὐκ ἂν ἀνιώμην.*

---

[1]) Theogn. 123 aoristus *ποίησε* non est gnomicus, sed verba *τοῦτο θεὸς κιβδηλότατον ποίησε* idem fere significant atque *τοῦτο κιβδηλότατόν ἐστιν, ὃ ἐποίησεν.*

[2]) *A ἢν . . . πλουτῇς* exhibet, sed recte Bergk reliquorum codicum scripturam praetulit, cum dubium non sit, quin ea lectio ex interpolatione orta sit.

Ab enuntiatis condicionalibus enuntiata concessiva seiungi non possunt; nam in iis eaedem particulae adhibentur, nisi quod aut *καί* aut *οὐδέ* accedit. sed casu factum est, ut *καὶ εἰ* nusquam extet; *εἰ καί* vero Sol. 4, 30 cum coniunctivo coniunctum esse supra vidimus. quare hoc tantum reliquum est, ut de usu verborum *οὐδ' εἰ* exponatur, de quibus, quantum ad Homerum pertinet, L. Langium l. c. pp. 373 sqq. et pp. 469 sqq. et Spitzneri adn. ad Υ 101 conferas. in universum igitur poetae elegiaci cum Homero consentiunt, sed hac re differunt ab illo, quod neque *οὐδ' ἤν* neque *οὐδ' εἴ κεν* adhibent, sed *οὐδ' εἰ (μηδ' εἰ)*, id quod iam supra dictum est. praeterea commemorandum est enuntiata primaria in elegeis semper praecedere.

Haec fere de usu coniunctionis *εἰ* dicenda sunt. nam quod hic illic *εἰ* a verbis, qualia sunt *θαυμάζειν*, *μεγαίρειν*, pendet, quodque in enuntiatis interrogativis id nusquam legitur, harum rerum iam supra mentio facta est. unus sane locus non est praetermittendus, Tyrt. 10, 11 sqq. *εἰ δ' οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη | γίγνεται, . . ., | θυμῷ γῆς περὶ τῆσδε μαχώμεθα καὶ περὶ παίδων | θνήσκωμεν . . .*; hic enim ut post verba, quae sunt *θαυμάζειν*, *μεγαίρειν*, paene in vim causalem *εἰ* abiit. qui usus saepe apud scriptores atticos invenitur, quamquam illi *εἴ γε*, *εἰ δή*, similia praeferre solent, neque a Homeri carminibus plane alienus est; similem enim vim *εἰ δή* Α 59 sqq. habet: *Ἀτρείδη, νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας οἴω | ἂψ ἀπονοστήσειν, εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν, | εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς*. hactenus de singulis locis. vidimus aliis rebus poetas elegiacos cum Homero consentire, aliis ab eo discrepare. illuc spectat, quod saepe ut Homerus *εἰ* cum coniunctivo coniungunt particula *ἄν* non adiecta. qui usus, si versuum numerum respicis, apud eos frequentior adeo est, cum tot fere loci extent quot apud Homerum. quod ad hoc adtinet, apud poetas elegiacos enuntiata omnia, quae a particula *εἰ* incipiunt, secundaria sunt, apud Homerum in primis in Iliade haud raro non tam condicionem quam id, quod quis optat, significant. praeterea multas particulas, quae ab Homero saepe voculae *εἰ* adduntur, velut *πέρ* (excepto Xenoph. v. 7, 4), *γέ*, *δή*, apud poetas elegiacos frustra quaeras. adde quod nusquam *εἰ ἄν* et *εἴ κεν*[1]) cum coniunctivo coniunguntur quodque apud Solonem, ut saepe apud Atticos, bis *εἰ* a verbis, quibus animi quidam motus significatur, pendet, nusquam apud Homerum.

Enuntiata relativa vocibus *ὅς*, *ὅστις*, *ὅστε* inducuntur. ad quas eae formae pronominis *ὁ*, *ἡ*, *τό* accedunt, quae a littera *τ* incipiunt, et *ὅτις* Theogn. 676. ut iam de modorum usu exponam, longe plurimis locis

[1]) Etiam in apodosi *κέν* rarissimum est, cum *ἄν* adhiberi soleat. sed illud quater apud Xenoph. 2, 6 sqq. in longo verborum ambitu, praeterea apud Theognidem 641, 996, 1178 legitur; accedit eiusdem v. 645, quo loco pro protasi participium adhibitum est.

indicativus legitur atque non solum post ὅς, a quo pronomine usus earum formarum voculae ὁ, quarum prima littera τ est, non differt, et ὅστε, cum haec vocabula semper fere ad certa quaedam nomina, quae accuratius definiuntur, referantur, sed etiam post ὅστις, quod in universum dictum est. de singulis vero locis haec quae adnotentur digna sunt. Xenoph. 2, 17 *οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν, τό πέρ ἐστι πρότιμον*, Theogn. 859 *ἢν δέ τί μοί ποθεν ἐσθλόν, ἃ παυράκι γίνεται ἀνδρί*, ibid. 909 *νῦν δ' οὐκ ἔστιν, ὃ δὴ καὶ ἐμοὶ μέγα πένθος ὄρωρεν* enuntiata relativa non ad singula verba, sed ad totam sententiam pertinent. porro Theogn. 237 sq. *σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον | πωτήσῃ καὶ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος* vis finalis inest, saepe vis consecutiva, veluti ibid. 163 sq. *εἰσὶν δ', οἳ βουλῇ τ' ἀγαθῇ καὶ δαίμονι δειλῷ | μοχθίζουσι, τέλος δ' ἔργμασιν οὐχ ἕπεται*, quo uno loco *εἰσίν* ita usurpatur, ut nomen non accedat, multisque aliis locis plerumque ita comparatis, ut enuntiatum primarium sit negativum; cf. ex. gr. Theogn. 415 sq. *οὐδέν' ὁμοῖον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν | πιστὸν ἑταῖρον, ὅτῳ μή τις ἔνεστι δόλος*, 430 sq. *οὐδείς πω τοῦτό γ' ἐπεφράσατο, | ᾧ τις σώφρον' ἔθηκε τὸν ἄφρονα κἀκ κακοῦ ἐσθλόν.*

Ea autem enuntiata relativa, in quibus coniunctivus legitur, iis enuntiatis condicionalibus, in quibus *εἰ* vel *ἤν* cum coniunctivo coniunguntur, respondent. quod optime ex his locis adparet: Tyrt. 12, 15 sqq. (vv. 15 et 16 repetiti sunt Theogn. 1005 sq.) *ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ, | ὅστις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ | νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται*, Theogn. 609 *οὐδέ τι καλόν, ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ*, 743 sqq. *καὶ τοῦτ', ἀθανάτων βασιλεῦ, πῶς ἐστι δίκαιον, | ἔργων ὅστις ἀνὴρ ἐκτὸς ἐὼν ἀδίκων, | μή τιν' ὑπερβασίην κατέχων μηδ' ὅρκον ἀλιτρόν, | ἀλλὰ δίκαιος ἐὼν μὴ τὰ δίκαια πάθῃ*; quibus locis ὅστις idem valet atque *εἴ τις*. ut autem saepe enuntiata condicionalia particula *ἄν (κέν)* carere vidimus, ita in eiusmodi enuntiatis relativis passim solus coniunctivus extat isque omnibus locis, quibus ὅστε legitur (Theogn. 466, 737, 395), post ὅς Sol. 13, 9 et 11 et 55, Theogn. 296, 973, 405, quo loco extremo, qui est *καί οἱ ἔθηκε δοκεῖν, ἃ μὲν ᾖ κακά, ταῦτ' ἀγάθ' εἶναι | εὐμαρέως, ἃ δ' ἂν ᾖ χρήσιμα, ταῦτα κακά*, oratio variat, post ὁ Theogn. 216, post ὅστις Tyrt. 12, 16 et 17 et 34, Sol. 13, 28 et 37, Theogn. 153 sq. *τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται | ἀνθρώπῳ, καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ*, 609, 746, 1014, 1086, qui versus 1238 repetitur. ad quos locos Theogn. 270 *ἔνθα περ ᾖ* et 922 *ὅπου τιν' ἴδῃ* accedunt. contra *ἄν* ante Theognidem quidem tantum Phoc. 6, 2 (*ὅσσ' ἄν*) legitur, apud Theognidem ipsum cum vocula ὅς 406, 479, cum vocula ὅστις 469 coniungitur, itemque *κέν* tantum Tyrt. 10, 7 (*ὅς κεν*) ante Theognidem extat, in Theognidis elegeis 96, 300, 633, 919 pronomini ὅς, 808

pronomini ὅστις adiectum est. duobus igitur locis exceptis ante Theognidem semper solus coniunctivus traditur.

Venimus ad optativum. semel optativus cum vocula ἄν coniungitur, Theogn. 81 (*παύρους εὑρήσεις . . .*), | *οἵτινες ἂν τολμῷεν*. a quo versu, ut locum corruptum Theogn. 800 silentio transeam, non multum differunt Theogn. 93 *ὅσσον ὁρῴης* et 381 sq. *οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν*, | *οὐδ' ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι*, ubi solus optativus legitur, quem etiam in enuntiatis primariis inveniri p. 178 vidimus. reliquis vero locis, quibus optativus particula ἄν non adiecta extat, id quod semel post ὅστις (Theogn. 733), saepius post ὅς factum est, aut id, quod quis optat, significatur, Theogn. 349 sq. *τῶν εἴη μέλαν αἷμα πιεῖν*, *ἐπί τ' ἐσθλὸς ὄροιτο* | *δαίμων, ὃς κατ' ἐμὸν νοῦν τελέσειε τάδε* et 819 sq. *ἐς πολυάρητον κακὸν ἥκομεν, ἔνθα μάλιστα,* | *Κύρνε, συναμφοτέρους μοῖρα λάβοι θανάτου*, aut adtractio quae dicitur statuenda est. cuius usus exemplum luculentissimum Theogn. 83 sqq. extat: *τούτους δ' οὔ χ' (A οὐχ) εὕροις διζήμενος οὐδ' ἐπὶ πάντας* | *ἀνθρώπους, οὓς ναῦς μὴ μία πάντας ἄγοι,* | *οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν* | *αἰδώς*. hoc enim loco prius enuntiatum relativum cum primario, quod illo accuratius definitur, tam arte cohaeret, ut etiam structurae eius enuntiati particeps fiat. in unum igitur tamquam coalescunt et alterum enuntiatum relativum, in quo, quod per se valet, indicativus legitur neque adtractio adhibita est, ab his enuntiatis coniunctis pendet. ad hunc autem locum Xenoph. 2, 8 sq. *καί κεν σῖτ' εἴη δημοσίων κτεάνων* | *ἐκ πόλεως καὶ δῶρον, ὅ οἱ κειμήλιον εἴη* prope accedit.

Antequam ad alia accedamus, paucis de particulis, quae cum pronominibus et adverbiis relativis coniunguntur, de collocatione eorum enuntiatorum, de iis locis, ubi plura enuntiata relativa extant, sive alterum ab altero pendet sive enuntiatum est bipertitum vel tripertitum, agatur necesse est. ut igitur a particulis exordiar, reliquis crebrius duae inveniuntur, δή (ὃς δή Sol. 16, 2, Theogn. 175, 389, 909, 1125, ὅστις δή 707 et 1173, ἵνα δή Mimn. 12, 9) et πέρ (ὅσπερ Theogn. 542, 1312, τό περ Xenoph. 2, 17, οἷά περ Theogn. 667, ὅς τέ περ 395, quo uno loco pronomini ὥστε altera particula adnectitur). adde ὃς ἄρα Theogn. 599 (ῥά nusquam legitur) et ὁτιοῦν ibid. 64 sq. *χρῆμα δὲ συμμίξῃς μηδενὶ μηδ' ὁτιοῦν* | *σπουδαῖον*, quo loco, quod postea saepe, nusquam apud Homerum (Krueg. Di. 51, 13) factum est, ὁτιοῦν paene in vim latini 'quodlibet' abiit, ut iam apud Simonidem Amorg. 7, 49 *ἑταῖρον ὁντινῶν ἐδέξατο*.

De collocatione enuntiatorum addo enuntiata relativa postponi solere. sed exceptis iis enuntiatis, quae a vocula ὅστε incipiunt — haec semper postponi G. Christ (Der Gebrauch der griech. Partikel τέ mit besonderer Bezugnahme auf Homer; in actis acad. Monac. 1880,

pp. 25 sqq.) ostendit —, enuntiata relativa etiam priorem obtinent locum. contra rarissime enuntiata, quae arte cohaerent, vel partes eiusdem enuntiati interposito pronomine relativo hunc in modum dirimuntur: Theogn. 667 sq. *εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι, Σιμωνίδη, οἷά περ ἤδη, | οὐκ ἂν ἀνιώμην τοῖς ἀγαθοῖσι συνών*, 405 *καί οἱ ἔθηκε δοκεῖν, ἃ μὲν ᾖ κακά, ταῦτ' ἀγάθ' εἶναι*, 907 sq. *εἰκὸς ἂν ἦν, ὃς μὲν πλείω χρόνον αἶσαν ἔμιμνεν, | φείδεσθαι μᾶλλον τοῦτον ὃν εἶχε βίον*, 803 sq. *οὐδὲ γὰρ ὃς θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει, | Ζεὺς Κρονίδης, θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται.* item raro ab enuntiato relativo enuntiatum relativum pendet, ut Theogn. 215 sq. *ὃς ποτὶ πέτρῃ, | τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη*, Sol. 4, 19 sq., Theogn. 879 sq., 1123 sqq.

Hic locus extremus, qui est: *μή με κακῶν μίμνῃσκε, πέπονθά τοι οἷά τ' Ὀδυσσεύς, | ὅστ' Ἀίδεω μέγα δῶμ' ἤλυθεν ἐξαναδύς, | ὃς δὴ καὶ μνηστῆρας ἀνείλετο νηλέι θυμῷ | Πηνελόπης ἔμφρων κουριδίης ἀλόχου, | ἥ μιν δήθ' ὑπέμεινε φίλῳ παρὰ παιδὶ μένουσα*, etiam eo insignis est, quod post verba *ὅστ' Ἀίδεω μέγα δῶμ' ἤλυθεν ἐξαναδύς* pronomen relativum in anaphora iteratur. quod singulare plane est in elegeis. nam ubicumque praeter hunc locum oratio bipertita est, semel pronomen relativum ponitur et alterum membrum priori plerumque vocula *δέ (οὐδέ)*, raro vocula *καί*, bis particula *τέ* (Theogn. 974 et, ubi oratio est tripertita, 709) adnectitur. atque quattuor locis alterum membrum a priore ita seiungitur, ut tribus locis (Theogn. 391, 405, 1376) pronomen demonstrativum (*οἱ*), quarto loco (1264) pronomen personale (*σοί*) adiectum sit. praeterea semel (Theogn. 86) ex dativo accusativus supplendus est, ter (Theogn. 452, 708, 974) ex casu obliquo nominativus. reliquis vero locis, velut Tyrt. 12, 16 sq., Mimn. 5, 7 sq., Sol. 4, 15 sq., Theogn. 96, 439 sq., pronomen in utroque membro subiecti munere fungitur exceptis Theogn. vv. 609 sq. . . . *ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ | ἀνδρὶ καὶ ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ στόματος*, ubi dativus in priore membro traditus etiam in altero suppleri potest. qui usus cum usu Homeri, de quo Naegelsbach ad *A* 3 et Classen l. c. pp. 19 sqq. conferantur, in universum consentit, nisi quod apud hunc nusquam *τέ* pro vinculo est, in elegeis nusquam *τὲ καί*, neque apud poetas elegiacos umquam verbi modus in altero membro immutatur.[1]) adde, quod poetae elegiaci nusquam enuntiata hunc in modum nulla copula adhibita iuxta ponunt: *σχέτλιος, ὀβριμοεργός, ὃς οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων, | ὃς τόξοισιν ἔκηδε θεούς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν* (*E* 403 sq.), cuius usus exempla apud Homerum (cf. Ameisii append. ad *ψ* 229) satis multa leguntur.

---

[1]) Modi mutatio fit in enuntiato temporali Theogn. 751 sq., cuius alterum membrum enuntiati primarii instar est neque cum priore quicquam commune habet.

Usus enuntiatorum temporalium ab usu enuntiatorum relativorum vix differt. omnium autem particularum, quae huc referendae sunt, creberrima est *ὅτε*. ter illa cum indicativo eoque temporis praeteriti coniungitur, Theogn. 5 et 12, quibus locis de rebus semel factis agitur (5 *ὅτε μέν σε θεὰ τέκε* et 12 *ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοαῖς*), et Mimn. 14, 11 *ὅτ' αὐγῇσιν φέρετ' εἴκελος ἠελίοιο*, ubi imperfecto res iterata significatur, ad quam significandam optativus usurpari solet. sed apud poetas elegiacos optativus neque — id quod supra vidimus — in enuntiatis condicionalibus et relativis neque in enuntiatis temporalibus, si *εὖτε* exceperis, umquam ita adhibetur. itaque, si alibi optativus extat, qui post *ὅτε* Mimn. 1, 2 invenitur, haec causa est, quod ab optativo pendet. longe plurimis autem locis coniunctivus legitur, ad quem exceptis versibus Sol. 27, 3 *ὅτε δὴ τελέσῃ* (= 27, 17), Theogn. 694 *ὅτ' ἐσθλὰ παρῇ*, ibid. 1189 *ὅτε δὴ θεὸς ἄλγεα πέμπῃ*[1]) ita *ἄν* (*κέν* nusquam legitur) accedit, ut cum voce *ὅτε* in unum verbum coalescat. de quibus locis non est cur fusius agatur; hoc tantum commemoratum volo coniunctionem *ὅταν* semel tantum in enuntiato legi, quod ab indicativo futuri pendeat, Theogn. 243.

Praeter *ὅτε* (*ὅταν*) etiam *ὁπότε* (*ὁπόταν*) in usu est. quae particula satis saepe usurpata semper cum coniunctivo coniungitur, sive *ἄν* accedit sive non accedit. his autem locis coniunctivus vocula ea caret: Theogn. 231 sq. . . ., *ἢν ὁπότε Ζεὺς | πέμψῃ τειρομένοις, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει*,[2]) 531, 749 sqq. contra *ὁπόταν* Theogn. 565, 843, 989 extat. ad quos locos accedit Call. 1, 8 sq. *θάνατος δὲ τότ' ἔσσεται, ὁππότε κεν δὴ | Μοῖραι ἐπικλώσωσ'*, ubi *κέν* adiectum est, quae particula nusquam alibi neque in enuntiatis condicionalibus, nisi quod Theogn. 1177 *εἴ κ' εἴης* legitur, neque in enuntiatis temporalibus adhibetur. causa autem, quare poeta hic *κέν* adhibuerit, manifesta est. nam non solum formula *ὁππότε κεν δή*, quam Homerus item in fine versus ponere solet, sed tota sententia est homerica,[3]) quod ex *X* 365 sq. *τέθναθι· κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ | Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι* adparet; cf. *γ* 236 sqq. *θάνατον . . . οὐδὲ*

---

[1]) Bergk hic scripsit: *οὐδ' ἂν δυσφροσύνας, ὅτε δὴ θεὸς ἄλγεα πέμποι, | θνητὸς ἀνὴρ δώροις βουλόμενος προφύγοι.* at *πέμποι* non extat in libris, sed scriptura vulgaris *πέμπει* est, *A πέμπῃ* praebet, quam lectionem genuinam esse puto. nam neque illa coniecturae speciem prae se fert, et alibi quoque, si in enuntiato primario optativus cum vocula *ἄν* coniunctus traditur, coniunctivus invenitur, velut Theogn. 1033 sqq. *θεῶν δ' εἱμαρμένα δῶρα | οὐκ ἂν ῥηιδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγοι, | οὔτ' ἂν πορφυρέης καταδὺς ἐς πυθμένα λίμνης | οὐθ' ὅταν αὐτὸν ἔχῃ Τάρταρος ἠερόεις* et 751.

[2]) Versus sunt integrae illius elegeae Solonis, quam Stobaeus Flor. VIIII, 25 (apud Bergk. 13) servavit. apud hunc (v. 76) *ὁπόταν* legitur. at altera lectio genuina videtur.

[3]) Unde adparet Bachium Call. l. c. falso *ὁκκότε* commendasse.

*θεοί περ | καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ | μοῖρ᾽ ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.*

Particula *ἐπεί,* ad quam tractandam iam adgredior, modo tempus modo causam significari constat. de usu huius particulae itemque de iis voculis, quae cum ea cohaerent: *ἐπείπερ, ἐπειδή, ἐπειδήπερ* nuperrime in Mel. Vindob. VII 82 sqq. Zycha egit et p. 84 numerum et eorum locorum, quibus *ἐπεί* ad causam spectat, et eorum, quibus ad tempus referendum est, composuit. ex quo locorum conspectu manifestum fit apud omnes scriptores praeter Herodotum et Xenophontem illam vim hac crebrius in ea particula inesse. quod aeque de elegeis valet. sed hic tantum de iis locis disserendum est, quibus *ἐπεί* vim temporalem habet. tres illi sunt, Theogn. 275 sq., ubi et particulae et modi variant (de qua re Buchholzii adn. cf.) *παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις, | χρήματα δ᾽ εἰ καταθῇς,* Mimn. 1, 5 sq. *ἐπεὶ δ᾽ ὀδυνηρὸν ἐπέλθῃ | γῆρας,* ibid. 12, 3 sq. *ἐπεὶ . . . εἰσαναβῇ.* ex quibus locis adparet *ἐπεί* quoque particula *ἄν (κέν)* non adiecta cum coniunctivo coniungi, id quod neque apud Homerum (cf. *O* 363, *υ* 86, hymn. Apoll. Del. 158) neque apud alios scriptores (in prosa oratione extat Herod. VIII 22) frequens est; cf. Zycha l. c. p. 104. sed talibus locis *ἐπήν* usitatius est, pro qua vocula nusquam *ἐπεί κε* vel *ἐπεὶ ἄν* usurpatur. legitur autem *ἐπήν* Mimn. 2, 9 et 3, 1, Sol. 24, 5, Theogn. 299. ex quibus versibus tantum Sol. 24, 5 sq. *ἐπὴν κατὰ ταῦτ᾽ ἀφίκηται | ἥβη* paucis perstringendi sunt. idem enim fragmentum apud Theogn. 719 sqq. repetitur, ubi libri falso *ὅταν δέ κε* exhibent.

Quarta coniunctio, qua poetae elegiaci in enuntiatis temporalibus utuntur, *εὖτε* est, quae eandem quam *ὅτε* vim habet. Archil. 18, 2 ea cum aoristo, As. 2 cum imperfecto de re semel facta, Theogn. 356 de actione iterata, Tyrt. 7, 2 et Mimn. 14, 6 cum optativo item de actione iterata coniungitur. coniunctivus legitur Archil. 3, 2, Theogn. 49, 70, 394, 842, 1166, 1208. quod cum fit, nusquam *ἄν* deest, quae particula etiam ab Homero, qui cum voce *εὖτε* nusquam *κέν* coniungit, uno loco excepto (*η* 202) semper additur.

Duae coniunctiones tantum in ea parte elegearum Theognidis inveniuntur, quae sub huius nomine fertur neque ab eo profecta est, *ἡνίκα,* quae vocula apud Homerum semel (*χ* 198), apud Hesiodum nusquam extat, Theogn. 1275 sq. *ἡνίκα περ γῆ | . . . θάλλει* et *ἕως* ibid. 1327 *ἕως ἂν ἔχῃς λείαν γένυν.* contra et in genuinis Theognidis elegeis et apud reliquos poetas elegiacos pro *ἕως* coniunctiones *ὄφρα* et *ἔστε* usurpantur, ad quas iam transeundum est.

*Ὄφρα* igitur, de qua particula, quantum ad enuntiata finalia pertinet, p. 179 actum est, modo nostro ‘so lange als’ modo nostro ‘bis’ respondet. atque hanc quidem vim et Theogn. 1128 habet, ubi indicativus

legitur (*ὄφρα . . . ἐπέβη*), et Mimn. 12, 10 *ὄφρ' Ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ* ac Theogn. 1354 *ὄφρα τέλειος ἔῃ*, quibus locis coniunctivus particula *ἄν* non adiecta extat. reliquis vero locis altera vis statuenda est, qui loci Xenoph. v. 3, 2 excepto, ubi indicativus imperfecti legitur, omnes ita comparati sunt, ut *ὄφρα* cum coniunctivo coniungatur neque umquam *ἄν (κέν)* addatur. sane de duobus locis Bergk aliter iudicavit, sed enumeratis certis exemplis ostendere studebo illos non differe a reliquis, qui sunt: Tyrt. 10, 27 sq. *νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν, | ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ*, Theogn. 977 sq. *ταῦτ' ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρ' ἔτ' ἐλαφρὰ | γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω*[1]), ibid. 984 *ὄφρ' ἔτι . . . φέρῃ*, 1007 sq. *ξυνὸν δ' ἀνθρώποις ὑποθήσομαι, ὄφρα τις ἥβᾳ | ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ*. restant iam duo loci supra commemorati, quibus contra Bergkium coniunctivum particula *ἄν* non accedente legendum esse puto, Theogn. 252 et 1143. nam ut ab illo initium capiam, verba tradita *ἀοιδὴ | ἔσσῃ ὁμῶς, ὄφρ' ἂν γῆ τε καὶ ἠέλιος*, cum *ᾖ* requiri non possit, ferri nequeunt. id Bergk intellexit, qui duas coniecturas *ὄφρ' ἂν ᾖ* et *ὄφρ' ᾖ* proposuit, sed illam huic praetulit. sed ego *ὄφρ' ᾖ* legendum esse puto, quod, si in medio verbo consonae mutae liquidis praecedunt, et apud Homerum et apud vetustiores poetas elegiacos rarissime syllaba corripitur; cf. Hartel in libro 'Homerische Studien' inscripto I² p. 80, C. Goebel in diss. de correptione Attica (Argentor. 1876), J. Sitzler in commentatione quae inscribitur 'Studien zum Elegiker Theognis' (progr. Gymn. Tauberbischofsh. a. 1885). iam quod ad alterum locum adtinet, qui est *ἀλλ' ὄφρα τις ζώει* (sic A, *ζώοι* O, reliqui *ζώῃ*) *καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο | εὐσεβέων περὶ θεούς, ἐλπίδα προσμενέτω*, hic, etsi apud Homerum Σ 61 sq. et 442 sq., unde is versus repetitus est, indicativus legitur: *ὄφρα δέ μοι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο, | ἄχνυται, οὐδέ τί οἱ δύναμαι χραισμῆσαι ἰοῦσα*, *ζώῃ* scribendum esse puto. nam apud Homerum de uno Achille ea verba dicuntur, apud Theognidem autem enuntiatum in universum spectat. adde, quod imperativus ipse, qui in enuntiato primario extat, cum prope ad futurum accedat, ut coniunctivus legatur, postulat; conferas *H* 193 sq. *ἀλλ' ἄγετ', ὄφρ' ἂν ἐγὼ πολεμήια τεύχεα δύω, | τόφρ' ὑμεῖς εὔχεσθε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι* et ex elegeis ipsis cum reliquos locos, ubi *ὄφρα* cum coniunctivo coniungitur, tum locum simillimum

[1]) Libri *ὄφρα τ'* exhibent, sed recte Schneidewin lenissima mutatione facta *ὄφρ' ἔτ'* scripsit. quae coniectura Buchholzio non est probata, qui, ut *ὄφρα τε* defenderet, *ἔστε* conferri iussit. at hanc particulam comparare non licet, quia ab ea *τέ* seiungi non potest. rectius Bergk nos ad voces *ὅτε τε*, *ὅτε πέρ τε* revocavit. sed cum talia apud Homerum quidem, non vero in elegeis, *ὄφρα τε* neque in Homeri carminibus neque in elegeis extet (nam versus Theogn. 1128 valde corruptus est), codicum scriptura reicienda est. adde, quod *ἔτι*, quod etiam Theogn. 984, qui locus est simillimus, legitur: *ὄφρ' ἔτι τερπωλῆς ἔργ' ἐρατεινὰ φέρῃ*, optime in sententiam quadrat.

Theogn. 1007 sqq. *ξυνὸν δ' ἀνθρώποις ὑποθήσομαι, ὄφρα τις ἥβᾳ | ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ, | τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν.*

Tertia coniunctio, quae eandem vim habet, est *ἔστε*. quae una ex iis coniunctionibus, quae in elegeis inveniuntur, et ab Homeri et ab Hesiodi carminibus aliena est. primum autem apud Archil. 14 legitur, si quidem Bergk recte verba *Γλαῦκ', ἐπίκουρος ἀνὴρ τόσσον φίλος, ἔστε μάχηται* Archilochi esse contendit,[1]) post Archilochum vero Solon 25, 1 *ἔσθ' ἥβης ἐρατοῖσιν ἐπ' ἄνθεσι παιδοφιλήσῃ* ea particula usus est. quo utroque loco coniunctivus traditur neque tamen *ἄν* additur. contra Xenoph. 5, 4 et Theogn. 304 *ἔστ' ἄν* extat, ibid. 959 *(ἔστε μὲν αὐτὸς ἔπινον)* indicativus.

Reliqua est una particula ad tempus spectans, dico *πρίν*. quae apud Homerum non solum, si enuntiatum primarium est adfirmativum, cum infinitivo coniungitur, sed semper fere etiam negatione praecedente. in elegeis infinitivus, qui, si enuntiatum primarium negatione caret, solus in usu est, semel (Theogn. 594) post *μηδέ* invenitur. reliquis autem locis finitae quae dicuntur verbi formae extant. sed nusquam indicativus legitur, qui ab Homeri quoque carminibus alienus est — invenitur ille hymn. Apoll. Pyth. 179 *πρίν γέ οἱ ἰὸν ἐφῆκεν* —, semel optativus post optativum, Theogn. 126 *πρὶν* (idem quod *εἰ μὴ πρότερον*) *πειρηθείης ὥσπερ ὑποζυγίου*, coniunctivus accedente vocula *ἄν* Theogn. 963 et Sol. 36, 21 (trim.). iam quod Fr. Richter (De particulis *πρίν* et *πάρος* earumque usu hom. Lips. 1875) observavit apud Homerum per correlationem coniunctionem fieri solere, id apud poetas elegiacos ne uno quidem loco statui potest.

Quaestione de enuntiatis temporalibus ad finem perducta hoc solum restat, ut, quaenam particulae cum coniunctionibus temporalibus coniungantur, demonstremus. qua in re poetae elegiaci ab Homeri genere dicendi longe recedunt. nam praeter particulam *δή*, quae sane satis usitata est — legitur enim *ὅτε δή* Sol. 27, 3 et 17, Theogn. 1189, *ὅταν δή* 497, *ὁππότε κεν δή* (quae est formula homerica) Call. 1, 8, *ἐπὴν δή* Mimn. 2, 9, *εὖτ' ἂν δή* Archil. 3, 2 et Theogn. 394 — nulla praeterea extat, nisi quod Theogn. 1275, qui versus a Theognide abiudicandus est, *ἡνίκα περ* legitur. vides cum alias particulas tum *τέ* deesse; nam Theogn. 977 non *ὄφρα τ'*, sed *ὄφρ' ἔτ'* legendum et v. 1128 valde corruptum esse supra dictum est; de v. 1015, quo loco *πρίν τ'* extat, infra agendum erit.

Venimus ad enuntiata consecutiva. qua de re Thiersch in act. phil. Mon. I 3 p. 310 et in diss. de carm. Hes. in act. acad. Mon. 1811 p. 13 observavit in veteribus carminibus epicis *ὥστε* numquam vi consecutiva

---

[1]) Citat versum Aristoteles Eth. Eudem. VII 2 his verbis praemissis: *διὰ γὰρ τὸ χρήσιμοι εἶναι φιλοῦσιν ἀλλήλους καὶ μέχρι τούτου, ὥσπερ ἡ παροιμία.*

instructum esse. attamen loci quidam, etsi pauci eum fugerunt; cf. Lehrsii liber de Arist. studiis hom. conscriptus pp. 157 sq. et H. Seumii dissertatio de sententiis consec. graecis (Gotting. 1883) p. 39 not. 11. Lehrs sane l. c. locos illos coniecturis propositis immutavit. sed utut res ea se habet, hoc certum est antiquissimis temporibus solum infinitivum adhibitum esse et paulatim demum ὥστε addi coeptum. in elegeis quidem ad eiusmodi infinitivos effectum quendam significantes ὥστε accedere solet; cf. Cleob. 1, 2, Theogn. 414, 502, 919, 1389, ad quos locos Theogn. 1364 accedit, ubi accusativus cum infinitivo invenitur. verum haec non ad modorum, sed ad infinitivi usum pertinent. commemoravi autem ea hoc loco, ne, cum ὥστε etiam cum formis finitis quae dicuntur coniungatur, pluribus locis de ea vocula exponere cogerer. semel sane indicativus extat, Theogn. 264 ὥσθ' ἅμα θ' ὑδρεύει neque tamen hic locus suspicione vacat.

Iam enuntiata comparativa reliqua sunt. in quibus, ut ἤ silentio praeteream, ὡς, ὥστε, ὥσπερ legi solent. atque ὥστε a vocula ὥσπερ haud differt; modo enim illa particula adhibetur modo haec atque ea semper, quae rationi metricae respondet. quod si per metrum utraque usurpari potest, qui loci perpauci sunt, ὥσπερ usurpatur: Theogn. 278 ὥσπερ πτωχόν, Sol. 13, 26 ὥσπερ θνητός, Theogn. 1360 ὥσπερ κληματίνῳ. praeter has particulas etiam ὅπως in usu est, bis οἷα τε, Mimn. 2, 1 sqq. ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει ... | τοῖς ἴκελοι et Theogn. 1049 σοὶ δ' ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι, ut hic illic apud Homerum, velut γ 73 = ι 254 οἷά τε ληιστῆρες, bis ἅτε, quam voculam apud Homerum umquam adverbii loco esse Lehrs l. c. p. 160 negat, Theogn. 235 οὐδὲν ἐπιπρέπει ἧμιν ἅτ' ἀνδράσι σῳζομένοισιν et 970 ναῦς ἅθ' ἕκας διέχω. contra ἠύτε, ὡς ὅτε omnino non extant, ὅπως cum in universum raro in enuntiatis comparativis tum nusquam in similitudinibus legitur. sed de his infra agetur; antea enim pauca de reliquis enuntiatis comparativis exponenda sunt. atque de modis, cum eius generis enuntiata saepe verbis careant, non multa commemoranda sunt; nam si umquam praedicatum extat, est indicativus. ex singulis autem locis hi qui commemorentur digni sunt: Xenoph. 3, 3 sq. ἤισαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε' ἔχοντες | οὐ μείους ὥσπερ χίλιοι εἰς ἐπίπαν post comparativum, ubi ἤ expectatur, ὥσπερ legitur, cuius usus exempla perpauca extant, pauciora etiam quam vulgo putant. nam quod exempli gratia I. Bekker (Homer. Blätter p. 313) Δ 277 sq. τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠύτε πίσσα | φαίνετ' huc refert, nescio an res eum fefellerit; cf. Krueger Di. 49, 6, 2, Ameisii adn. ad h. l., schol. BLV μελάντερον τῶν ἄλλων νεφῶν, Ariston. ἡ δ. ὅτι ... κέχρηται τῷ συγκριτικῷ ἀντὶ ἁπλοῦ, ex quibus scholiis hoc saltem adparet veteres grammaticos ἠύτε non pro ἤ dictum esse statuisse. item Sol. 36, 18 κέντρον δ' ἄλλος ὡς ἐγὼ λαβών vocula ὡς genuinam vim habet, cum verba sic coniungenda sint:

*κέντρον δ' ἄλλος λαβὼν ὡς ἐγὼ ἔλαβον*; cf. G. F. Schoemann 'Lehre von den Redetheilen' pp. 233 sqq. hi autem loci inter alios cum Xenophanis versu citato conferri possunt: Aeschyl. Prom. 629 *μή μου προκήδου μᾶσσον ὡς ἐμοὶ γλυκύ*, Lys. VII 31 *ἅπαντα προθυμότερον πεποίηκα ὡς ὑπὸ τῆς πόλεως ἠναγκαζόμην*, Demosth. c. Aristog. I 53 *τοῦτον . . οὐ τιμωρήσεσθε, ἀλλὰ καὶ μειζόνων ἀξιώσαντες δωρεῶν ἀφήσετε ὡς τοὺς εὐεργέτας*, quae exempla N. Wecklein ad Aeschyli locum congessit. praeterea Theogn. v. 357 *ὥς δέ περ ἐξ ἀγαθῶν ἔλαβες κακόν* eo memorabilis est, quod hoc uno loco, id quod saepe apud Homerum fit, inter *ὥς* et *περ* aliud vocabulum insertum est.

Accuratius de similitudinibus, de quibus Kuellenberg l. c. pp. 35 sq. conferatur, agendum est, quamquam de modis ipsis non habeo quod explicem. similitudines enim, quae in elegeis extant ab iis, quibus Homerus utitur, ita differunt, ut paucis verbis se contineant et verbo finito careant. longiores autem similitudines duae extant, Mimn. 2, 1 sqq. *ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέος ὥρη | ἔαρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇς αὔξεται ἠελίου, | τοῖς ἴκελοι πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης | τερπόμεθα . . .*, quocum loco cf. *Z* 146 sqq. *οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν· | φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη | τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη· | ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡ δ' ἀπολήγει* et Musaei versus, qui apud Clementem Alex. Strom. VI 2, 5 inveniuntur: *ὡς δ' αὔτως καὶ φύλλα φύει ζείδωρος ἄρουρα· | ἄλλα μὲν ἐν μελίῃσιν ἀποφθίνει, ἄλλα δὲ φύει· | ὣς δὲ καὶ ἀνθρώπου γενεὴ καὶ φύλλον ἑλίσσει.* alter locus est Sol. 13, 17 sqq., ubi longo verborum ambitu Iuppiter hominum iniurias ulciscens cum procella componitur.

Particulae ipsae, quibus comparatio inducitur, rei, quacum altera componitur, semper praecedunt excepto Theogn. v. 949 *νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθώς*, quem locum poetam ex Homeri Iliade petiisse ex *E* 299 *ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθώς* adparet. neque praeter Call. 1, 20 *ὥσπερ γάρ μιν πύργον* et Sol. 37, 6 (trim.) *ὡς ἐν κυσὶν πολλαῖσιν ἐστράφην λύκος* verbum ullum inter particulam et nomen interponitur. porro aliquotiens comparationis particula deest; cf. Theogn. 257 *ἵππος ἐγὼ καλή*, 1106 *χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ*, 1361 *ναῦς πέτρῃ προσέκυρσας ἐμῆς φιλότητος ἁμαρτών*, Sol. 33, 5 sqq. (tetram.) *ἤθελον γάρ κεν κρατήσας . . .*, | *ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι*, quibus locis similes ex antiquissimorum poetarum carminibus a Sitzlero (Festschrift der bad. Gymn. zum 500jähr. Jubil. der Heidelberger Universität) p. 57 congesti sunt; cf. etiam Hartel Mel. Vind. I pp. 21 sq. et Kuehner Gr. gr. § 581, 9.[1])

[1]) Imagines longe plurimae in Theognidis reliquiis inveniuntur. qui duobus potissimum earum generibus utitur, altero e re navali, altero e re metallica petito. illuc praeter vv. 671 sqq., ubi rei publicae status cum nave comparatur, spectant 106, 114,

Quaestioni hoc capite institutae finem facere non possum, quin paucis verbis de apodosi exponam. Classen l. iam saepe c. pp. 28 sqq. eos verborum ambitus tractat, in quorum apodosi apud Homerum, quamquam enuntiata primaria et secundaria distinguuntur, aut tales particulae leguntur, quibus, quaenam ratio inter utrumque enuntiatorum genus intercedat, accuratius explicatur, aut tales, quibus enuntiata enuntiatis adiungi aut opponi, non subiungi solent, dico particulas copulativas et adversativas. atque prioris generis usus apud Homerum latissime patet, sed postea magis magisque imminuitur. quod ex elegeis ipsis optime cognoscitur. ex magna enim copia particularum, quae apud Homerum sic usurpantur (*ἄρα, ἄρ, ῥά, ἦ τοι, ἔπειτα, αὐτίκ᾽ ἔπειτα, δὴ τότε, τότε δή, καὶ τότε δή, καὶ τότ᾽ ἔπειτα*, similes), perpaucae extant atque praeter *οὖν* Theogn. 664 in loco dubio solum temporales, velut *ἔπειτα* ibid. 869, *τουτάκις* 844. alterius usus, quantum ad copulativas particulas pertinet, nullum exemplum extat, ex adversativis vero *αὐτάρ* et *ἀλλά*, quibus gravior oppositio significatur, prorsus desunt, *δέ* duobus locis invenitur, Tyrt. 12, 23 sqq. *ὃς δ᾽ αὖτ᾽ ἐν προμάχοισι πεσὼν φίλον ὤλεσε θυμὸν | . . . | τὸν δ᾽ ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες* et Theogn. 357 sq. *ὡς δέ περ ἐξ ἀγαθῶν ἔλαβες κακόν, ὣς δὲ καὶ αὖτις | ἐκδῦναι πειρῶ, θεοῖσιν ἐπευχόμενος.* qui loci ita comparati sunt, ut in enuntiato secundario *δέ* antecedat, quod non saepe fit apud Homerum, persaepe in Hesiodi carminibus et apud Herodotum (cf. Th. Gomperz 'Herodoteische Studien' in act. acad. Vind. CIII pp. 521 sqq.), semper in hymnis homericis. ceterum commemorandum est apud Homerum non extare locum, quo post *ὥσπερ* legatur *ὣς δέ*; similis est *Z* 146 *οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν*, similis etiam *η* 108 sqq. *ὅσσον Φαίηκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν | νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, ὣς δὲ γυναῖκες | ἱστὸν τεχνῆσσαι.*

Eiusmodi igitur constructiones ut obsoletas poetae elegiaci vitaverunt, quamquam non desunt loci, quibus occasio erat particulae *δέ* adhibendae, velut Tyrt. 10, 11 sqq. *εἰ δ᾽ οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί᾽ ὤρη | γίγνε-*

---

458 sqq., 576, 856, 970, huc 417 sq., 449 sqq., 568, 1105 sq.; adde 499 sq., ubi particula comparativa non adhibita enuntiata iuxta ponuntur. praeterea omissis iis locis, qui iam supra commemorati sunt, cum aliis rebus comparatio fit Call. 1, 20 *ὥσπερ γάρ μιν πύργον . . ὁρῶσιν* (*λ* 556 *τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο*), Mimn. 5, 4 sq. (repetiti Theogn. 1020 sq.) *ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὄναρ | ἥβη* (*λ* 207 *σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ*), Theogn. 985 *αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη* (*η* 36 *ὡς εἰ πτερὸν ἠὲ νόημα*), Sol. 13, 14 *ἀρχὴ δ᾽ ἐξ ὀλίγου γίγνεται ὥστε πυρός*, Theogn. 1360 *ὥσπερ κληματίνῳ χεῖρα πυρὶ προσάγειν*; cum animalibus Tyrt. 6, 1 *ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι* (cf. *P* 742 sqq.), Theogn. 56 *ἔξω δ᾽ ὥστ᾽ ἔλαφοι τῆσδ᾽ ἐνέμοντο πόλεος*, 126 *πρὶν πειρηθείης ὥσπερ ὑποζυγίου*, 1097 *πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι ὥστε πετεινόν*; cum hominibus 254 *ὥσπερ μικρὸν παῖδα λόγοις μ᾽ ἀπατᾷς*, 278 *καὶ στυγέουσ᾽ ὥσπερ πτωχόν*, 485 sq. *μή σε βιάσθω | γαστὴρ ὥστε κακὸν λάτριν ἐφημέριον*, Sol. 34, 2 *λοξὸν . . ὁρῶσιν πάντες ὥστε δήιοι.*

*ται . . .,* | *θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα καὶ περὶ παίδων* | *θνήσκωμεν ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι,* ubi Homerus certo *δέ* vel *ἀλλά* adiecisset; cf. ibid. 12, 35 sqq. *εἰ δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,* | *νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ,* | *πάντες μιν τιμῶσιν ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί*; Mimn. 1, 5 sqq. *ἐπεὶ δ' ὀδυνηρὸν ἐπέλθῃ* | *γῆρας, ὅ τ' αἰσχρὸν ὁμῶς καὶ καλὸν ἄνδρα τιθεῖ,* | *αἰεί μιν φρένας ἀμφὶ κακαὶ τείρουσι μέριμναι.*

Ut iam paucis verbis ea, de quibus hoc capite expositum est, complectamur, poetae elegiaci cum Homero hoc potissimum commune habent, quod in enuntiatis secundariis coniunctivus creberrime particula *ἄν (κέν)* non adiecta usurpatus est. contra discrimen inter hunc et illos in primis his in rebus intercedit. primum in enuntiatis primariis neque ad indicativum futuri usquam *ἄν (κέν)* accedit neque coniunctivus sive vocula ea adiecta sive omissa ita usurpatur, ut prope ad vim futuri accedat. deinde enuntiata, quae particulis subiunctivis inducuntur, semper sunt vere secundaria. quae est causa, cur in apodosi eae particulae, in quibus vestigium pristini usus inest, vitentur. tum particula *ἄν*, ubicumque id fieri potest, cum coniunctionibus in unum verbum coalescit. cui rei poetae elegiaci adeo student, ut *κέν* in enuntiatis condicionalibus et temporalibus, si coniunctivus legitur, excepta formula *ὁππότε κεν δή* non admittant, sed solum in iis enuntiatorum generibus, quae, id quod in primis de enuntiatis relativis valet, ab eiusmodi vocabulis, quae a tali societate abhorreant, initium capiant. postremo coniunctionibus perraro aliae particulae adnectuntur.

## VI. De infinitivo.

Infinitivus modo subiecti instar est, modo obiecti, modo ad adiectiva aut verba accuratius definienda usurpatur. atque ut de usu priore exponam, infinitivus nonnumquam fere substantivo respondet, veluti Mimn. 2, 10 *αὐτίκα τεθνάμεναι βέλτιον ἢ βίοτος* (cf. K 174 *ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι*), Theogn. 181 sq. *τεθνάμεναι, φίλε Κύρνε, πενιχρῷ βέλτερον ἀνδρὶ* | *ἢ ζώειν.* porro satis saepe infinitivus ipse non est subiecti instar, sed ad pronomen refertur, quod subiecti munere fungitur et infinitivo accuratius explicatur: Tyrt. 10, 21 sq. *αἰσχρὸν γὰρ δὴ τοῦτο μετὰ προμάχοισι πεσόντα* | *κεῖσθαι,* Sol. 24, 3 sq. *καὶ ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστιν* | *γαστρί τε καὶ πλευρῆς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν,* Theogn. 432 sq., 699 sq. de reliquis locis, quibus infinitivus pro subiecto est, cum non sit, cur fusius agatur, haec tamen observari volo. verbum *δεῖ* praeter I 337 neque apud Homerum neque apud Hesiodum neque in elegeis invenitur. contra *χρή* et in carminibus epicis et in elegeis satis usitatum est. pro quo Homerus etiam *χρειώ* dicit, Theogn. 564 *χρεών.* praeterea ut Sol. 13, 24 *ἀτὰρ νεφέων οὐδὲν ἔτ' ἐστὶν ἰδεῖν* et Theogn. 905 *εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου*

τέλος ἦν verbum εἶναι et ibid. 281 πάρα πόλλ' ἀνελέσθαι verbum πάρα (πάρεστι) ita ibid. 474 οὐ πάσας νύκτας γίνεται ἁβρὰ παθεῖν et 639 sq. πολλάκι πὰρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίνεται εὖ ῥεῖν | ἔργ' ἀνδρῶν verbum γίγνεσθαι cum infinitivo coniungitur, quod nusquam apud Homerum fit.

Iam si in verba, a quibus infinitivus vel accusativus cum infinitivo coniunctus ita pendet, ut obiecti instar sit, mecum inquisieris, verba dicendi admodum raro inveniri intelleges. huc enim tantum φάναι spectat, veluti Xenoph. 1, 5 et 6, 3, Theogn. 37, et λέγειν, quod vocabulum apud Homerum numquam dicendi vim habet, Phoc. 7. quibus verbis nusquam ὅτι vel ὡς adnectitur. neque verba, in quibus putandi vis inest, saepe leguntur excepta voce δοκεῖν, de qua fusius agendum est. constat enim apud scriptores atticos δοκεῖν et 'existimare' et 'videri' significare; quod non omnibus temporibus ita fuit. nam apud Homerum, qui non ita crebro eo verbo utitur — ab Hesiodi carminibus id alienum est — vis illa uno loco reperitur, *H* 192 δοκέω νικησέμεν Ἕκτορα, ad quem hymn. Merc. 208 παῖδα δ' ἔδοξα, σαφὲς δ' οὐκ οἶδα, νοῆσαι accedit. in elegeis vero, in quibus δοκεῖν passim legitur, totidem fere locis et hac et illa vi instructum est. latino 'existimare' respondet Sol. 13, 42 κτήσεσθαι . . δοκεῖ, ibid. 32, 4 (tetram.) νικήσειν δοκέω, Theogn. 137 δοκέων θήσειν κακόν, 339 χοὕτως ἂν δοκέοιμι . . θεὸς εἶναι, 1315; his adde 221, 552, 1381. praeter δοκεῖν duobus locis Theognidis ἔλπεσθαι extat, 308 ἐλπόμενοι κείνους πάντα λέγειν ἔτυμα et 47 ἔλπεο μὴ δηρὸν κείνην πόλιν ἀτρεμιεῖσθαι. contra οἴεσθαι nusquam invenitur, νομίζειν, quod verbum primum apud Theognidem legitur 279 κακῶς τὰ δίκαια νομίζειν, hoc loco non cum infinitivo coniunctum est, ἡγεῖσθαι semel (Theogn. 282) vim putandi, quam Homerus ignorat, habet, sed cum vocula ὡς coniungitur. quod si δοκεῖν est latinum 'videri', apud Homerum semper accedit dativus, qui abest et ab locis ex elegeis petitis praeter Theogn. 405 et 960 et ab hymn. Ven. 125 ψαύειν ἐδόκουν, in quo uno hymnorum versu δοκεῖν hoc sensu usurpatur. si reliqua verba, quae 'videri' significant, circumspicimus, huc ἔοικε Theogn. 391 κακὸν δέ οἱ οὐδὲν ἔοικεν spectat, quamquam infinitivus additus non est; φαίνεσθαι vero, quamvis saepe legatur, ne uno quidem loco eam vim habet; quare nusquam cum infinitivo coniungitur.

Venimus ad verba, in quibus conandi vel audendi notio inest. atque ut a verbo πειρᾶσθαι initium capiam, id Tyrt. 12, 44 (ἱκέσθαι) πειράσθω et Theogn. 358 et 587 cum infinitivo coniungitur. qui usus apud Homerum, quamquam verbum ipsum satis usitatum est, tantum *Δ* 5 et *M* 341 et, quibus locis πειρᾶν extat, *Θ* 8 et *T* 30 invenitur. is enim pro infinitivo ὡς, εἰ aliasque particulas usurpat, quibuscum locis tantum

Theogn. v. 506 *πειρηθῶ, μή πως καὶ πόδας οἶνος ἔχει* comparari potest. accedunt *τολμᾶν* et *τλῆναι*, quae, si vim audendi habent, infinitivum adsciscunt, illud Theogn. 81, 377, 388, 398, hoc 825 et 1237. praeterea Bergk Theogn. 591 sq., ubi libri exhibent *τολμᾶν χρή, τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν,* | *ῥηιδίως δὲ φέρειν ἀμφοτέρων τὸ λάχος* ad *τολμᾶν* ex proximo versu *φέρειν* supplet. quod perperam fecit; hic enim vis tolerandi statuenda et enuntiatum relativum pro obiecto est; cf. ibid. 1343 *τλήσομαι οὐ κρύψας ἀεκούσια πολλὰ βίαια.*

Porro de singulis verbis haec notanda sunt. a verbo *ἔρασθαι* Homerus nusquam infinitivum pendentem facit. cuius rei causa haec est, quod apud illum semper id vim gravem, quae est 'amare' (sc. feminam), habet. in elegeis vero ea vis iam ita imminuta est, ut idem fere atque 'cupere' significet eamque ob causam etiam cum infinitivo coniungatur; cf. Theogn. 1155 *οὐκ ἔραμαι πλουτεῖν*, 1191 *οὐκ ἔραμαι . . ἐγκατακεῖσθαι.* contra de amore libidinoso et hoc verbum et *ἐρᾶν*, quod ab Homeri carminibus alienum esse p. 174 dictum est, et *φιλεῖν* tantum in illis carminibus amatoriis, quae falso Theognidi tribuuntur, invenitur. transeo ad verbum *κελεύειν*. hoc apud Homerum (cf. Hentze ephem. gymn. Por. XX 727, La Roche l. c. p. 243) non solum accusativus cum infinitivo sequitur, sed etiam dativus; in elegeis autem semper cum infinitivo aut accusativo cum infinitivo coniungitur. idem de voce *πείθειν* valet. nam quod apud eos scriptores, qui post poetas elegiacos fuerunt, etiam *ὥστε* ad infinitivum accedit, vetustissimus quisque poeta in infinitivo solo adquiescit. sed ut in multis aliis rebus ita etiam, quantum ad hunc usum pertinet, carmina illa amatoria in Theognidis corpore excipienda sunt. nam 1363 sq. traditur ... *οὐδέ με πείσει* | *οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὥστε με μή σε φιλεῖν*, quod a Theognidis genere dicendi abhorrere optime ex vv. 839 sq. *οὐδέ με πείσεις* | *οὔτ' ἔτι μὴ πίνειν οὔτε λίην μεθύειν* intellegitur. restat, ut ad duos locos relegem, Theogn. 185, ubi, quod singulare est, *γῆμαι . . οὐ μελεδαίνει* extat in eandem fere sententiam dictum, quae paulo infra (187 sq.) in verbis *οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις* | *πλουσίου* inest, et 818, in quo versu a verbo *δεδοικέναι* vi verendi instructo infinitivus pendet: *οὔτι δέδοικα παθεῖν.*

Magnus sane est numerus eorum adiectivorum, ad quae accuratius definienda infinitivus adhibetur. nam praeter Theogn. v. 578 *οὔ τοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν* et 216 *τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη* hi extant loci: Tyrt. 5, 3 *ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν*, ibid. 10, 26 *νεμεσητὸν ἰδεῖν*, 10, 29 *θνητὸς ἰδεῖν*, 12, 14 *κάλλιστον . . . φέρειν*, Mimn. 14, 9 sq. *ἀμεινότερος . . . ἐποίχεσθαι*, Sol. 13, 6 *τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν*, Xenoph. 2, 6 *κυδρότερος προσορᾶν*, ibid. 5, 2 *τίμιον . . . λαχεῖν*, Theogn. 77 sq. *ἀντερύσασθαι* | *ἄξιος*, 124 *γνῶναι . . . ἀνιηρότατον*, 450 *ἐρυθρὸν ἰδεῖν*,

522 *οὐ δυνατὸς παρέχειν*, 526 *σύμφορος . . . φέρειν*, 690 *λώιον . . . τελέσαι*, 1322 *χαλεπὸν . . . φέρειν*, 1369 sq. *παιδὸς ἔρως καλὸς μὲν ἔχειν, καλὸς δ' ἀποθέσθαι, | πολλὸν δ' εὑρέσθαι ῥήτερον ἢ τελέσαι.* adde Theogn. 477 *οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πεπόσθαι*, quo uno loco infinitivus passivi legitur, et Xenoph. 2, 15 sqq., ubi magnum orationis variandae studium conspicitur: *οὔτε γὰρ εἰ πύκτης ἀγαθὸς λαοῖσι μετείη | οὔτ' εἰ πενταθλεῖν* (sc. *ἀγαθός*), *οὔτε παλαισμοσύνην, | οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν . . .* his igitur locis infinitivus eodem fere munere fungitur, quo in sermone latino supinum, quod littera *u* finitur; Theogn. 578, qui versus primus citatus est, infinitivus vim consecutivam habet. eadem notio iis locis statuenda est, quibus ad verbum *διδόναι* infinitivus *ἔχειν* accedit; cf. Mimn. 4, 1 sq. *ἔδωκεν ἔχειν κακὸν ἄφθιτον ὁ Ζεὺς | γῆρας*, Sol. 13, 3 sq. *ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων | ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν*, Theogn. 1057 *τάδ' ἔδωκαν ἔχειν κεχαρισμένα δῶρα*, 1387 *δῶρον ἔδωκεν ἔχειν.* adparet eos locos ita comparatos esse, ut infinitivo omnino opus non sit. et re vera scriptores in accusativo praedicative dicto adquiescere solent, quamquam in primis apud Homerum et Herodotum similes loci non desunt. unum autem exemplum locis citatis ex omni parte respondet, hymn. Ven. 212 *τούς (ἵππους) οἱ δῶρον ἔδωκεν ἔχειν.*

In fine huius quaestiunculae commemorandum est neque apud Homerum praeter I 684 (Krueger Di. 54, 6, 2) neque in elegeis infinitivum cum particulis *ἄν, κέν* coniungi. etenim si Bergk Sol. 33, 5 sqq. (tetram.) *ἤθελον γάρ κεν κρατήσας πλοῦτον ἄφθονον λαβὼν | καὶ τυραννεύσας Ἀθηνῶν μοῦνον ἡμέραν μίαν | ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι κἀπιτετρῖφθαι γένος* ad infinitivos *δεδάρθαι* et *ἐπιτετρῖφθαι* particulam *κέν* referri vult, falsus esse videtur. nam si verum est, quod G. Hermann (De particulae *ἄν* l. I c. 12; cf. Opusc. IIII p. 59) dicit his usus verbis: 'nam ubicumque aliquid, quod etiam sine condicione verum est, commemoratur, abesse debet particula: ubi autem aliquid nominamus, quod nonnisi certa condicione verum est, necessaria est particulae adiectio', hoc loco, cum *ἤθελον γάρ κεν κρατήσας . . . δεδάρθαι* idem sit atque *ἤθελον γάρ κεν, εἰ ἐκράτησα, δεδάρθαι* (oppone *νῦν δέ, ἐπεὶ οὐκ ἐκράτησα, οὐκ ἐθέλω δεδάρθαι*), dubium esse nequit, quin *κέν* ad verbum *ἤθελον* spectet, ad quod prope accedit, non ad infinitivos *δεδάρθαι* et *ἐπιτετρῖφθαι*, a quibus longissime remotum est. infinitivo autem perfecti ad rem confidentius exprimendam poeta usus est.

## VII. De participio.

Participium adpositive de variis rationibus usurpatur, ad quas accuratius significandas raro particulae in usum vocantur. nam et voculae *εὐθύς, αὐτίκα, ἅμα, μεταξύ*, aliae et *ἅτε, οἷον, ὡς* absunt ab elegeis,

quod in universum etiam de Homeri carminibus valere Krueger Di. 56, 10 et 12 docet. sed aliter res se habet, si vis concessiva statuenda est. quamquam enim non desunt loci, qui particulis careant, tamen et ad participium vocabula *πέρ*, *καί*, *καίπερ* accedunt et ad verbum quod dicitur finitum *ἔμπης* et *ὅμως*. verum in elegeis sola particula *πέρ*, cuius usus apud Homerum late patet, paucis extat locis, Tyrt. 12, 32 *ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐών*, Phoc. 9, 2, Theogn. 670, 1287, 1289. qua *καί* usitatius est.

Si autem et *καί* et *πέρ* ad eiusmodi participia accedit, apud Theognidem — nam apud hunc unum eae voculae coniunctae inveniuntur — aut *καίπερ* extat (710, 816, 1060) aut *καί* — *περ* (267, 294; quibus locis adde 501 *καὶ μάλα περ πινυτοῦ*); Homerus vero excepto v. *η* 224 (*καί περ πολλὰ παθόντα*) semper verbo aliquo, quod premere vult, particulas eas dirimit. medium igitur hac in re locum poetae elegiaci inter Homerum et scriptores atticos obtinent. quod simul ex usu particularum *ἔμπης* et *ὅμως*, quae item uno loco excepto solum apud Theognidem extant, adparet. nam ab Homeri carminibus (cf. Lehrs l. c. p. 156) itemque ab Hesiodi operibus *ὅμως* omnino abest, Theognis *ἔμπης* Homeri more et *ὅμως* usurpat, quod Mimnermi quoque loco 1, 6, quo libri praebent: *γῆρας, ὅ τ' αἰσχρὸν ὁμῶς καὶ καλὸν ἄνδρα τιθεῖ*, ex Doederlini coniectura restituendum esse videtur. de singulis vero locis non est, cur fusius agatur. quare, quoniam de genetivo absoluto supra expositum est, accusativi absoluti autem nullum exemplum extat, iam ad participium p r a e d i c a t i v e positum transire possumus.

Primum igitur observandum est, participium nonnumquam cum copula *εἶναι* coniungi. sed is usus, quamquam apud Herodotum et alios scriptores, qui post poetas elegiacos vixerunt, late patet, apud antiquissimum quemque poetam, id quod etiam de elegeis valet, fere participio perfecti passivi se continet; cf. Call. 1, 12 *εἱμαρμένον ἐστίν*, Sol. 27, 9 *μεμνημένον εἶναι*, Theogn. 309 *πεπνυμένος εἶναι*, 381 *κεκριμένον . . . ἐστι*. ad quos locos duo accedunt ita comparati, ut participium praesentis legatur, *χρεών* (intellege *ἐστίν*) Theogn. 564, quod non apud Homerum, sed apud Herodotum invenitur, et *ἐπιστάμενος* Archil. 1, 1 sq. *εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος | καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος* (at Phoc. 3, 6 sq. . . . *ἡ δὲ μελίσσης | οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι*). sed haec participia (cf. *ἐπισταμένως* Theogn. 212, 676) paene adiectivorum instar sunt. restat unus locus, quo cum verbo *ἔχειν* participium aoristi arte cum illo cohaerens ad statum significandum coniungitur, Theogn. 1061 sq. *οἱ μὲν γὰρ κακότητα κατακρύψαντες ἔχουσιν | πλούτῳ* (contectum habent). cuius usus exemplum nullum apud Homerum extat, primum apud Hes. Op. 42 *κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισιν*, multa apud Herodotum et Atticos.

Qua re absoluta iam, quid praeterea de participio praedicative usurpato dicendum sit, proferamus. atque ut ab iis locis incipiamus, quibus participium ad subiectum refertur, non multa verba, quae huc pertinent, inveniuntur. crebrius enim tantum *τέρπεσθαι*, *χαίρειν*, *λήθειν* extant. alia autem verba singulis locis inveniuntur atque ex verbis adfectum quendam significantibus *αἰδεῖσθαι* Theogn. 482, *ἀνιᾶσθαι*, quod omnino perraro, apud veteres poetas epicos nusquam cum participio coniungitur, Theogn. 668 et 991. porro e numero verborum, quae perseverandi similemve notionem habent, Tyrt. 12, 11 *τλῆναι* extat *εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν*, *τολμᾶν* Theogn. 442 *τολμᾷ ἔχων τὸ κακόν*, e numero eorum, quae 'incipere' aut 'desinere' significant, *παύεσθαι* Theogn. 1328. accedunt *φθάνειν* Theogn. 969, *τυγχάνειν* (*κυρεῖν* in elegeis non legitur), Demod. 6 *ἣν τύχῃς κρίνων*, quocum loco ex Homeri carminibus, in quibus ut excepto loco modo citato etiam in elegeis vim graviorem nostri 'treffen, erreichen' habere solet, ξ 334 et τ 291 *τύχησε γὰρ ἐρχομένη νηῦς* conferri possunt, *οἴχεσθαι* Theogn. 1297 *(οἴχηται προφέρουσα)*, *γυμνάζεσθαι* 1335 *(ἐρῶν γυμνάζεται)*, *ὀνίνασθαι* 1380 *(ὠνήμην ἔρδων)*, *φαίνεσθαι*, quod apud Homerum vim translatam, quae est 'manifestum esse', nondum habet, Theogn. 982 *ἀλλ' ἔρδων φαίνοιτ', εἴ τι δύναιτ', ἀγαθόν* et ibid. 1344 *οὐ γὰρ ἐπ' αἰκελίῳ παιδὶ δαμεὶς ἐφάνην*.

Iam si eos locos, quibus participium ad obiectum refertur, respexeris, intelleges in elegeis pauca verba sentiendi, quae etiam apud reliquos scriptores passim leguntur, sic usurpari. restat igitur, ut dicam in elegeis — Sol. 36, 10 (trim.) *ὡς ἂν . . πλανωμένους* extat, de quo usu egit Madvig Gr. gr. p. 205 adnot. — cum participio numquam *ἄν* et *κέν* coniungi. nam quod Sitzler Theogn. 1033 sq. *θεῶν δ' εἱμαρμένα δῶρα | οὐκ ἂν ῥηιδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγοι, | οὔτ' ἂν πορφυρέης καταδὺς ἐς πυθμένα λίμνης | οὔθ' ὅταν αὐτὸν ἔχῃ Τάρταρος ἠερόεις* cum participio *ἄν* coniunxit, erravit. quid enim hic *ἄν* vult, cum *καταδύς* pro verbis *ὅταν καταδύῃ* dictum sit. quae cum ita sint, particulam *ἄν*, cuius eandem esse rationem, quae est negationum, G. Hermann (De part. *ἄν* l. IIII c. 5; Opusc. IIII p. 188) dicit, ex primario enuntiato post negationem *οὔτε* repetitam esse statuendum est eaque sic explicanda, ut post verba *οὔτ' ἂν* mente *προφύγοι* suppleas.

## VIII. De particulis.

Quoniam de coniunctionibus, quibus enuntiata, quae ab aliis enuntiatis pendent, inducuntur, supra expositum est, iam et eae coniunctiones restant, quibus verba verbis et enuntiata enuntiatis adiunguntur, et eae particulae, quae ad urguenda singula verba usurpantur. quamobrem de

coniunctionibus priore loco acturis nobis a copulativis initium sumendum est.

Coniunctionum igitur copulativarum apud poetas elegiacos hae leguntur: *καί, τέ, ἠδέ*. ex quibus particula *καί* longe usitatissima est. verba autem, quae hac coniunguntur, ita comparata esse solent, ut ad concretum quod dicitur concretum, ad abstractum abstractum accedat. sed Theogn. 603 *ἔργα καὶ ὕβρις* utriusque generis substantiva ita copulata habes, ut *ἓν διὰ δυοῖν* quod dicunt grammatici efficiatur, quae figura etiam 1040 *ἄστρον καὶ κυνὸς ἀρχομένου* statuenda est. item substantivo concreto abstractum 833 *ἐν κοράκεσσι καὶ ἐν φθόρῳ* adnectitur. praeterea commemorandum est *καί* saepe post negationem inveniri. quod fit, si verba hac particula coniuncta arte inter se cohaerent et tamquam in unam notionem coalescunt. quod optime ex Theogn. vv. 103 sq. *οὔτ᾽ ἄν σ᾽ ἐκ χαλεποῖο πόνου ῥύσαιτο καὶ ἄτης | οὔτε κεν ἐσθλὸν ἔχων τοῦ μεταδοῦν ἐθέλοι* conspicitur; bipertita enim est oratio et verbis *πόνου καὶ ἄτης* prius membrum efficitur; cf. ibid. 131 *οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς (γονέων) ἄμεινον* et alios locos. eadem particula haud raro adiectiva coniunguntur. quod si fit, collocatio saepe haec est, ut in priore versus parte alterum adiectivum cum substantivo, in posteriore parte alterum adiectivum ponatur, veluti Sol. 13, 68 *εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσεν*, Theogn. 434 *πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον*, item 608 multisque aliis locis, ut poetas elegiacos eam collocationem admodum adamasse facile adpareat, praesertim cum etiam substantivo non accedente adiectiva ita posita inveniantur, veluti Theogn. 652 *ἐσθλὰ μετ᾽ ἀνθρώπων καὶ κάλ᾽ ἐπιστάμενον* et Tyrt. 10, 26. cum aliis verborum generibus *καί* raro coniungitur, quia eorum coniunctio ipsa rara est. ubi plura verba inter se excipiunt, in elegeis singula verba particula copulativa instructa sunt; rarissimum est quod dicitur asyndeton. magna autem in particulis adhibendis est varietas; modo enim, quamquam non ita frequenter, sola particula *καί* legitur, cuius rei exemplum praebet Theogn. 301 *πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπήνης*, modo oratio variatur, ut versu proximo *λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσί τ᾽ ἀγχιθύροις*, quibus locis Phoc. v. 3, 4 opponas: *εὔφορος ἥδε, ταχεῖα, περίδρομος, εἶδος ἀρίστη*. iam ad enuntiata transeundum est particula *καί* copulata. ac primum praemisso imperativo oratio vocula *καί* adhibita ad id pergit, quod deinceps et certo quidem eventurum sit. loci autem, qui huc spectant, sunt: Theogn. 37 *ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε, καί ποτε φήσεις* et 100; cf. praeterea Theogn. 335 sq. *μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· πάντων μέσ᾽ ἄριστα· καὶ οὕτως, | Κύρν᾽, ἕξεις ἀρετήν, ἥντε λαβεῖν χαλεπόν*, ubi ad rationem, quae inter utrumque enuntiatum intercedit, accuratius designandam *οὕτως* adiectum est, quod idem in simili loco 339 conspicitur. porro post *ἴσος*, qua in re usus poetarum elegiacorum ab usu Homeri differt, *καί* invenitur. sane Sol.

24, 1 sqq. *ἶσόν τοι πλουτοῦσιν, ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστιν | καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πεδία | ἵπποι θ᾽ ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστιν*, quod ex ipso numero plurali intellegitur, genuina vis particulae *καί* plane elucet — non igitur multum differt is locus a Theogn v. 1267 *παῖς τε καὶ ἵππος ὁμοῖον ἔχει νόον*, vel ab Homeri vv. E 441 sq. *ἐπεὶ οὔποτε φῦλον ὁμοῖον | ἀθανάτων τε θεῶν χαμαὶ ἐρχομένων τ᾽ ἀνθρώπων* —, sed paulo longius a vi genuina recedit *καί* Theogn. 106 *ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.*[1]) deinde singularis plane est Theogn. v. 57, ubi post verba *οἳ πρόσθ᾽ οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους, | ἀλλ᾽ ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον, | ἔξω δ᾽ ὥστ᾽ ἔλαφοι τῆσδ᾽ ἐνέμοντο πόλεος* sic pergit oratio *καὶ νῦν εἴσ᾽ ἀγαθοί*; singularis autem ob eamque causam viris doctis offensioni idcirco est, quod a vocula *καί* apodosis exorditur; sed equidem, cum enuntiatum relativum bipertitum et altera pars enuntiati primarii instar sit, verba sana esse puto poetam non tam priore quam altera parte enuntiati relativi respecta *καὶ νῦν εἴσ᾽ ἀγαθοί* dixisse ratus, ideoque confero hos versus cum vv. 1315 sq., ubi *καὶ δὴ νῦν* extat, *ἀλλ᾽ ἐγὼ ἐκ πάντων σ᾽ ἐδόκουν ἔσσεσθαι ἑταῖρον | πιστόν· καὶ δὴ νῦν ἄλλον ἔχεισθα φίλον.*

Sed non solum bina enuntiata particula *καί* coniunguntur, verum etiam terna vel adeo plura ea vocula bis vel saepius adhibita, quamquam multo crebrius modo *καί* modo *τέ* modo alia coniunctio legitur, compluries etiam asyndeton invenitur. cuius generis enuntiata saepe non arte cohaerent, ut particula *καί* singulae orationis partes non tam copulentur quam oratio continuetur, veluti Theogn. 661 sqq. *καὶ πρῆξαι μέντοι τι· καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο, | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ· καί τε πενιχρὸς ἀνὴρ | αἶψα μάλ᾽ ἐπλούτησε· καὶ ὃς μάλα πόλλα πέπαται, | ἐξαπίνης πάντ᾽ οὖν ὤλεσε νυκτὶ μιῇ. | καὶ σώφρων ἥμαρτε, καὶ ἄφρονι πολλάκι δόξα | ἕσπετο καὶ τιμῆς καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν.* quocum loco cf. ibid. 909 sqq., ubi enuntiatis brevibus modo particula *καί* modo *δέ* modo nullo vinculo adhibito condicio eius, qui, utram vitae viam ingrediatur, deliberat, vividis coloribus depingitur.

Ut iam ad particulas *καὶ—καί* (sowohl—als auch) accedamus, his et singula verba et enuntiata rarissime coniunguntur; variare enim solet oratio ita, ut voculae *τὲ—καί* longe sint usitatissimae. adverbii loco *καί* (etiam) passim legitur neque est, cur de eo usu fusius agatur, praesertim cum de particula *καί* ad participium vi concessiva instructum accedente et de verbis *εἰ καί* iam alio loco expositum sit. satis igitur habeo relegare ad hos locos: Theogn. 1169 *καὶ αὐτός*, Sol. 5, 4 et ibid. 13, 58 *καὶ τοῖς*, Theogn. 599 *καὶ πρίν*, ibid. 853 *καὶ πρόσθεν*, 369 *ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί* et monere a protasi enuntiatorum comparativorum *καί* abesse et in apodosi sola adhiberi, veluti Theogn. 357 sq. *ὡς δέ περ ἐξ*

[1]) Cf. ibid. 378 *ἐν ταύτῃ μοίρῃ τόν τε δίκαιον ἔχειν.*

ἀγαθῶν ἔλαβες κακόν, ὡς δὲ καὶ αὖτις | ἐκδῦναι πειρῶ, 1097 sq. ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι ὥστε πετεινὸν | ἐκ λίμνης μεγάλης.

Restat, ut paucis perstringam, quae particulae in elegeis cum vocula καί coniunctae inveniantur. loci autem ita comparati sunt perpauci; hae enim particulae praeter καίπερ, de quo supra actum est, copulatae leguntur: καί τε Theogn. 138 et 662 (cf. G. Christii commentatio 'Der Gebrauch der griechischen Partikel τέ'; act. acad. Monac. a. 1880 p. 42), ubi hi loci citantur et ita explicantur, ut genuinam vim 'und auch' iam evanuisse neque verba καί τε differre a sola particula καί statuatur, καὶ δή Theogn. 1107, καὶ δὴ νῦν 1316, καὶ . . δέ, pro quibus Homerus nullo verbo interiecto καὶ δέ dicit, Demod. 2, 2, καὶ γὰρ (etenim) Theogn. 177, 940, 1311, καὶ γὰρ . . ἄρ' 968, καὶ γάρ τοι 525. adde κἄν, de quo verbo elliptice dicto, cuius rei primum exemplum est Sol. 20, 1 ἀλλ' εἴ μοι κἂν νῦν ἔτι πείσεαι, ἔξελε τοῦτο, M. Devarii liber qui est de graecae linguae particulis (ed. R. Klotz) I p. 655 et II pp. 116 sqq. conferatur.

Particulae τέ non omnibus temporibus neque apud omnes scriptores eundem fuisse usum inter omnes constat. apud Homerum enim ea frequentissima est atque ita usurpatur, ut aut vim plane copulativam habeat aut oblitterata vi genuina vocabulis quibusdam adiungatur. posterioribus autem temporibus hic quidem usus magis magisque evanuit, ut tantum eius quasi vestigia manserint. ille autem usus valde imminutus est eo, quod particulae τέ semel positae paulatim vocula καί praeferri coepta est et particularum τὲ—τέ locum τὲ—καί vel καὶ—καί obtinuerunt. quae omnia iam in elegeis conspiciuntur. nam etsi vocula τέ semel posita et singula verba et tota enuntiata copulantur, tamen id raro fit. atque poetae elegiaci evitare studuerunt, ne verba particula τέ coniuncta inter se exciperent; nam quod quidem ad substantiva adtinet, aut prioris substantivi adtributo postposito aut alterius praemisso concursus ille evitatur. si autem substantiva adtributo carent, alia verba interponuntur, quod etiam de iis locis valet, quibus adiectiva leguntur; cf. Tyrt. 10, 23 ἤδη λευκὸν ἔχοντα κάρη πολιόν τε γένειον, Sol. 4, 19 ἣ στάσιν ἔμφυλον πόλεμόν θ' εὕδοντ' ἐπεγείρει, ibid. 13, 61 τὸν δὲ κακαῖς νούσοισι κακούμενον ἀργαλέαις τε. concursus igitur, quem Homerus quidem non aspernatur, rarissime fit, bis in substantivis, Theogn. 1297 sq., ubi alterum nomen in proximo versu legitur, θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν | βάξιν τ' ἀνθρώπων et 302 λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσί τ' ἀγχιθύροις, ubi substantiva caesura dirimuntur. quod si plura nomina leguntur, nusquam τέ ita usurpatur, ut alteri et proximis adnectatur, non item primo, excepto uno loco, quo δμῶς primo verbo praecedit, Tyrt. 12, 41 sq. (repetiti Theogn. 935 sq.) πάντες δ' ἐν θώκοισιν δμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτὸν | εἴκουσ' ἐκ χώρης οἵ τε παλαιότεροι. quae cum ita sint et poetae elegiaci concursum substantivorum tamquam scopulum fugiant, vix

dubium esse potest, quin grammatici deteriores quosdam codices secuti Theogn. 67 post *δόλους* particula *τέ* reposita recte scripserint *ἀλλὰ δόλους τ' ἀπάτας τε πολυπλοκίας τ' ἐφίλησαν*, praesertim cum similis praesto sit locus 390 *ψεύδεα τ' ἐξαπάτας τ' οὐλομένας τ' ἔριδας*.

Quod autem modo de iis locis dictum est, quibus terna vel plura nomina extant, omnibus *τέ* adnecti, idem de nonnullis locis, quibus bina coniuncta sunt, valet. sed perpaucis locis exceptis — nam vocularum *τὲ—τέ* coniunctionem raram esse iam supra commemoratum est — versus huc spectantes formularum speciem praebent: Tyrt. 12, 3 *μέγεθός τε βίην τε* (*H* 288), ibid. 12, 15 *πόληί τε παντί τε δήμῳ* (*Γ* 50), Sol. 24, 3 (repetitus Theogn. 721) *ἵπποι θ' ἡμίονοί τε* (*Ψ* 260), ibid. 13, 33 *ὁμῶς ἀγαθός τε κακός τε* (Hes. Op. 669 *ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε*, *ϑ* 63 et Hes. Theog. 219 et alibi *ἀγαθόν τε κακόν τε)*, quae omnia et in carminibus epicis et in elegeis in eadem versus sede leguntur. adde Theogn. 393 sqq. *ἐν πενίῃ δ' ὅ τε δειλὸς ἀνὴρ ὅ τε πολλὸν ἀμείνων* | *φαίνεται* . . . | *τοῦ μὲν γάρ* . . . | *τοῦ δ' αὖτ'* . . . collatis vv. *N* 278 sqq. *ἔνθ' ὅ τε δειλὸς ἀνὴρ ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη*, | *τοῦ μὲν γάρ τε* . . . | *τοῦ δ'* . . . quae igitur restant exempla haec fere sunt: Tyrt. 12, 33 *μένοντά τε μαρνάμενόν τε*, Theogn. 320 *ἔν τε κακοῖς κείμενος ἔν τ' ἀγαθοῖς*, 337 sq., 980, 1053.

Enuntiata quoque particula *τέ* rarissime copulantur, et si umquam ea extat, utrique enuntiato unum alterumve membrum commune esse solet, veluti Tyrt. 12, 21 sq., *αἶψα δὲ δυσμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας τρηχείας, σπουδῇ τ' ἔσχεθε κῦμα μάχης*, ibid. 12, 27 sq. *τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες*, | *ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις*, Theogn. 974. neque vero *τὲ—τέ* crebrius invenitur. nam praeter Theogn. 379 *ἤν τ' ἐπὶ σωφροσύνην τρεφθῇ νόος ἤν τε πρὸς ὕβριν*, quo loco verba *ἤν τε* (cf. *εἴτε*) arte cohaerent, tantum hi versus huc referendi sunt: Theogn. 45, 1329, 281 sq. *δειλῷ γάρ τ' ἀπάλαμνα βροτῷ πάρα πόλλ' ἀνελέσθαι* | *πὰρ ποδός, ἡγεῖσθαί θ'* . . ., quo loco, ut ibid. 1146 *ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω* et 1015 sq. *πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί παρ' ἀνάγκην*, | *ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον*, vocula *τέ* liberius posita est, de qua collocatione egit Ameis in appendice ad *ϑ* 540.

Iam in eo est, ut de altero usu particulae *τέ* exponatur. apud Homerum igitur itemque apud Herodotum saepe *τέ* ad pronomina vel adverbia relativa et ad coniunctiones accedere constat; cf. G. Christ l. c. et Baeumlein in libro 'Griechische Partikeln' inscripto pp. 227 sqq. qui usus paulatim exceptis quibusdam formulis totus fere evanuit et in elegeis ipsis iam multo rarior est. multis sane locis *τέ* vocabulis relativis adnectitur. quae res plerumque ita explicatur, ut enuntiata talia olim praecedentibus non subiuncta sed adiuncta fuisse statuatur. cui explicationi multa favent, ut rem ita se habere veri simile esse videatur. loci autem, qui huc

pertinent, hi sunt: ὅστε Mimn. 1, 6 et 2, 13, Sol. 27, 8, Theogn. 196, 336, 395, 466, 703, 705, 709, 737, 987, 1124, ὅσον τε Mimn. 2, 8, οἷά τε ibid. 2, 1, Theogn. 1049, 1123, 1380, ὥστε locis permultis, quibus rerum comparandarum causa usurpatur, τόθι τε Mimn. 11, 5,[1]) ἵνα τε (ubi) ibid. 17, 1. contra a coniunctionibus subiunctivis τέ prorsus alienum esse videtur. nam quod Theogn. 1015 πρίν τε extat, ibid. 977 in omnibus codicibus, 1128 in codice A ὄφρα τε legitur, cum ne apud Homerum quidem τέ cum his coniunctionibus copuletur, supra, ut de versu 1128 admodum corrupto taceam, docui 1015 τέ proximae particulae καί respondere, 977, ubi Christ l. c. p. 53 idem statuit, ὄφρ' ἔτ' scribendum esse.

Ex iis autem coniunctionibus, quibus enuntiata enuntiatis adiunguntur, his vocula τέ adnectitur: δέ Theogn. 148 et 359 (cf. Naegelsbach ad A 403 et Baeumlein l. c. pp. 228 sq.), καί 138 et 662 (cf. Christ. l. c. p. 42 et Leutsch Phil. XXVIIII 656), γάρ Phoc. 7, 2, ἀτάρ Theogn. 597, μηδέ 735, οὐδέ Xenoph. 1, 22, quorum locorum nonnulli in suspicionem vocati sunt.

Ex duabus reliquis particulis copulativis, quae sunt ἠδέ et ἰδέ, tantum illa in elegeis invenitur. sed ne ἠδέ quidem multis locis extat; neque ea umquam enuntiata copulantur, sed singula verba atque excepto Theogn. v. 1312 ἄρθμιος ἠδὲ φίλος aut substantiva aut adiectiva, quae substantivorum instar sunt. sunt autem loci ita comparati hi: Mimn. 1, 5 et Theogn. 1067 | ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί(ν) (τ 408 | ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν; cf. Renner l. c. p. 27), Xenoph. 2, 12 | ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων (Y 157 | ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων; cf. K 186 | ἀνδρῶν ἠδὲ κυνῶν), Sol. 24, 5 (repetitus Theogn. 723) | παιδός τ' ἠδὲ γυναικός (Hes. Op. 813 | ἀνέρι τ' ἠδὲ γυναικί); Tyrt. 12, 27 ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες | et ibid. 12, 37 ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί | (B 789, I 36 et 258 ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες |), Sol. 13, 63 κακὸν φέρει ἠδὲ καὶ ἐσθλόν |, Theogn. 369 ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί | (I 319 ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός |), Sol. 9, 1 χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης |, Theogn. 247 καθ' Ἑλλάδα γῆν . . . ἠδ' ἀνὰ νήσους |, 761 φόρμιγξ . . . ἠδὲ καὶ αὐλός |. ex quo locorum conspectu adparet primum paucis versibus exceptis eos locos formularum speciem habere, id quod cum ipsis verbis coniunctis tum locis ex carminibus epicis adscriptis, qui omnes eandem versus sedem obtinent, probatur, deinde ἠδέ ita poni, ut priore syllaba aut alterius aut quinti pedis arsis efficiatur, tum vocem eam praeter v. 1312 a Theognide abiudicandum tantum Xenoph. 2, 12 in pentrametro extare, postremo nusquam ἠμὲν — ἠδέ inter se respondere. hoc autem non casu factum, sed ἠμέν ut obsoletum consilio vitatum

---

[1]) Τόθι, quod apud Homerum tantum ο 239 (ibi) extat, hoc loco adverbium relativum est, ut hymn. XVIIII (XVIII) 25 et adiecta particula τέ Apoll. Rhod. IIII 772 (τόθι πέρ τε).

esse optime intellegitur, si *B* 789, *I* 36 et 258, ubi ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες extat, cum Tyrt. v. 12, 27 ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες componuntur et *I* 319 ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός cum Theogn. v. 369 ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί. nam quamquam formulae statuendae sunt, tamen neque Tyrtaeus neque Theognis ἠμὲν — ἠδέ dicit, sed ἠδέ praemisso adverbio ὁμῶς, ita ut particulae ὁμῶς .. ἠδέ, cum priore vocula verba arte cohaerere significetur, eandem fere vim habeant atque ἠμὲν—ἠδέ. idem adverbium Tyrt. 12, 37 et Theogn. 369 eidem voculae praecedit, Tyrt. 12, 41 (ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτόν) coniunctioni τέ, Mimn. 5, 3 (repetitus Theogn. 1019) et 5, 7, Theogn. 495 et 497 coniunctioni καί, Sol. 13, 33 (ὁμῶς ἀγαθός τε κακός τε; cf. Hes. Op. 669 ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε) particulis τὲ—τέ, Tyrt. 7, 1 particulis τὲ—καί. satis usitata igitur eius voculae cum coniunctionibus copulativis coniunctio in elegeis quidem est, non item apud Homerum, qui, ut unum exemplum adferam, nusquam ὁμῶς .. καί dicit, neque apud Hesiodum, apud quem ὁμῶς coniunctionibus τὲ—τέ praeter locum modo citatum tantum Op. 3, coniunctionibus τὲ—καί Theog. 771 et Op. 459 praemittitur.

Quoniam de singulis coniunctionibus copulativis actum est, paucis ii loci perstringendi sunt, quibus variae particulae extant. ac primum ponam Sol. v. 24, 5, quo uno loco τὲ—ἠδέ legitur (παιδός τ' ἠδὲ γυναικός). saepe autem bina verba particulis τὲ—καί copulantur, quae Xenoph. 7, 1 etiam numeralibus interiectae sunt (ἑπτά τ' ἔασι καὶ ἑξήκοντ' ἐνιαυτοί), cuius usus exempla nonnulla apud Herodotum extant; cf. Krueger Di. 69, 70, 3. iam ex reliquis locis duos sufficiet proponere, Theogn. 837 sq. δισσαί τοι πόσιος κῆρες δειλοῖσι βροτοῖσιν, | δίψα τε λυσιμελὴς καὶ μέθυσις χαλεπή, et 1267 παῖς τε καὶ ἵππος ὁμοῖον ἔχει νόον, a quibus nobis quidem propter verba δισσαί et ὁμοῖον particulae illae coniunctae alienae videntur, non item Graecis. ad duo membra etiam tertium et quartum accedere potest. quod cum fit, vario modo particulae inter se excipiunt; cf. καὶ—τέ (Call. 1, 7), καὶ—τὲ—τέ (Tyrt. 10, 5 sq.), καὶ—καὶ—τὲ—τέ (Sol. 24, 2 sq.), τὲ—καὶ—τέ (Theogn. 51 sq.), τὲ—τὲ—καὶ—καί (Tyrt. 11, 23), alia. atque modo tot particulae leguntur, quot sunt verba, modo particula ad alterum membrum accedit et proxima, non item ad primum. quod autem de singulis verbis valet, idem in enuntiata cadit. sed exempla, quae huc pertinent, rariora sunt, neque ea, de quibus fusius mihi agendum sit, praesertim cum eos locos, quibus particulis copulativis adversativae respondent, infra tractare in animo sit.

Venimus ad particulas adversativas. ex quibus primum tractanda est vocula δέ. adnoto igitur eam saepe prope ad significationem particularum copulativarum accedere. quod ex iis locis optime intellegitur, quibus δέ particulis copulativis, id quod saepe fit, respondet, veluti Sol. 4, 33 sqq., ubi post sententiam generalem, quae est εὐνομία δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ'

*ἀποφαίνει,* | *καὶ θάμα τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας,* haec ipsa sententia longo verborum ambitu, cuius membra ita inter se excipiunt, ut in prioribus omnino particula non ponatur, semel *τέ*, in reliquis *δέ* legatur, accuratius exponitur: *τραχέα λειαίνει, παύει κόρον, ὕβριν ἀμαυροῖ,* | *αὐαίνει δ' ἄτης ἄνθεα φυόμενα,* | *εὐθύνει δὲ δίκας σκολιὰς ὑπερήφανά τ' ἔργα* | *πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης,* | *παύει δ' ἀργαλέης ἔριδος χόλον, ἔστι δ' ὑπ' αὐτῆς* | *πάντα κατ' ἀνθρώπους ἄρτια καὶ πινυτά;* cf. praeterea Theogn. 277 sq. et 708 sq. prolatis his exemplis iam de iis locis, quibus eius voculae vis vere adversativa est, agendum est. observes igitur eam etiam post negationem legi, ut prope ad notionem particulae *ἀλλά* accedat, veluti Tyrt. 12, 40 sqq. *βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει,* | *πάντες δ' ἐν θώκοισιν ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτὸν* | *εἴκουσ' ἐκ χώρης . . .,* Sol. 13, 28, Theogn. 452, 1361, alibi. porro *δέ* locis nonnullis in initio carminis legitur, ita ut nihil praecedat, cui opponi possit, ac semel quidem post pronomen interrogativum (cf. Naegelsbach ad *Α* 540), Mimn. 1, 1 *τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης,* crebrius — quamquam, cum dubitari possit, num carminis initium integrum sit, magna cautio adhibenda est — in aliis enuntiatis, veluti Mimn. 2, 1 *ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέος ὥρη,* ubi tamquam ex animi motu, ex quo carmen oritur, particula explicanda est, quod idem in Sol. 4, 1 sq. verba cadit *ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται* | *αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων.* praeterea observari potest poetas elegiacos, etiamsi ratio causalis inter utrumque enuntiatum intercedit, saepe *δέ* adhibere. ex qua re per se patet non licere concludi particulam eam re vera idem atque *γάρ* significare, sed liberiore quodam modo enuntiata coniuncta sunt; cf. J. G. Hartung in libro 'Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache' inscripto I p. 167, Naegelsbach ad *Α* 259, Rieckher Jahn. Ann. LXXXV p. 473. maxime autem in sententiis generalibus *δέ* sic usurpatur, ex. gr. Theogn. 91, ubi praemissis verbis: *μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλας . . .* sic pergit poeta (91 sq.): *ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος* | *δειλός . . .,* Phoc. 8, 1 sq. *νυκτὸς βουλεύειν, νυκτὸς δέ τοι ὀξυτέρη φρὴν* | *ἀνδράσιν.*

Atque haec quidem hactenus. antequam autem ad eos locos accedam, quibus *δέ* aliis particulis respondet, de reliquis particulis adversativis pauca praemittantur necesse est. initium vero a coniunctione *ἀλλά* capiamus. quae plerumque post negationes usurpatur, cuius usus exempla passim inveniuntur, neque est, cur fusius de iis exponatur. sed etiam non praecedente negatione *ἀλλά* usurpatur. quod si fit, non ita multum a particula *δέ* differt, nisi quod oppositio magis premitur, veluti Theogn. 257 sq. *ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, ἀλλὰ κάκιστον* | *ἄνδρα φέρω.* eadem particula ibid. 1115 sq. *χρήματ' ἔχων πενίην μοι ὀνείδισας· ἀλλὰ τὰ μέν μοι* | *ἔστι, τὰ δ' ἐργάσομαι θεοῖσιν ἐπευξάμενος* ad refutandam

rem aliquam adhibetur. porro ἀλλά interrupta subito oratione etiam in medio versu imperativo ita adiectum invenitur, ut in ipsis verbis praecedentibus causa, cur ἀλλά adhibeatur, insit. qui usus in primis apud Tyrtaeum frequens est, quod mirum tibi non videbitur, si, quod sit argumentum carminum illius, in memoriam revocaveris. en exempla pauca: Call. 1, 8 sq. θάνατος δὲ τότ' ἔσσεται, ὁππότε κεν δὴ | Μοῖραι ἐπικλώσωσ'. ἀλλά τις ἰθὺς ἴτω, Archil. 9, 9, Tyrt. 10, 31, Theogn. 483, 829, alia. eodem Theogn. v. 505, ubi coniunctivus adhortativus legitur, referendus est. sed etiam in initio carminis ἀλλά sic usurpatur Tyrt. 11, 1 ἀλλ' — Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ — θαρσεῖτ', Sol. 20, 1 ἀλλ' εἴ μοι κἂν νῦν ἔτι πείσεαι, ἔξελε τοῦτο, Xenoph. 2, 1 ἀλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο, quae verba optantis sunt ut Theogn. 97 ἀλλ' εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος et 1300 ἀλλά τί μοι τέρμα γένοιτο κιχεῖν.

Particulis αὐτάρ et ἀτάρ poetae elegiaci raro usi sunt; illa enim Mimn. 2, 9, Sol. 19, 3, Theogn. 253, 475, 648, 759, 1055, haec Call. 1, 4, Sol. 13, 24, Theogn. 504, 597, 853 legitur. neque vero, quod ad vim adtinet, inter utramque formam quicquam interest, sed sensu non variante ea semper forma adhibetur, quae quoque loco metro postulatur. vim autem eae maiorem quam δέ, minorem quam ἀλλά habent et modo ad hanc modo ad illam coniunctionem propius accedunt. gravior igitur oppositio est Call. 1, 3 sq. ἐν εἰρήνῃ δὲ δοκεῖτε | ἧσθαι, ἀτὰρ πόλεμος γαῖαν ἅπασαν ἔχει, lenior Theogn 503 sqq. οἰνοβαρέω κεφαλήν, Ὀνομάκριτε, καί με βιᾶται | οἶνος, ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης | ἡμετέρης, τὸ δὲ δῶμα περιτρέχει.

Transeo ad vocabula αὖ et αὖτε (αὖτις in elegeis nusquam vim adversativam habet). quae paucis locis extant neque his omnibus ad res opponendas usurpantur, sed αὖ tantum Mimn. 2, 13 ἄλλος δ' αὖ παίδων ἐπιδεύεται et Theogn. 761 φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος, αὖτε Tyrt. 12, 23 ὃς δ' αὖτ' ἐν προμάχοισι πεσὼν φίλον ὤλεσε θυμόν et Theogn. 397 τοῦ δ' αὖτ' οὔτε κακοῖς ἕπεται νόος . . . ex quibus locis adparet nusquam vocabula ea, quantum ad vim adversativam pertinet, per se poni, sed coniunctioni δέ adiungi, de quo usu R. Klotz l. c. II p. 210 disputavit.

Iam particula μέν restat. quam ex μήν ortam esse inter omnes fere constat. unde explicatur, cur μέν saepe eandem vim atque μήν habeat, quo verbo Homerus paucis locis utitur, Herodotus, ut videtur, nusquam. atque etiam ab elegeis, nisi forte Theogn. 352 et 1203 ex Sitzleri coniectura haud probanda id inferre vis, μήν abest semperque μέν pro eo ponitur. quod satis multis locis fit post negationes: Mimn. 14, 1 οὐ μὲν δή, quae vocabula, ut crebro apud Homerum (cf. Θ 238, ε 341), etiam apud Theognidem 1314 coniuncta leguntur; adde Theogn. 1079 sq. οὐδένα τῶν ἐχθρῶν μωμήσομαι ἐσθλὸν ἐόντα, | οὐδὲ μὲν αἰνήσω δειλὸν ἐόντα φίλον, Xenoph. 2, 17,

Theogn. 611, 1142, quibus omnibus locis negationes iis voculis negativis, quas *μέν* sequitur, praecedunt, et *μέν* in extremo enuntiato, quo magis hoc efferatur, vel in extrema enuntiati parte collocatum est. accedunt pronomina demonstrativa et personalia, quae item adiecta vocula *μέν* magis premuntur; cf. Hartung l. c. II p. 413, Naegelsbach ad *A* 234. atque e pronominum numero ceteris crebrius *ὁ*, si quidem pronominis demonstrativi instar est, cum vocula *μέν* coniungitur, quippe quod, ut pronominis munere fungi possit, fulcro quodam carere non possit; cf. Tyrt. 5, 7, Mimn. 12, 5 et 14, 5; *ταῦτα μέν* Sol. 36, 13 (trim.), *σοὶ μέν* Theogn. 237, *ἐμοί γε μέν* 1095, *σὺ μέν* 1249. sed is usus etiam latius patet, quod ex his locis, quorum nonnulli fortasse mutilati sunt, intellegitur: Archil. 9, 1 *κήδεα μέν*, Mimn. 12, 1 *ἠέλιος μὲν γάρ*, Sol. 20, 1 *μανίην μὲν ἐμήν*, Theogn. 997 *τῆμος δ' ἠέλιος μέν*, 1215 *πόλις γε μέν ἐστι* (cf. Soph. El. 973 *λόγων γε μὴν εὔκλειαν οὐχ ὁρᾷς*); Archil. 8, 1 *δειλοῦ μέν*, Theogn. 731 *τοῖς μὲν ἀλιτροῖς*; 931 *φείδεσθαι μὲν ἄμεινον*. perraro vero adiungitur *μέν* vocabulis, quibus enuntiata secundaria inferuntur, Theogn. 5 *ὅτε μέν σε θεὰ τέκε*, 905 *εἰ μὲν γὰρ κατιδεῖν βιότου τέλος ἦν*, 907 *εἰκὸς ἂν ἦν, ὃς μὲν . . . ἔμιμνεν*, quibus locis genuina vis iam multo minus elucet. compluries *μέν*, etiamsi *δέ* sequitur, vim adfirmativam habet neque ad sequentem particulam referendum est. quare pro *δέ* etiam coniunctiones copulativae adhiberi possunt. sic Tyrt. vv. 10, 7 sqq. *ἐχθρὸς μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται, οὕς κεν ἵκηται* | . . ., | *αἰσχύνει τε γένος, κατὰ δ' ἀγλαὸν εἶδος ἐλέγχει,* | *πᾶσα δ' ἀτιμία καὶ κακότης ἕπεται* explicandi sunt neque Stoll in commentario *μέν* ad *τέ* referre debebat, qui nos relegat ad Hom. *A* 267 *κάρτιστοι μὲν ἔσαν καὶ καρτίστοις ἐμάχοντο*; bene enim post verba *πτωχεύειν πάντων ἔστ' ἀνιηρότατον* | . . . vis confirmativa in sententiam quadrat. ita autem etiam Homeri locum intellegendum esse inter alios Naegelsbach ad hunc versum et Baeumlein l. c. p. 160 ostenderunt. sed duobus aliis locis *μέν* ad coniunctionem copulativam, *καί* dico, referendum est, Archil. 1, 1 sq. *εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος,* | *καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος* et Tyrt. 12, 11 sq. *εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα* | *καὶ δηίων ὀρέγοιτ' ἐγγύθεν ἱστάμενος* (cf. Tyrt. 12, 35 sq., ubi similiter *εἰ δὲ φύγῃ μὲν* . . ., | *νικήσας δ'* . . . *ἕλῃ* dicitur), ideoque quaedam quasi legitima orationis *ἀνακολουθία* statuenda; cf. Klotz II p. 659, Hartung II p. 410.

Aliter ii loci comparati sunt, quibus membrum oppositum adest, *δέ* requiritur. his enim vis particulae *μέν* eadem est atque iis locis, ubi re vera *δέ* sequitur. nonnumquam enim aut *δέ* aut, de qua re item hic agendum est, *μέν* aut utraque particula in formulis quibusdam, in quibus oppositio aliis verbis significatur, omittitur. luculentum exemplum eius rei habes in verbis *ἄλλοτε* et *ἄλλος*. nam Theogn. 158 *ἄλλοτε μὲν* — *ἄλλοτε*

extat, pro quibus verbis Homerus ἄλλοτε μὲν — ἄλλοτε δέ dicit excepto v. *E* 595, ubi item ἄλλοτε μὲν—ἄλλοτε legitur (cf. Υ 49 sq. ὁτὲ μὲν—ἄλλοτε). duobus locis Theognideis (558 et 1258) ἄλλοτε—ἄλλοτε traditum est, quod ab Homeri carminibus alienum est, uno loco Theognideo (991) ἄλλοτε — ἄλλοτε δέ, quocum Mimn. 2, 11 sqq. ἄλλοτε — ἄλλος δ' αὖ — ἄλλος conferas. accedunt Sol. 36, 7 sq. (trim.) ἄλλον — ἄλλον, ibid. 13, 43 sqq. ὁ μὲν — ἄλλος — ἄλλος — ἄλλος — ἄλλον — ἄλλοι. sed multo pluribus locis, quibus particulae μὲν — δέ poni poterant, μέν deest quam δέ. huc in primis sententiae generales referendae sunt ex Theognidis carminibus petitae, in quarum priore membro crebro τοί ponitur. quas nolo omnes enumerare, sed in paucis exemplis adquiescam: 115 sq. πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι, | ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι, 621 πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν, 1167 sq. τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὴ μὲν ἀπόκρισις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα, | τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη, ubi prius membrum, quod particula μέν caret, in duas partes coniunctionibus μὲν — δέ coniunctas dividitur. porro huc nonnulli versus spectant, in quibus anaphora quae dicitur invenitur, veluti Theogn. 269 sq. πάντῃ γὰρ τοὔλασσον ἔχει, πάντῃ δ' ἐπίμικτος, | πάντῃ δ' ἐχθρὴ ὁμῶς γίνεται, ἔνθα περ ᾖ, 623 sq. παντοῖαι κακότητες ἐν ἀνθρώποισιν ἔασιν, | παντοῖαι δ' ἀρεταὶ καὶ βιότου παλάμαι, 627 sq. αἰσχρόν τοι μεθύοντα παρ' ἀνδράσι νήφοσι μεῖναι, | αἰσχρὸν δ', εἰ νήφων πὰρ μεθύουσι μένῃ. sed multo crebrius in anaphora μὲν — δέ legitur: Archil. 2, 1 ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ δ' οἶνος . ., Tyrt. 5, 2 Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν, Theogn. 773 sqq., 783 sq., 915 sqq., 1093 sq., 1137, alibi.

Praeterea de particulis μὲν — δέ haec fere commemoranda sunt. particula δέ oratio continuatur et in eodem enuntiato μὲν — δέ sequitur, veluti Sol. 13, 7 χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι . . . et 27, 15 τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ . . . contra Archilochi versus 9, 7 sqq. νῦν μὲν ἐς ἡμέας | ἐτράπεθ', αἱματόεν δ' ἕλκος ἀναστένομεν, | ἐξαῦτις δ' ἑτέρους ἐπαμείψεται hanc ob causam memorabiles sunt, quod νῦν μέν et ἐξαῦτις δέ inter se respondent, altera vocula δέ oratio continuatur. porro particulis μὲν — δέ saepe verba aut enuntiata diversa coniunguntur. atque ut omittam talia, qualia sunt Sol. 35 ἃ μὲν — ἄλλα δ', Theogn. 1073 νῦν μὲν — τοτὲ δ', 1213 sq. ἄλλα μὲν — ἀργαλέη δ'. . . δουλοσύνη, legitur Xenoph. 1, 13 sqq. πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν . . . | σπείσαντας δὲ . . . πίνειν, Tyrt. 11, 11 sqq. οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι . . . τρεσσάντων δέ, Theogn. 197 sqq. χρῆμα δ', ὃ μὲν Διόθεν καὶ σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται | . . . | εἰ δ' ἀδίκως παρὰ καιρὸν ἀνὴρ φιλοκερδέι θυμῷ | κτήσεται (i. q. εἰ μὲν . . . γένηται), 697 sq. εὖ μὲν ἔχοντος ἐμοῦ πολλοὶ φίλοι· ἢν δέ τι δεινὸν | συγκύρσῃ . . . restat, ut commemorem paucis locis particulae μέν non δέ, sed alias coniunctiones adversativas

respondere, *ἀλλά* Theogn. 1259, *αὐτάρ* Sol. 19, 3, Theogn. 647, 759, 1055, *ἀτάρ* 853.

Coniunctiones disiunctivae, quae perpaucis locis leguntur, nullam fere disputandi materiam praebent, praesertim cum de iis locis, quibus in enuntiatis interrogativis inveniuntur, iam supra actum sit. *ἤ* (aut) non plus quinque locis legitur, *ἤ—ἤ* (aut—aut) rarius etiam est. porro Theogn. 200 post *εἰ* extat *εἴτε* (sive), Xenoph. 2, 2 sqq. *ἤ—εἴτε—ἤ καί—εἴτε* inter se excipiunt, Theogn. 379 *ἤν τ'—ἤν τε* legitur.

Ex coniunctionibus conclusivis *οὖν*, cum conclusioni, qualis philosophorum esse solet, inservire soleat, in elegeis non plus duobus locis invenitur: Xenoph. 1, 16, ubi verba *ταῦτα γὰρ ὤν* . ., *οὐχ ὕβρις* per parenthesim dicta sunt, et Theogn. 664 *ἐξαπίνης πάντ' οὖν ὤλεσε νυκτὶ μιῇ*. usitatius est *ἄρα*, pro qua vocula nusquam *ῥά* (etiam *ἄρ* abest ab elegeis) usurpatur. qua in re poetae elegiaci ab Homeri usu longe recedunt; hic enim, cum id agat, ut, quae ratio inter singula enuntiata intercedat, diligenter edoceat, et *ἄρα* et *ῥά* permultis locis adhibet; cf. J. C. Helleri commentatio 'De particula *ἄρα*' Philol. XIII 73 sq. voce *ἄρα* igitur significatur aliquid ex re aliqua sequi patere; cf. Theogn. 699 sq. *πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίνεται ἥδε, | πλουτεῖν· τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἄρ' ἦν ὄφελος*, 787 sq. *ἀλλ' οὔτις μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων·| οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης*, 968, 1066, Mimn. 14, 5. accedit Theogn. 599 sq. *οὔ μ' ἔλαθες φοιτῶν κατ' ἀμαξιτόν, ἣν ἄρα καὶ πρὶν | ἠλάστρεις*, ubi *ἄρα* pronomini relativo adicitur, de quo usu exposuerunt Naegelsbach ad *B* 21, Baeumlein p. 29, Schoemann 'Die Lehre von den Redetheilen' p. 193. contra ibid. 711 poeta interiectis aliis enuntiatis ad id, de quo supra verba fecit, particula *ἄρα* usus revertitur. nam v. 711 *ἀλλ' ἄρα καὶ κεῖθεν πάλιν ἤλυθε Σίσυφος ἥρως* ad v. 703 *ὅστε καὶ ἐξ Ἀίδεω πολυϊδρείῃσιν ἀνῆλθεν* referendus est. de quo usu inter alios Heller l. c. pp. 93 sqq. disputavit. idem p. 82 Phoc. versus 15, 1 *ἀλλ' ἄρα δαίμονές εἰσιν ἐπ' ἀνδράσιν ἄλλοτε ἄλλοι* mentionem fecit his verbis praemissis: 'interdum etiam facta, quibus quis rem aliquam edoctus est, prorsus omittuntur: quod ubi fit, ipsum *ἄρα* initio sermonis primis verbis insertum totam illam nubem sive eventuum sive observationum repraesentat, qua adductus is qui loquitur ad eam cogitationem, abs qua orditur sermonem, pervenerit'. sed dubium sane est, num ab his verbis carmen initium sumpserit.

Aliae particulae conclusivae non extant. praeter *ῥά* igitur etiam altera vocula enclitica, quae est *νύν (νύ)*, ab elegeae reliquiis abest, itemque *τοίνυν*, quod vocabulum etiam ab Homeri et Pindari carminibus alienum est.

Coniunctio causalis *γάρ* est. qua vocula modo causa praecedentis enuntiati adfertur modo res aliqua explicatur. sed non ita raro fit, ut *γάρ*

requiratur sententia neque tamen legatur. saepe enim asyndeton quod dicitur explicativum statuendum est. aliis locis, id quod supra vidimus, ratione, quae inter utrumque enuntiatum intercedit, minus accurate significata *δέ* adhibetur. de singulis vero locis haec fere proferenda sunt: Tyrt. 10, 1 *τεθνάμεναι γὰρ καλόν* ita *γάρ* usurpatur, ut nihil, quo referatur, praecedat. qui usus quomodo intellegendus sit, inter grammaticos non constat; cf. Baeumlein p. 69 et Ameisii append. ad *α* 337, a quibus aliorum commentationes citantur. alii enim *γάρ* ad insequentem sententiam referunt, alii, ut Klotzii verbis utar (l. c. II p. 232), particulam vera ac naturali vi sua minime causam, cur aliquid sit, indicare, sed adfirmationem potius et conclusionem in se continere, quippe quae nata sit ex particulis *γέ* et *ἄρα*, putant; cf. in primis C. Capelle Philol. XXXVI 700 sqq. neque vero hoc loco facile statui potest poetam, cum *γάρ* diceret, adhortationem, quae vv. 13 sq. sequitur, ante oculos habuisse. accedit, quod, quo Xenophanis carminis primi integri verba *νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων* (v. 1) referantur, in proximis versibus non explicatur. contra facile Tyrt. 11, 1 verba *ἀλλ' — Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ — | θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει* expediri possunt. hic enim verba *Ἡρακλῆος γὰρ ... ἐστέ* per parenthesim dicta esse statuendum et *ἀλλά* ad imperativum referendum est; cf. Herod. I 14 *ἀλλ' — οὐδὲν γὰρ μέγα ἔργον ἀπ' αὐτοῦ ἄλλο ἐγένετο βασιλεύσαντος δυῶν δέοντα τεσσαράκοντα ἔτεα — τοῦτον μὲν παρήσομεν*, Soph. Phil. 81 sq. *ἀλλ' — ἡδὺ γάρ τοι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν — | τόλμα*.

Coniunctionibus iam tractatis particulae, in quibus confirmandi vis inest, restant. ex quibus unius — *μήν* dico — iam supra mentio facta est ibique dictum eam in elegeis non usurpari. quare iam ad voculam *γέ* transire possumus. quae in universum raro adhibetur neque cum multis verborum generibus coniungitur. nam paucis locis ea substantiva efferuntur, veluti Call. 1, 12 *οὐ γάρ πως θάνατόν γε φυγεῖν εἱμαρμένον ἐστίν*, Sol. 2, 2 *ἀντί γ' Ἀθηναίου*, Theogn. 1083 *οὕτω χρὴ τόν γ' ἐσθλόν*, quorum altero *γέ* praepositioni, tertio articulo postponitur. quae autem restant exempla excepto Theogn. v. 1274 (*ἦκά γ'*) ita comparata sunt, ut *γέ* ad pronomen aliquod sive personale sive demonstrativum accedat, veluti ad verbum *ὁ*, quod, ut pronominis demonstrativi munere fungatur, non facile tamquam fulcro quodam carere posse p. 119 vidimus, aliis locis ad pronomina *κεῖνος* et *οὗτος*. quod si fit, illa ad pronomen relativum referri solent; cf. Theogn. 223, 430, 1314, quo loco extremo *τούτοις* pronomini *οἷσπερ* praecedit, post id addita voce *γέ* repetitur: *τούτοις, οἷσπερ νῦν . . ., | οὐ μὲν δὴ τούτοις γ' ἦσθα φίλος πρότερον*. praeterea Theogn. vv. 1029 sqq. commemoratione digni sunt: *τόλμα, θυμέ, κακοῖσιν ὅμως ἄτλητα πεπονθώς· | δειλῶν τοι κραδίη γίνεται ὀξυτέρη· | μηδὲ σύ γ' ἀπρήκτοισιν ἐπ' ἔργμασιν ἄλγος ἀέξων |*

ὄχθει ... hic enim ex Homeri consuetudine (cf. de eo usu Naegelsbach ad Γ 409), quamquam subiectum idem est, pronomen additur idque adiecta vocula γέ urguetur. sed hic usus, cuius exempla etiam apud Herodotum (cf. II 173 λάθοι ἂν ἤτοι μανεὶς ἢ ὅ γε ἀπόπληκτος γενόμενος) et poetas atticos (veluti Soph. Phil. 1116 sqq. πότμος σε δαιμόνων τάδ', | οὐδὲ σέ γε δόλος ἔσχ' ὑπὸ | χειρὸς ἐμᾶς)[1]) inveniuntur, in elegeis rarus est; unum enim praeter locum citatum extat exemplum: Theogn. 559 sq. λῷστά σε μήτε λίην ἀφνεὸν κτεάτεσσι γενέσθαι, | μήτε σέ γ' ἐς πολλὴν χρημοσύνην ἐλάσαι. contra Mimn. 14, 5 sq. τοῦ μὲν ἄρ' οὔποτε πάμπαν ἐμέμψατο Παλλὰς Ἀθήνη | δριμὺ μένος κραδίης, εὖθ' ὅγ' ... propter subiectum mutatum ὅγε additum est.

Particula δή ad rem certam manifestamque significandam usurpatur et modo in enuntiatis primariis modo in secundariis legitur. atque quod ad illa adtinet, pleraque eius sunt, qui adfirmat aliquid, veluti Tyrt. 10, 21 αἰσχρὸν γὰρ δὴ τοῦτο, Mimn. 14, 1 sq. οὐ μὲν δὴ κείνου γε μένος καὶ ἀγήνορα θυμὸν | ... πεύθομαι, Theogn. 1314 οὐ μὲν δὴ τούτοις γ' ἦσθα φίλος πρότερον, 53 Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι, 1107 sq. ὤ μοι ἐγὼ δειλός· καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχθροῖς, | τοῖς δὲ φίλοισι πόνος δεινὰ παθὼν γενόμην. eandem particulam poetae elegiaci adverbiis temporalibus adnectunt, si quam rem ad certum quoddam temporis momentum referri atque hoc urgueri volunt; cf. Naegelsbach ad B 284 et Baeumlein p. 102. eiusmodi autem locis δή prope ad ἤδη accedit, quamquam id non in ipsa vocula δή — nam aliis locis id etiam nostro 'erst' interpretari possumus — sed in sententiarum conexu positum est; cf. Theogn. 855 sq. πολλάκι δὴ πόλις ἥδε δι' ἡγεμόνων κακότητα | ὥσπερ κεκλιμένη ναῦς παρὰ γῆν ἔδραμεν, Xenoph. 1, 1 νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν . . . eodem autem modo ii loci explicandi sunt, quibus δή pro οὖν legi videtur, veluti Theogn. 961 sq. νῦν δ' ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλύϊ, | ἄλλης δὴ κρήνης πίομαι ἢ ποταμοῦ. contra in reliquis generibus enuntiatorum primariorum δή rarissime invenitur, in interrogativis Theogn. 377 πῶς δή et 747 τίς δή, bis cum imperativo coniunctum, 1095 σκέπτεο δὴ νῦν et in formula ἀλλ' ἄγε δή 829, bis cum optativo, Sol. 2, 1 εἴην δὴ τότ' et Theogn. 894 ὡς δὴ .. ὀλέσειε. iam quod ad enuntiata secundaria adtinet, usus voculae δή satis artis finibus circumscriptus est. nam si pronomina et adverbia relativa et coniunctiones temporales exceperis, de quibus ad ea revoco, quae supra pp. 185 et 190 exposui, nullum invenias locum, quo particula illa adhibita legatur.

Pergamus ad particulam πέρ. vidimus supra praeter καίπερ et καί — περ etiam πέρ paucis sane locis ad participium accedere. quod cum fit, nus-

---

[1]) Cf. etiam Hor. C. I 9, 15 sq. nec dulces amores | sperne puer neque tu choreas, Verg. Aen. V 457 nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.

quam in participio alia notio quam concessiva inest; apud Homerum vero, etiamsi rationem concessivam non licet statuere, *πέρ* usurpatur, veluti ρ 12 sq. *ἐμὲ δ' οὔ πως ἔστιν... ἀνέχεσθαι ἔχοντά περ ἄλγεα*, A 131 sq. *μὴ δ' οὕτως ἀγαθός περ ἐών, θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ, κλέπτε νόῳ*, alibi. praeterea *πέρ* et pronominibus relativis adnectitur atque praeter locos p. 185 adlatos Demod. 1, 2 et Theogn. 27 (*οἷά περ*) et adverbiis, dico *ἔνθα περ* (270) et *ὥσπερ*, pro quo 357 *ὡς (δέ) περ* legitur. a coniunctionibus condicionalibus (excepto Xenoph. v. 7, 4) et temporalibus abest. nam quod Theogn. 1275 *ἡνίκα περ* extat, nullius est momenti, cum hic versus non sit Theognidis. hoc igitur si tenebimus vocis *πέρ* usum tam artis finibus circumscriptum esse, ut saepius tantum cum participiis et vocabulis relativis, rarissime cum coniunctionibus copuletur, nusquam ad alia verba efferenda usurpetur, Theogn. 1015 sq. *πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ | ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον* dubitare licebit, num *πέρ* genuinum sit; nam hic voculae eius usus prorsus singularis est. et re vera multi viri docti in hoc versu haeserunt, quamquam non omnibus quidem *πέρ*, sed quibusdam *ὑπερβῆναι* offensioni fuisse videtur. equidem pro verbis *καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ* scribendum esse puto *καὶ ὑπερβῆναι παρ' ἀνάγκην*, *πτῆξαι* eodem sensu accipiendum, quo apud Aesch. Prom. 187 *ἀπειλὰς πτήξας*, *ὑπερβαίνειν* absolute dictum 'peccare' significare, ut ex gr. Hom. I 501 *ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ*. certe verba *παρ' ἀνάγκην ὑπερβῆναι* (nulla re cogente) multo melius in sententiam quadrare videntur quam *ἀνάγκῃ ὑ.*, quippe quibus verbis peccatum, quod quis coactus admittit, significetur.

Particula *τοί*, ad quam iam transimus, in elegeis tam crebro legitur, ut neglectis iis locis, quibus apud Homerum *ἦ τοι* extat — in elegeis hae particulae non coniunguntur — totidem fere locis tradatur quam apud Homerum ipsum. neque vero omnes poetae elegiaci pariter saepe eam usurpant, sed longe plurimi eiusmodi loci — sexaginta fere — apud Theognidem extant. cuius rei causa primaria in magno numero sententiarum generalium, quas ille carminibus suis inseruit, posita esse videtur, cum eiusmodi sententiae apte ea vocula efferantur, veluti Theogn. 153 *τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται*, 161 *πολλοί τοι χρῶνται δειλαῖς φρεσί, δαίμονι δ' ἐσθλῷ*, 267, 457, 463 aliisque locis, Sol. 13, 63 et 65, Phoc. 6, 1. quibus adde Sol. 13, 73 sq. *τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας; | κέρδεά τοι θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι*, Theogn. 971 sq. *τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἆθλον ἑλέσθαι; | πολλάκι τοι νικᾷ καὶ κακὸς ἄνδρ' ἀγαθόν*, 965, alios, qui omnes id commune habent, quod iis causa eius rei, de qua praecedenti enuntiato agitur, adfertur. poterant igitur particula *γάρ* adnecti. sed hi quidem poetae, ut — non minimum certe est hoc discrimen, quod inter poesim epicam et elegeas intercedit — in cumulandis particulis omnino cautiores sunt, ita *γάρ* saepe non addunt. idem de aliis locis, quibus

sententia generalis statuenda non est, valet, veluti Theogn. 577 sq. ῥήδιον ἐξ ἀγαθοῦ θεῖναι κακὸν ἢ 'κ κακοῦ ἐσθλόν, | μή με δίδασκ'· οὔ τοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν, 1235 sqq. ὦ παῖ, ἄκουσον ἐμεῦ δαμάσας φρένας. οὔ τοι ἀπειθῆ | μῦθον ἐρῶ τῇ σῇ καρδίῃ οὐδ' ἄχαριν· | ἀλλὰ τλῆθι νόῳ συνιεῖν ἔπος· οὔ τοι ἀνάγκη | τοῦθ' ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ. semper autem excepto v. 1285 a Theognide abiudicando, qui est οὐ γάρ τοί με δόλῳ παρελεύσεαι, abest γάρ, si οὐ praecedit; contra nonnullis locis aliter comparatis additur, veluti 633 sq. βουλεύου δὶς καὶ τρίς, ὅ τοι κ' ἐπὶ τὸν νόον ἔλθῃ· | ἀτηρὸς γάρ τοι λάβρος ἀνὴρ τελέθει, 157, 287, aliis locis. at Phoc. 8, 1, ubi item γάρ poni potuit, δέ extat: νυκτὸς βουλεύειν, νυκτὸς δέ τοι ὀξυτέρη φρὴν | ἀνδράσιν.

Denique de particulis quibusdam brevissime agam, quae aut paucis aut singulis locis traduntur, dico ἦ, quod et apud Homerum et alibi passim legitur, Theogn. 674 sq. ἦ μάλα τις χαλεπῶς | σῴζεται, ibid. 524 et 780 ἦ γάρ, Xenoph. 6, 4 ἐπεὶ ἦ; ναὶ μὰ (Δί') Theogn. 1045. eadem verba semel apud Homerum (Α 234), semel in hymnis (hymn. Merc. 460) coniunguntur.

Si iam earum rerum, de quibus hoc capite expositum est, summam facimus, ante omnia multarum coniunctionum usum in elegeis multo artioribus finibus circumscriptum esse, nonnullas omnino non extare premendum est. atque illud de voculis ἠδέ, αὐτάρ, οὖν, hoc de voculis ἠμέν, ῥά, νύ(ν) valet. ex reliquis particulis, quamquam saepe τοί legitur, tamen uno loco excepto, quo μέντοι traditum est (Theogn. 661), voculae compositae, quae sunt καίτοι, τοίνυν, τοίγαρ, ἤτοι, ab elegeis alienae sunt. apud Homerum autem ἦ τοι usitatissimum est, minus usitatum τοίγαρ, contra καίτοι (cf. Baeumlein l. c. p. 245) et τοίνυν item ab eius carminibus absunt. atque etiam ἦ, quod alibi passim legitur, locis perpaucis in elegeis, δήπου, θήν, μήν, quibus omnibus Homerus usus est, nusquam ibi inveniuntur. δῆτα vero et νή omnino non ante Atticorum aetatem in usu fuerunt. denique animadvertimus poetas elegiacos, quam maxime poterant, concursum plurium particularum evitasse.

## B. De copia verborum.

Magnus est numerus verborum, quae in elegeis leguntur, non item in Homeri carminibus. quorum etiamsi ea, quae aut apud Hesiodum aut apud alios veteres poetas lyricos extant, excipiuntur, tamen multa restant. ac de vocabulis Theognideis Kuellenberg in dissertatione saepius commemorata egit neglectis iis versibus, quos Bergk a Theognideis separavit (cf. adnot. 2 p. 6). sed non pauca eum verba fugerunt. verum hoc

loco omnia enumerare nolo, sed de quibusdam tantum verborum generibus expositurus sum. observari enim potest certa quaedam genera in elegeis multo crebrius quam in Homeri carminibus inveniri, id quod maxime in adiectiva verbalia quae dicuntur cadit. apud Homerum enim eiusmodi adiectiva, quae in *τός* exeunt, non ita saepe, ea, quae in *τέος* desinunt, omnino non leguntur; cf. Krueg. Di. 56, 17, 2. sane in elegeis quoque tantum Theogn. 689 *πημαντέον* extat, illius autem generis ab Homero nondum usurpata leguntur haec: *ἄελπτος* Sol. 35 (tetram.) (hymn. Cer. 219), *ἀμέλητος* Theogn. 422, *ἀμίαντος* 447, *ἀνίκητος* Tyrt. 11, 1, Theogn. 491 (Hes. Theog. 489), *ἀνυστός* 1195, *ἀξύνετος* Demod. 1, 1, *ἄπεφθος* Theogn. 449 et 1106, *ἄπληστος* 109 (Hes. Sc. 250 v. l. pro *ἄπλητος*), *ἀτίμαστος* Mimn. 1, 9 (*ἀτίμητος* Hom.), *ἄφυκτος* Sol. 4, 17 et 13, 64 (Hom. *φυκτός*), *ἄχρηστος* Theogn. 865, *ἄψεκτος* 799, *δυνατός* 522 et 626, *ἔνθετος* 435, *ἐπίμυκτος* 269, *ζηλωτός* 455, *θαυμαστός* 25 (hymn. Cer. 10), *θεόκτιτος* Sol. 36, 6 (trim.), *θεοτίμητος* Tyrt. 4, 3, *θηητός* ibid. 10, 29 (Hes. Theog. 31, Anacr. 54, 12 (*θεητός*)), *ξυνετός* Theogn. 1078, *πολυάρητος* 819. haec igitur omnia ab Iliade et Odyssia, quamquam verba ipsa praeter *ψέγειν* et *ζηλοῦν* extant, aliena sunt neque multa eorum, id quod ex locis adscriptis adparet, apud Hesiodum et hymnorum scriptores inveniuntur. quid autem Homerus pro talibus adiectivis dixerit, intellegitur ex v. *M* 327 *ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν οὐδ' ὑπαλύξαι*, quocum Sol. 13, 64 verba *δῶρα δ' ἄφυκτα θεῶν γίγνεται ἀθανάτων* conferantur.

Aliud verborum genus sunt substantiva, quae in syllabam *μα* exeunt. quorum in primis duo substantiva abstracta commemoratione digna sunt, *πρῆγμα* et *ἔργμα*. illud enim, quamquam late usus eius postea patet, non solum ab antiquis carminibus epicis, sed etiam ab iis elegeis, quae ante Theognidem conditae sunt, alienum est, ab hoc vero saepe usurpatur. idem fere de altero valet, nisi quod ante Theognidem bis apud Hesiodum, hic illic in hymnis, semel Mimn. 7, 1 extat. accedunt *ἄμπαυμα* Theogn. 343 (Hes. Theog. 55), *πέμμα* Sol. 38, 3 (trim.), *πλάσμα* Xenoph. 1, 22, *πταῖσμα* Theogn. 1222, *ῥῆμα* Theogn. 1152 et 1262 (Archil. 50), *ῥῦμα* Sol. 11, 3, *σπέρμα* Theogn. 1278 (idem legitur apud Hesiodum et in hymnis), *στρῶμα* 1193, *χρῖμα* Xenoph. 3, 6. his adde substantiva quaedam, quae in syllabam *σις* desinunt: *ἄμπαυσις* Mimn. 12, 2, *ἀνάλωσις* Theogn. 903, *ἀπόκρισις* 1167, *βάξις* Mimn. 15 et 16, *ἔκλυσις* Sol. 13, 70 (Hom. *λύσις*), *ἐπίμιξις* Theogn. 297, *ἐπίρρησις* Archil. 8, *κίνασις* Tyrt. 16, *κροῦσις* Cleob. 3, *μέθυσις* Theogn. 838, *στάσις* Sol. 4, 19, Xenoph. 1, 23 paucisque Theognidis locis, *τέρψις* Theogn. 787 (idem legitur in Hesiodi carminibus; Homerus utitur verbo *τερπωλή*), *ὑπέρβασις* 1247 (apud Homerum et Hesiodum in usu est *ὑπερβασίη*). idem in multa substantiva suffixo *ια (ε-ια)* formata cadit; cf. *αἰθρίη* Sol. 13, 22 (Hom. *αἴθρη*), *ἀμηχανίη* multis locis

Theognidis (Hes. Op. 496), *ἀμπλακίη* 386 aliisque locis, *ἀνοίη* 453, *ἀπιστίη* 831 (Hes. Op. 372), *ἀτροπίη* 218, *διαιβολίη* 324, *διχοστασίη* 78, *δολοπλοκίη* 226, *δουλίη* Sol. 36, 11 (trim.),[1]) *δυσνομία* Sol. 4, 32 (idem extat Hes. Theog. 230; Hom. *ρ* 487 habet *εὐνομίη*, nusquam *νόμος*, quo verbo Hesiodus et poetae elegiaci utuntur), *ἐμπορίη* Theogn. 1166 (Hes. Op. 646), *εὐλαβίη* 118, *κακίη* 322, *κακοκέρδεια* 225, *καχεταιρεία* 1169, *μανίη* Sol. 10, 1 et Theogn. 1231, *μαντεία* Tyrt. 4, 2 (idem extat paucis locis hymn. Merc.), *παιδεία* Theogn. 1305 et 1348,[2]) *πολυπλοκίη* 67, *προεδρίη* Xenoph. 2, 7, *συντυχίη* Sol. 13, 70, *τυραννίη*[3]) Xenoph. 3, 2, *χρείη* Theogn. 62. restant substantiva, quae in syllabas *σύνη* exeunt: *ἀβροσύνη* Xenoph. 3, 1, *ἀγνωμοσύνη* Theogn. 896, *ἀληθοσύνη* 1226, *ἀπημοσύνη* 758, *γνωμοσύνη* Sol. 16, 1, *δικαιοσύνη* Theogn. 147, *δυσφροσύνη* 1189 (Hes. Theog. 528, *εὐφροσύνη* Hom.), *πολυφροσύνη* 712, *πυκτοσύνη* Xenoph. 2, 4, *φιλημοσύνη* Theogn. 284, *χρημοσύνη* Theogn. 389, 394, 560, 690, *χρησμοσύνη* Tyrt. 10, 8.

Transeamus ad verba composita. ac primum quidem paucis ea perstringamus, quorum prior pars non est praepositio, sed aliud vocabulum. et apud Homerum igitur et in elegeis multa verba cum voculis *εὐ*, *δυς*, *φιλο*, *κακο*, *πολυ*, *βαθυ*, *παν* composita extant. quamquam apud illum verba ita composita artioribus finibus continentur quam apud poetas elegiacos. apud Homerum enim *δύς* tantum cum adiectivis coniungitur et quod *ψ* 97 *δύσμητερ*, *Γ* 39 et *Ν* 769 *Δύσπαρι* extat, haec ad certum quendam finem facta neque ea esse adparet, quibus quolibet loco uti liceat; nam *ψ* 97 *δύσμητερ* usurpatur, quia *μῆτερ* praecedit (*μῆτερ ἐμὴ δύσμητερ*), ut Theognis v. 621 *πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν* verbum *ἀτίειν*,

---

[1]) *Δουλίη* a numeris dactylicis abhorret ob eamque causam neque apud Homerum neque in elegeis legitur. sed ne *δουλεία* quidem neque *δουλοσύνη* praeter *χ* 423 neque *δοῦλος*, *δουλοῦν*, *δουλεύειν* in carminibus homericis usurpantur; contra *δούλη* duobus locis dubiis invenitur. in elegeis vero Theogn. 538 *δούλη* extat, Sol. 36, 5 (trim.) *δουλεύουσα*. *δοῦλος* autem (Theogn. 302 *δμώς* legitur) et *δουλοῦν* item desunt. praeterea adde apud Hesiodum nullum verbum ab ea stirpe derivatum inveniri.

[2]) *Παιδεία* duobus his locis, qui carminum illorum amatoriorum sunt a Theognide abiudicandorum, vim singularem, quae est 'pueritia', habet. idem igitur atque *ἥβη*, quod in elegeis passim legitur, significat.

[3]) Antiquissimis temporibus nomen tyranni ignotum erat. quare verba, quae cum voce *τυραννίη* cohaerent, ante poetarum elegiacorum aetatem non inveniuntur; cf. schol. Aesch. Prom. 240 (224 D.) *τὸ δὲ τῆς τυραννίδος ὄνομα τοῖς μὲν παλαιοτάτοις ἄγνωστον ἦν, οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς οἶδεν αὐτό, πρὸ αὐτοῦ δὲ καὶ ὁ Ἀρχίλοχος* (25, 3); arg. Soph. Oed. R. *ὀψέ ποτε τοῦδε τοῦ ὀνόματος εἰς τοὺς Ἕλληνας διαδοθέντος κατὰ τοὺς Ἀρχιλόχου χρόνους, καθάπερ Ἱππίας ὁ σοφιστής φησιν.* ac *τύραννος*, pro quo Solon 9, 3, id quod antea nusquam reperias, *μόναρχος* dixit, primum hymn. VIII (VII) 5 invenitur (postea apud Sim. Amorg. 7, 69 et tribus locis Theognidis, qui v. 52 etiam *μούναρχος* dixit), *τυραννίς* Archil. 25, 3, *τυραννίη* Xenoph. 3, 2, *τυραννεύειν* Sol. 33, 6; ceterum cf. Schoemann 'Griech. Alterthümer' I³ p. 170 adn. 1.

in quo viri docti haud recte haeserunt, oppositionis causa dicere ausus est. sed in elegeis etiam substantiva leguntur cum vocula *δυς* composita: *δυστυχίη* Theogn. 1188 et ibid. 1189 *δυσφροσύνη*, quod iam Hes. Theog. 528 legitur. item Homerus excepto substantivo *φιλοφροσύνη* stirpe *φίλο* solum in adiectivis formandis usus est, non item poetae elegiaci; cf. Tyrt. 10, 18 *φιλοψυχεῖν*, ibid. 3, 1 *φιλοχρηματία*, Theogn. 1358 *φιλοξενίη*. latius etiam usus vocabuli *νόος* patet. apud Homerum enim praeter *ἀγχι* et *ἀ* nullum cum eo vocabulum coniungitur; at Sol. 22, 2 *ἁμαρτίνοος*, Phoc. 9, 2 *ἐλαφρόνοος* tradita sunt. porro adde *ἰοστέφανος* (Hom. *ἐυστ.* et *καλλιστ.*) Theogn. 250 ut hymn. VI (V) 18, *διχόμυθος* Sol. 42, 4 (mel.), *διχοστασίη* ibid. 4, 38 et Theogn. 78, quorum verborum prius membrum ab Homero in vocabulis compositis non adhibetur, *οἰκονόμος* Phoc. 3, 7 et *φερεμμελίης* Mimn. 14, 4, quorum neutra pars apud illum cum aliis verbis coniungitur. restat, ut doceam Homerum dicere *μεγακήτης*, Theognidem 175 *βαθυκήτης*, illum *δημοβόρος*, hunc 1181 *δημοφάγος*, illum *ὠκύπους*, hunc 551 *ταχύπτερνος* (sc. *ἵππος*).

Verborum compositorum, quorum prius membrum praepositio est, satis multa inveniuntur in elegeis exempla, quae apud Homerum non extant. ex his in primis ea quae commemorentur digna sunt, pro quibus ille locis similibus simplicia adhibet. nam antiquissimis temporibus etiam in verbis compositis suam quaeque vim praepositio obtinebat; sed postea saepius ea vis paulatim ita evanuit, ut verbum compositum non multum distaret a simplici ideoque pro eo poneretur. verum haec non est unica discriminis causa, sed altera etiam accedit. poetae enim omnes hic illic pro verbis compositis simplicia adhibent idque in Homeri carminibus multo crebrius quam in elegeis conspicitur. sed iam locos huc spectantes inspiciamus: Sol. 15, 2 sq. *ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα | τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον*, Homerus, qui verbo composito *διαμείβεσθαι* nusquam usus est, *Z* 235 dixit *ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν*. — Theogn. 511 *βαθὺν διὰ πόντον ἀνύσσας* (Hes. Op. 635 *πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας*, hymn. Apoll. Del. 108 *διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ*; cf. ea, quae p. 140 de hoc verbo dixi), Homerus locis similibus *ἀνύειν* (semel, *ρ* 517 *διήνυσεν* . . *ἀγορεύων*) adhibuit, veluti *ο* 293 sq. *ὄφρα* . . *ἀνύσειε θέουσα* . . *ὕδωρ*. — Theogn. 553 *διαπρήξουσι κέλευθον*, apud Homerum et *διαπρήττειν κ.* extat et *πρήττειν κ.* — Theogn. 973 *οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πότν' ἐπὶ γαῖα καλύψῃ*, *E* 659 habes *τὸν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν* (*ἐπικαλύπτειν* in carminibus homericis non extat). — Theogn. 1373 *κατέμεινας ἐμὴν χάριν*, 1144 *ἐλπίδα προσμενέτω*, 1127 *ἥ μιν δήθ' ὑπέμεινε*, quae verba omnia vi manendi aliquem instructa sunt; contra apud Homerum pro his verbis, quorum duo, *καταμένειν* et *προσμένειν*, in eius carminibus omnino non inveniuntur, tertium, dico *ὑπομένειν*, aliam vim habet, sensu non diverso *μένειν* saepe usurpatur. —

Theogn. 35 sq. ἢν δὲ κακοῖσιν | συμμίσγῃς; cf. α 209 ἐμισγόμεϑ' ἀλλήλοισιν — Theogn. 38 εὖ συμβουλεύειν τοῖσι φίλοισιν ἐμέ, Homerus, qui verbo συμβουλεύειν nusquam utitur, dicit I 99 ἵνα σφίσι βουλεύησϑα. — Sol. 4, 15 ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ' ἐόντα; cf. A 70 ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Idem de nonnullis substantivis valet, quae sunt: Call. 1, 2 et Theogn. 1058 ἀμφιπερικτίονες (Hom. περικτίονες); Theogn. 390 ἐξαπάτη (aliis locis ἀπάτη, Hom. tantum ἀπάτη); Sol. 13, 70 ἔκλυσις (Hom. λύσις); Theogn. 1107 sq. καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχϑροῖς | . . γενόμην (ibid. 692 καί σέ . . χάρμα φίλοις ἀνάγοι; apud Homerum ubique χάρμα extat).

Iam ad aliam rem adgrediamur. vidimus modo multa verba, quae in elegeis inveniuntur, apud Homerum non extare. hoc autem loco de iis verbis agere in animo est, quae apud Homerum aut nusquam aut perraro, in elegeis creberrime leguntur. ac primum quidem de singulis quibusdam verbis exponendum est, deinde de nonnullis familiis verborum, ut ita dicam, ab eadem stirpe derivatorum. atque ut a singulis ordiar, verborum πρῆγμα et ἔργμα iam supra mentio facta est. praeter quae haec fere ab Iliade et Odyssia aliena, in elegeis usitatissima sunt: ἀμπλακίη Theogn. 204, 386, 404, 546, 630, 632, 810, γνώμη sedecim locis Theognidis (cf. Sitzleri index), μάταιος Theogn. 105, 141, 487, 492, 507, 1025, 1240 a, ὀργή Tyrt. 11, 8 et undecim locis Theognidis. quae omnia excepta voce ὀργή, quae primum in nonnullis libris manu scriptis Hes. Op. 304 obviam fit, ante poetarum elegiacorum aetatem omnino non extant. contra ἀμηχανίη ι 295, Hes. Op. 496, apud Theognidem octies legitur, ἀστός Δ 242, ν 192, in elegeis Tyrt. 12, 39 et octo locis Theognidis, ἐρατός semel apud Homerum (Γ 64), saepe apud Hesiodum, in elegeis, in hymnis, λόγος O 393, α 56 (utroque loco habes dativum pluralis), crebro apud Hesiodum et poetas elegiacos.

Venimus ad eas stirpes, a quibus complura vocabula derivantur. de quibus haec proferenda sunt. ex iis verbis, quae ad stirpem δικα referenda sunt, apud Homerum praeter δίκη, δίκαιος, δικάζειν nulla inveniuntur. eadem in elegeis extant, sed multo crebrius et praeterea etiam ἄδικος (Homerus οὐδὲ δίκαιος dicit; ἄδικος etiam paucis locis Hesiodi extat, ἀδίκως hymn. Merc. 316) idque Sol. 4, 7 multisque aliis locis, ἀδικεῖν Theogn. 1283 (hymn. Cer. 367), δικαιοσύνη 147. altera stirps, de qua acturus sum, est πεν. apud Homerum semel (ξ 157) πενίη legitur, semel πενιχρός (γ 348), πένεσϑαι vero, quod infra ostendam, aliam quam vulgo apud Homerum vim habet, πένης nusquam extat. ab elegeis item πένης abest, sed πενίη permultis locis Theognidis, πενιχρός Sol. 4, 23 et Theogn. 165, 181, 621, 662, πένεσϑαι (opp. πλουτεῖν) ibid. 315 et 929 tradita sunt. item in elegeis verba πλοῦτος, πλουτεῖν, πλούσιος usitatissima sunt: apud Homerum tantum

*πλοῦτος* extat, quamquam ne hoc quidem crebro invenitur, apud Hesiodum semel *πλούσιος* (Op. 22), semel *πλουτεῖν* (Op. 313), crebrius *πλοῦτος*. restat ea stirps, quae verbis *σοφία*, *σοφός*, *ἄσοφος*, *σοφίζεσθαι* continetur. quae omnia apud Theognidem leguntur; nam *σοφίζεσθαι* extat v. 19, *ἄσοφος* v. 370, *σοφός* novem, *σοφία* decem locis. ex quibus unum, *ἄσοφος*, ante Theognidem non invenitur itemque *σοφίζεσθαι* eo loco, quem commemoravimus, primum conspicitur. nam quod Hes. Op. 649 *οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος οὔτε τι νηῶν* traditur, versus 646—662 non esse Hesiodi et Pausanias statuit et recentioribus viris doctis persuasum est; cf. Goettlingii adn. sed ne *σοφία* quidem praeter Hom. *O* 412 et hymn. Merc. 483 et 511 ante Solonem, qui eo verbo 13, 52 usus est (cf. etiam Xenoph. 2, 12 et 14), extat itemque *σοφός* ante Theognidis aetatem tantum in fragmento quodam Margitae, quod Aristot. Eth. Nicom. VI 7 p. 1141a extat, Archil. 45, Alcm. 9 invenitur.

Sed hoc quoque evenit, ut verba, quae apud Homerum passim leguntur, in elegeis aut nusquam aut raro inveniantur. ac facile, quia obsoleta erant, vitata quaedam esse intellegitur, veluti *οἶος*, *ὄχα*, *πτολίεθρον*, quae nusquam, et *ὀπηδεῖν*, *φώς*, quorum hoc tantum Mimn. 14, 4 (*φῶτα φερεμμελίην*) et 14, 9 extat, illud Theogn. 933 *παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ*; cui loco cum Hes. Op. v. 313 *πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ* tanta similitudo est — *κῦδος* quoque, quod in sententiam melius quadrare videtur quam *κάλλος*, apud Arsenium, qui hunc versum citat, traditum est — ut de imitatione cogitandum sit, praesertim si reputaveris similes locos in elegeis multos extare, numquam tamen *ὀπηδεῖν*, sed *ἕπεσθαι* usurpari. item *ἄστυ*, quo Homerus totidem fere locis utitur, quot verbo *πόλις*, tantum Tyrt. 12, 24, Theogn. 785 et 868 legitur.

Nonnumquam autem inter Homeri et poetarum elegiacorum genus dicendi mira consensio intercedit. quod in primis de notione 'hostis' exprimenda valet. apud Homerum enim (cf. L. Friedlaenderi dissertatio 'De vocabulis homericis, quae in alterutro carmine non inveniuntur' in progr. acad. Regim. a. 1858, part. I p. 9 sq.) tria verba leguntur, *δήιος*, *δυσμενής*, *ἀνάρσιος*, quae et adiectivorum munere funguntur et pro substantivis adhibentur. ex quibus *δήιος* Iliadi proprium est, *δυσμενής* utrique carmini commune, *ἀνάρσιος* semel in Iliade, quinquies in Odyssia legitur. contra *πολεμήιος* — *πολέμιος* a numeris dactylicis abhorret — nusquam substantivi instar est, sed tantum cum verbis *ἔργα* (cf. hymn. XI (X) 2) et *τεύχεα* (cf. hymn. XXVIII (XXVII) 5 et Hes. Scut. Herc. 238) coniungitur. ab elegeis autem *πολεμήιος* abest et ad notionem hostis exprimendam modo *δυσμενής* usurpatur, veluti Call. 1, 8, Tyrt. 12, 21, Mimn. 14, 8, modo *δήιος*, veluti Tyrt. 12, 12, Mimn. 14, 9, Theogn. 552. item et Homerus et poetae elegiaci *τοκεῖς* dicunt, non *γονεῖς*; nam quod Theogn. 1330

*ἀλλὰ γονέων λίσσομαι ἡμετέρων* legitur, multa sane sunt in carminibus illis a Theognide abiudicandis, quae a poetarum elegiacorum consuetudine recedant.

Antequam autem ad extremum caput accedam, id etiam addam non ita raro in elegeis pro singulis verbis, quae praedicati instar sunt, bina vocabula ita poni, ut substantivum aliquod cum verbis, qualia sunt *ἔχειν*, *εἶναι*, coniungatur. qua in re poetae elegiaci non tam cum Homero, quippe qui eiusmodi locutiones vitare studeat, quam cum Herodoto et scriptoribus atticis faciunt. loci autem huc spectantes sunt: Sol. 13, 34 *δόξαν ἕκαστος ἔχει*, quae verba idem significant atque *ἕκαστος δοκεῖ* atque de eo dicta sunt, qui sibi ipsi videtur aliquis esse, non de eo, qui aliis videtur, Xenoph. 1, 24 *θεῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν* (Herod. I 88 *ἐν πολλῇ προμηθίῃ εἶχε*), Theogn. 112 *μνῆμα δ' ἔχουσ' ἀγαθῶν*, 924 *μελέτην ἐχέμεν* (cf. Hes. Op. 457), 439 *ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν* (Herod. VII 207 *τὸν Ἰσθμὸν ἔχειν ἐν φυλακῇ*, I 57 *τοῦτον ἔχουσι ἐν φυλακῇ*), 676 *φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως*; 1114 *μνήμην εἰδότες* (idem quod *μνημονεύοντες*); Xenoph. 2, 19 *ἐν εὐνομίῃ πόλις εἴη* (i. q. *π. εὐνομοῖτο*), Theogn. 198 *αἰεὶ παρμόνιον τελέθει* (i. q. *αἰεὶ παραμένει*), 770 *σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν*; Sol. 13, 46 *φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν θέμενος* (i. q. *ψυχῆς οὐ φειδόμενος*; cf. *α* 116 *σκέδασιν . . θείη*, Soph. Ant. 151 *θέσθε λησμοσύναν*), Theogn. 364 *πρόφασιν . . θέμενος* (i. q. *προφασιζόμενος*; cf. ibid. 941), Tyrt. 12, 1 *ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην* (Herod. III 50 et alibi *ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιεῖσθαι*); Theogn. 1385 *ἣν μὴ . . δῷ λύσιν ἐκ χαλεπῶν*; 968 *γνώμης πολλὸν ἄρ' ἐκτὸς ἔβην* (i. q. *γν. π. . . ἐσφαλλόμην*).

## C. De vi verborum immutata.

Apud Homerum multa verba aliam vim habent quam apud recentiores scriptores, id quod iam Aristarchus, clarissimus ille grammaticus, de cuius studiis C. Lehrsii librum egregium conferas, perspexit. temporum enim longinquitas efficit, ut alia vocabula in vim longe aliam abeant, alia, quorum usus antiquissimis temporibus artioribus finibus circumscriptus erat, paulatim latius pateant, alia, quae olim vim ut ita dicam concretam habebant, ad rationes abstractas referantur et translate usurpentur. quod ex ipsis elegeis, quamquam poetae, qui eas scripserunt, reliquis proprius ad illius aetatem accedunt, intellegitur. sed antequam de immutata vi verborum quaestio instituatur, de paucis illis verbis, quorum notio omnibus locis elegearum eadem est atque in Homeri carminibus, agere in animo est. sunt autem haec:

*λαός*. hoc verbo apud Homerum aut ii significantur, qui in bello sub ducibus sunt, aut ii, qui in pace sub regibus sunt; notio 'populus' apud eum non invenitur; cf. Naegelsbach ad *A* 10. cum Homero poetae elegiaci, qui semper plurali numero utuntur, ita consentiunt, ut vox ea neque de populo, quod primum apud Pindarum factum est (cf. ex. gr. Ol. VIII, 30 *Δωριεῖ λαῷ*), neque de militibus umquam usurpetur; cf. Tyrt. 12, 24, Xenoph. 2, 15, Theogn. 53, 776.

*τάχα*, quod apud Homerum nusquam 'fortasse' significat (schol. vulg. *α* 251 *αὕτη ἡ λέξις οὐ τίθεται παρὰ τῷ ποιητῇ διστακτικῶς ὡς ἐν τῇ συνηθείᾳ, ἀλλ' ἑκάστοτε ἀντὶ τοῦ ταχέως*; cf. Lehrs² p. 92 sqq.). Theogn. 877 *τάχ' . . ἄλλοι ἔσονται*, quo uno loco id extat, item adverbium temporis est.

*τλήμων*. schol. ad *K* 231 *ἡ διπλῆ, ὅτι τλήμονα οἱ νεώτεροι τὸν ἀτυχῆ, ὁ δὲ Ὅμηρος τὸν τλητικόν, τὸν ὑπομενητικόν* (cf. Lehrs² p. 90). eodem sensu in elegeis Tyrt. 12, 18 (*θυμὸν τλήμονα*) et Theogn. 196 (*τλήμονα . . νόον*) id verbum adhibitum est.

*τρεῖν* et apud Homerum (cf. Lehrs² p. 77) et in elegeis est 'fugere' non 'timere'; legitur autem Tyrt. 11, 14, *τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή*.

*φόβος, φοβεῖσθαι*. his verbis apud Homerum notio fugiendi subiecta est; cf. Lehrs² p. 75 sq. poetarum elegiacorum iis solus Tyrtaeus usus est, qui maxime Homeri genus dicendi imitatur, illo 10, 16 *μηδὲ φυγῆς αἰσχρᾶς ἄρχετε μηδὲ φόβου*, hoc 11, 3 *μηδ' ἀνδρῶν πληθὺν δειμαίνετε, μηδὲ φοβεῖσθε*, quibus locis — ad *φοβεῖσθε* non est *πληθύν* supplendum — eadem vis quae apud Homerum conspicitur.

*ὧδε*. Apollon. lex. Hom. s. v. *ὧδε· κατὰ Ἀρίσταρχον οὐδέποτε συνήθως ἡμῖν κεῖται, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ οὕτως τάσσεται*. idem de omnibus quibus illud invenitur elegearum locis valet. nam quod Sitzler Theogn. 943 sq. *ἐγγύθεν αὐλητῆρος ἀείσομαι ὧδε καταστὰς | δεξιός . . .* vim alteram, qua latino 'hic' respondet, statuit, certo falsus est; cf. *ζ* 218, *ρ* 447 *στῆθ' οὕτω(ς)*.

Ut iam de mutata vi verborum exponamus, de ea re, quantum ad Theognidem pertinet, Kuellenberg l. c. pp. 9 sq. paucis egit, ita tamen, ut versus, quos Bergk a Theognideis separavit, neglexerit. verum non plus undecim ille verba, quibus infra litteram *K*. uncis inclusam adponam, ita immutata repperit, quamquam numerus eorum maior est. sed iam ea adscribam secundum litteras digesta. *ἀγαθός*. de huius verbi sensu, qui refertur ad rem publicam, itemque de verbis *ἐσθλός, κακός, δειλός, ἀρετή, κακότης* cf. Welcker Proleg. ad Theogn. pp. 21 sqq., qui etiam apud Homerum unum alterumve horum verborum compluries similem vim habere ostendit. — *ἄεθλον* Mimn. 11, 3 *τελέων χαλεπῆρες ἄεθλον* et

Xenoph. 2, 5 εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον, ὃ παγκράτιον καλέουσιν idem significat atque ἄεθλος, quam vim idem substantivum apud Hesiodum Op. 654 habet,[1]) numquam apud Homerum; cf. Lehrs l. c. p. 149 adnot. et M. Hecht in libro, quem inscripsit 'Die griechische Bedeutungslehre' p. 135. — ἀείρειν. hoc verbum Homerus semper de rebus, quae sensibus percipi possunt, usurpat: Theogn. 90 νεῖκος ἀειράμενος translate dictum est. — ἀεργός (ἀργός) et apud Homerum et apud Theognidem 1177 respondet latino 'segnis', Theogn. 583 sq. ἀλλὰ τὰ μὲν προβέβηκεν, ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι | ἀεργά vi passiva instructum est. — Ἀίδης, quod in antiquissimis carminibus epicis semper ad deum ipsum refertur, in elegeis modo ad deum modo (Tyrt. 12, 38 et Mimn. 2, 14 εἰς Ἀίδην; cf. hymn. Merc. 572) ad locum, quem ille incolit, spectat; cf. p. 159. — αἰόλος Sol. 11, 7 εἰς ἔπος αἰόλον (sc. δρᾶτε) primum translate adhibetur; cf. Pind. Nem. VIII 25 αἰόλῳ ψεύδει. — αἰχμή. Tyrt. 12, 36 verbis αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος belli laus significatur; cf. Pind. Pyth. I 66 κλέος . . . αἰχμᾶς. — ἀκρόπολις (K.). Theogn. 233 verba ἀκρόπολις καὶ πύργος in eandem sententiam dicta sunt, quam λ 556 πύργος habet; cf. Call. 1, 20 ὥσπερ γάρ μιν πύργον . . . δρῶσιν. — ἄκρος apud Homerum ubique ad res concretas refertur, non item apud Theognidem 594 τέλος ἄκρον, 620 ἄκρην . . . πενίης, Tyrt. 12, 43 ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι, quocum loco conferas Hes. Op. 289 sqq. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν | ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτὴν | καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται, . . . — ἀναγκαῖος Theogn. 297 sq. ἀναγκαίη δ' ἐπίμιξις | ἀνδρὸς τοιούτου et ibid. 472 πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιηρὸν ἔφυ vim singularem habet; illic enim de consuetudine molesta et obtrusa, hic de re, ad quam quis coactus adgreditur, dictum est. — ἀναιρεῖσθαι, si ei inest notio interficiendi, et ab Homeri et ab Hesiodi carminibus alienum est, non item ab elegeis, quod ex Theognidis v. 1125 adparet, qui est: ὃς δὴ καὶ μνηστῆρας ἀνείλετο νηλέι θυμῷ. — ἀποδιδράσκειν Theogn. 927 τὰ χρήματα πάντ' ἀποδραίη sensu translato dictum est, qui usus ab Homeri carminibus abest. — ἄπρηκτος Theogn. 1075 sq. πρήγματος ἀπρήκτου χαλεπώτατόν ἐστι τελευτὴν | γνῶναι, ὅπως μέλλει τοῦτο θεὸς τελέσαι 'infectus' significat, non ut reliquis locis Theognidis et apud Homerum 'quod fieri nequit'. — ἄρμενος apud Homerum et in hymnis semper idem est quod ἁρμόζων (Σ 600, ε 234, hymn. Merc. 110 legitur ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν (ἐν παλάμῃ), ε 254 ἐπίκριον ἄρμενον αὐτῷ); contra

[1]) En habes locum totum (654 sqq.): ἔνθα δ' ἐγὼν ἐπ' ἄεθλα δαΐφρονος Ἀμφιδάμαντος | Χαλκίδα τ' εἰσεπέρησα· τὰ δὲ προπεφραδμένα πολλὰ | ἆθλ' ἔθεσαν παῖδες μεγαλήτορες. unde ἄεθλον bis positum in eodem enuntiato vario sensu instructum esse adparet. ceterum errat Buchholz, cum ad Xenophanis locum adnotat ante hunc ἆθλον numquam pro ἆθλος dici; nam Hesiodi et Mimnermi loci eum fugerunt.

Theogn. 275 *παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις* et ibid. 695 *οὐ δύναμαί σοι, θυμέ, παρασχεῖν ἄρμενα πάντα* vim translatam habet, quae Hes. Sc. 84 *οἵ ῥά μιν ἠσπάζοντο καὶ ἄρμενα πάντα παρεῖχον*, Alcm. fr. 87, Pind. Ol. VIII 73 invenitur; cf. Sitzler l. c. (Festschrift) p. 41. — *ἄρουραν ἀροῦν* (K.) Theogn. 581 sq. *ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον ἄνδρα τε μάργον,* | *ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν.* quae imago, qua saepe poetae tragici usi sunt, hic primum invenitur. — *Ἀσκληπιάδαι* Theogn. 432 sunt medici; apud Homerum tantum singularis sensu proprio extat. — *βαίνειν* Theogn. 184 sq. *καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν* | *βήσεσθαι* (sc. *ἵππους*) vi translata legitur. — *βίος* primum apud Hesiodum (cf. ex. gr. Op. 31), postea apud Solonem 13, 72 sq. *οἳ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον,* | *διπλασίως σπεύδουσι* et paucis Theognidis locis de rebus ad vitam necessariis adhibetur. contra *βίοτος* et apud Homerum et in elegeis duplicem notionem habet, nisi quod apud illum ea vis, qua latino 'victus' respondet, multo saepius invenitur, in elegeis uno loco, Sol. 13, 50 *ξυλλέγεται βίοτον.* — *γαστήρ* Tyrt. 11, 24 *ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος* de scuto usurpatum invenitur. — *γλυκύς*, etsi etiam ab Homero translate dicitur, tamen semper ad res, nusquam ad homines refertur, quod factum est Theogn. 301. — *δηιοῦν* apud Homerum semper fere de pugnantibus, perraro de animalibus adhibetur vi caedendi instructum, apud Herodotum (V 89) et scriptores atticos de vastandis agris vel urbibus dici solet, cuius usus exemplum etiam Sol. 13, 21 *δηώσας καλὰ ἔργα* extat. — *διάγειν* (K.) 'traducere' Theogn. 766 *νόσφι μεριμνάων εὐφροσύνως διάγειν* est 'vitam agere' ut hymn. XX (XVIIII) 7, quo loco *αἰῶνα* accedit, et saepe apud Atticos. — *διέχειν* Theogn. 970 *ἑκὰς διέχω* intransitive dictum est ut saepe apud scriptores atticos, nusquam in Homeri carminibus, apud quem idem atque *διέρχεσθαι* significat. — *δόξα* antiquissimis temporibus rarissime invenitur; nam Hesiodus et hymnorum scriptores nusquam eo verbo utuntur, bis Homerus, *K* 324, *λ* 344 *ἀπὸ δόξης*, quibuscum locis conferas Theogn. 639 *πολλάκι πὰρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίνεται εὖ ῥεῖν.* sed ibid. 665 sq. *ἄφρονι πολλάκι δόξα* | *ἕσπετο* est idem quod 'gloria', 571 sq. *δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον·* | *πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν* verbo *πεῖρα* oppositum idem quod 'fama'. — *δρᾶν.* quod modo de verbo *δόξα* dixi, idem de hoc valet. nam verbum simplex apud Homerum tantum legitur *ο* 317, ibid. 324 *παραδρᾶν*, ibid. 333 *ὑποδρᾶν*, qui loci omnes, quod sane memorabile est, eiusdem sunt carminis. sed etiam propter vim, quae ei inest, notandum est; locis enim citatis de famulo ministrante usurpatur. in elegeis vero est 'facere'; cf. Sol. 37, 3 (trim.), Demod. 1, 2, Theogn. 954, 108, quo loco cum adverbio *εὖ* coniungitur. — *δυσηλεγής* Mimn. 7, 3 (repetitus Theogn. 795) *δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν* ad homines refertur, antea semper ad res. vide *Y* 154 *δυσηλεγέος πολέμοιο,*

*χ* 325 et hymn. Apoll. Pyth. *θάνατόν γε δυσηλεγέα*, Hes. Theog. 662 *δυσηλεγέος ἀπὸ δεσμοῦ*, Op. 506 *δυσηλεγέες* (sc. *πηγάδες*).[1) — *ἕζεσθαι* apud veteres poetas epicos semper proprie dicitur; contra Theogn. 11 sq. *Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων | εἵσαθ᾽* ... ad cultum Dianae ab Agamemnone institutum refertur; cf. Paus. I 43, 1 *καὶ Ἀρτέμιδος ἱερόν, ὃ Ἀγαμέμνων ἐποίησεν, ἡνίκα ἦλθε Κάλχαντα οἰκοῦντα ἐν Μεγάροις ἐς Ἴλιον ἕπεσθαι πείσων.* quae vis et his temporibus et postea saepe in eo verbo inest; cf. Herod. I 66 *ἱρὸν εἱσάμενοι*, Pind. Pyth. IIII 204 *ἕσσαντ᾽* . . . *τέμενος*, Apoll. Rhod. II 807 *εἴσομαι ἱερόν.* sed tamen hoc discrimen intercedit, quod id verbum reliquis locis ad templum similesque res refertur, apud Theognidem ad ipsum deae nomen idque in adlocutione. — *ἐκβάλλειν*, quod est 'eicere, excutere', Sol. 27, 1 sq. *παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων | φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ᾽ ἔτεσιν* de dentibus cadentibus dictum est. — *ἕλκειν*, quod saepe apud Homerum extat, semper vim propriam habet. quae etiam in Theognidis v. 201 invenitur, non item ibid. 30 *τιμὰς μηδ᾽ ἀρετὰς ἕλκεο μηδ᾽ ἄφενος.* — *ἕλκος* 'vulnus' Sol. 4, 17 *τοῦτ᾽ ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον* est 'malum, calamitas'; cf. Soph. 651 sq. *τί γὰρ γένοιτ᾽ ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ φίλος κακός;* — *ἔμφυλος.* hoc adiectivo Homerus utitur *ο* 272 sq. *ἄνδρα κατακτὰς ἔμφυλον* (virum eiusdem gentis). at Sol. 4, 19 *στάσιν ἔμφυλον* et Theogn. 51 *ἔμφυλοι φόνοι* (cf. Herod. VIII 3) idem est quod *ἐμφύλιος* (civilis), quam vocem Attici praeferre solent. — *ἐναντίος.* ubicumque Homerus et Hesiodus eo verbo utuntur, vis genuina, quae est localis, elucet. contra Sol. 37, 2 (trim.), quo uno loco traditur, est 'adversarius'. — *ἐντύειν (ἐντύνειν)* apud Homerum notione apparandi instructum est, Theogn. 196 (aliis locis non legitur) notione incitandi, ut Pind. Ol. III 28 aliisque locis. — *ἐξάγειν (K.)* est 'educere', Theogn. 413 sq. *οὐδέ με οἶνος | ἐξάγει, ὥστ᾽ εἰπεῖν δεινὸν ἔπος περὶ σοῦ* 'impellere', quae vis apud scriptores atticos saepe invenitur. — *ἐοικέναι.* quae est usitatissima huius vocabuli apud Homerum significatio, 'similem, parem esse', ea ab elegeis aliena est. altera vero, quae est 'videri', nondum apud Homerum, sed Theogn. 391 *κακὸν δέ οἱ οὐδὲν ἔοικεν* reperitur. cf. p. 195. — *ἐπέχειν.* Theogn. 1140 legitur *αἰὲν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα*, cui loco similis apud veteres poetas epicos nondum extat. apud Atticos vero saepe *ἔχειν* cum substantivo *νοῦς* aliisque coniungitur, aliquotiens etiam *ἐπέχειν* usurpatur, velut Plat. Leg. XI 926 b *καὶ ἐπὶ μείζοσι γάμοις τὴν διάνοιαν ἐπέχων.* — *ἐπιβάλλειν.* Theogn. 356 *εὖτέ σε καὶ τούτων μοῖρ᾽*

---

1) Quae in Papii lexico s. v. *δυσηλεγής* leguntur: 'Bei den Folgenden überhaupt = schmerzlich, unangenehm; *πηγάδες* Hes. Op. 504; *δεσμός*, schwer lastend, Theogn. 652; *πολῖται*, harte, unfreundliche, 793', perversa sunt. corrige: *πηγάδες* Hes. Op. 506; *δεσμός*, schwer lastend, Hes. Theog. 652; *πολῖται*, harte, unfreundliche, Theogn. 795.

ἐπέβαλλεν ἔχειν (verhängte) et 1188 εἰ μή μοῖρ' ἐπὶ τέρμα βάλοι translate dictum est; apud Homerum, ubi 'inicere, pervenire' significare solet, semel medium translate adhibitum est vi petendi instructum: *Z* 68 ἐνάρων ἐπιβαλλόμενος. — ἐπιρρέπειν Theogn. 157 Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλως transitive usurpatum est, apud Homerum *Ξ* 99 (alibi non extat) ἡμῖν δ' αἰπὺς ὄλεθρος ἐπιρρέπῃ intransitive (Eust. 969, 32 κάτω βαρύνῃ· ἔχει δὲ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ ἀσφαλὲς ἡ λέξις ἐκ τῶν ἀλλαχοῦ κειμένων ταλάντων τοῦ Διός). — ἐπιστρέφειν apud Homerum tantum *Γ* 370 legitur sensu proprio: ἕλκε δ' ἐπιστρέψας μετ' ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς, sensu translato apud Theognidem 1083 ἐπιστρέψαντα νόημα, 213 et 1071 φίλους κάτα (πρὸς) πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος.[1]) medium extat ibid. 648 ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται (cf. Hes. Theog. 753) et 440 τῶν δ'αὐτοῦ κηδέων οὐδὲν ἐπιστρέφεται (cf. p. 151). — ἐπιτέλλειν. huic verbo apud Homerum, sive activae sive mediae formae leguntur, semper notio mandandi inest; altera vero vis, quae est oriendi, primum apud Hesiodum Op. 383 invenitur: Πληιάδων . . . ἐπιτελλομενάων, deinde in hymni Merc. v. 371 ἠελίοιο . . . ἐπιτελλομένοιο. quibuscum locis Theogn. vv. 1275 sq. ὡραῖος καὶ Ἔρως ἐπιτέλλεται, ἡνίκα περ γῆ | ἄνθεσιν εἰαρινοῖς θάλλει ἀεξομένη conferri possunt, nisi quod hoc loco verbum id translate usurpatum est; cf. Aesch. Prom. 99 sq. πῇ πότε μόχθων | χρὴ τέρματα τῶνδ' ἐπιτεῖλαι. — ἐχθρός apud Homerum semper est 'invisus', in elegeis vero, in quibus multo saepius invenitur quam apud illum, idem quoque valet atque 'inimicus', veluti Sol. 13, 5 εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν et Theogn. 641 οὔ τοί κ' εἰδείης οὔτ' εὔνουν οὔτε τοι ἐχθρόν. eadem vis Hes. Op. 342 τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι statuenda esse videtur, non item altero loco, quo hic eo verbo utitur, Theog. 766 ἐχθρὸς (sc. Θάνατος) δὲ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν; hic enim est 'odiosus', quam vim etiam apud eos poetas elegiacos habet, qui ante Solonem fuerunt; cf. Tyrt. 10, 7 ἐχθρὸς (sc. ὁ πτωχεύων) μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται, ibid. 11, 5 sq. ἐχθρὰν μὲν ψυχὴν θέμενος, θανάτου δὲ μελαίνας | κῆρας . . . φίλας, Mimn. 1, 9 ἀλλ' ἐχθρὸς μὲν παισίν, ἀτίμαστος δὲ γυναιξίν, ibid. 5, 7 ἐχθρὸν (sc. γῆρας) ὁμῶς καὶ ἄτιμον. — ζωή Tyrt. 15 (est ἐμβατήριον) primum notione latini 'vita' instructum est: μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς. nam apud Homerum, qui verbo eo *ξ* 96, 208, *π* 429 utitur, ut scholiastae verbis utar, est ἡ πρὸς τὸ ζῆν οὐσία, apud Hesiodum non extat. ceterum observes velim uno illo loco Tyrtaei hanc vocem extare, reliquis locis cum verbo φείδεσθαι aliisque, quae vim contrariam habent, Homeri more substantivum

---

[1]) De sensu conferas Athen. VII 317 a ὁμοίως ἱστορεῖ καὶ Κλέαρχος ἐν δευτέρῳ περὶ παροιμιῶν παρατιθέμενος τάδε τὰ ἔπη οὐ δηλῶν, ὅτου ἐστί· πουλύποδός μοι, τέκνον, ἔχων νόον, Ἀμφίλοχ' ἥρως, | τοῖσιν ἐφαρμόζου, τῶν κεν κατὰ δῆμον ἵκηαι.

ψυχή coniungi; cf. Tyrt. 10, 14 *θνήσκωμεν ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι*, Sol. 13, 46 *φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν θέμενος*, Tyrt. 12, 18 *ψυχὴν . . . παρθέμενος*, Theogn. 568 *ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι*. — *ἡγεῖσθαι* antiquissimis temporibus nusquam latino 'putare' respondet. quae vis nescio an primum Theogn. 282 *ἡγεῖσθαί θ' ὡς καλὰ πάντα τιθεῖ* inveniatur; cf. p. 195. — *ἡγεμών (K.)* in Iliade est 'dux copiarum', in Odyssia 'dux itineris'. contra Sol. 4, 7 *δήμου θ' ἡγεμόνων ἄδικος νόος*, ibid. 6, 1 *δῆμος δ' ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο* itemque Theogn. 41 et 855 nobilitas, penes quam summa potestas est, intellegenda est, non, ut Kuellenberg vult, *δημαγωγοί*; cf. Zacher 'Mimnermea et Solonea' (Rudolpho Prinz Monasterium discessuro Palicolae Vratisl., a. 1882). — *ἦθος (K.)*. hoc voce Homerus ter, *Z* 511, *O* 268, *ξ* 411 — ubique extat pluralis — de stabulo animalium utitur; contra Hesiodus consuetam sedem hominum *ἤθεα λαῶν* dicit. sed apud hunc etiam translate usurpatur *ἦθος*, veluti Theog. 66 sq. *μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνὰ | ἀθανάτων κλείουσιν*, Op. 67 et 78 *ἐπίκλοπον ἦθος*; apud Theognidem vero, qui multis locis eo verbo utitur — plerumque singularis, 970 pluralis extat —, semper translate dicitur. — *ἡνίοχος*. proprie hoc verbo is significatur, qui habenas tenet. sed apud Homerum, quippe cui milites ex equo pugnantes ignoti sint, itemque apud Hesiodum semper ad aurigam in curru ipso sedentem refertur; apud Theognidem vero eques ipse intellegendus est; cf. 257 sqq. *ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, ἀλλὰ κάκιστον | ἄνδρα φέρω, καί μοι τοῦτ' ἀνιηρότατον· | πολλάκι δ' ἠμέλλησα διαρρήξασα χαλινὸν | φεύγειν ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον*; adde 1251 et 1268. — *θαυμάζειν* Theogn. 373 *Ζεῦ φίλε, θαυμάζω σε* et ibid. 191 *οὕτω μὴ θαύμαζε* non laudem continet, ut semper apud Homerum, sed vituperationem (sich verwundern), quocum usu ibid. 25 *οὐδὲν θαυμαστόν* compares. — *θέμεθλα* 'fundamentum, pars ima' Sol. 4, 14 *οὐδὲ φυλάσσονται σεμνὰ θέμεθλα Δίκης* idem valet atque *θεσμοί*, quod Sol. 36, 16 sqq. (trim.) *θεσμοὺς δ' ὁμοίους τῷ κακῷ τε κἀγαθῷ | . . . | ἔγραψα* legitur, sed sensu alio atque apud Homerum *ψ* 296 (alibi non extat) *λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο*. — *θυμῷ* Tyrt. 10, 13 *θυμῷ . . . μαχώμεθα*, adverbi instar est (fortiter); quocum loco cf. Xenoph. Cyr. inst. IIII 2, 21 . . *ἴωμεν ῥώμῃ καὶ θυμῷ ἐπὶ τοὺς πολεμίους*. — *θωρήσσειν (K.)*, apud Theognidem idem est quod *μεθύσκειν*, qua vi semel apud Pindarum (fr. 72), postea saepe, antea nusquam instructum est. ut proferam exemplum, Aristophanes Acharn. 1132 sqq. duplici vocis eius vi ex duplici notione substantivi *θώραξ*[1]) explicanda ludit dicens: Lam. *φέρε δεῦρο, παῖ, θώρακα πολεμιστήριον.* | Dic. *ἔξαιρε, παῖ, θώρακα κἀμοὶ τὸν χόα.* | Lam. *ἐν τῷδε πρὸς τοὺς πολεμίους θωρήξομαι.* |

[1]) Cf. Etym. Magn. 460, 35 sqq. *καὶ θώραξ ὁ δεκτικὸς τῆς τροφῆς τόπος· ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἐμπίπλασθαι οἴνου θωράσσεσθαι* (Boeckh recte *θωράσσεσθαι*) *λέγεται*.

Dic. *ἐν τῷδε πρὸς τοὺς συμπότας θωρήξομαι.* ceterum eodem modo hoc verbo Anacreon, Theognidis aequalis, usus esse fertur[1]; cf. p. 158. — *ἰαχή* in Iliade uno loco excepto (*O* 275 *ὑπὸ ἰαχῆς* sc. canum et venantium) semper de pugnantibus usurpatur, in Odyssia, in qua tantum *λ* 43 legitur, de mortuis. quod autem de Iliade valet, idem in Hesiodi carmina cadit. non consentire cum his Theognidem ex vv. 778 sq. *τερπόμενοι κιθάρῃ* . . . | *παιᾶσίν τε χορῶν ἰαχῇσί τε σὸν περὶ βωμόν* adparet. — *ἱμερόεις* apud Homerum semper ad res pertinet, apud Hesiodum et hymnorum scriptores et Theognidem etiam ad animantes; sed tamen hoc interest, quod in Hesiodi carminibus et in hymnis homericis solae deae *ἱμερόεσσαι* dicuntur, apud Theognidem id verbum semel cum voce *Πλοῦτος* coniungitur, 1117 *Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε,* semel cum voce *παῖς,* 1365 *ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε.* — *καθάπτεσθαι* apud Homerum semper est 'compellare, increpare' et cum dativo *ἐπέεσσιν* copulari solet. quae vis etiam apud Hesiodum Op. 332, qui alio loco eo verbo non utitur, statuenda est. sed Sol. 32, 2 sq. (tetram.) *τυραννίδος δὲ καὶ βίης ἀμειλίχου* | *οὐ καθηψάμην* idem significat atque *ἅπτεσθαι* translate de eo, qui tyrannidem non adpetit, dictum; cf. p. 149. — *καθαρός* duobus locis Theognidis, 89 *καθαρὸν* . . . *νόον* et 197 sq. *χρῆμα δ', ὃ μὲν Διόθεν καὶ σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται* | *καὶ καθαρῶς* vim translatam habet, cuius usus vestigium *χ* 462 *καθάρῳ θανάτῳ* (Eust. 1934, 5 *ἐπεὶ γὰρ καθαρὸς μὲν ὁ διὰ ξίφους ἐδόκει θάνατος, μιαρὸς δὲ ὁ ἀγχονιμαῖος . .*) invenitur. ceterum cf. Hes. Op. 337 et hymn. Apoll. Del. 121. — *καίριος.* hoc verbum ab Odyssia et Hesiodi carminibus alienum est, in Iliade ad significandum eum locum corporis, qui ad mortem inferendam opportunus est, adhibetur, ac semper *καίριον* legitur. contra Theognis 341 dixit *ἀλλὰ Ζεῦ τέλεσόν μοι Ὀλύμπιε καίριον εὐχήν.* — *καθύπερθεν* apud Homerum passim legitur, sed semper ad locum spectat. aliter autem comparatus est Theognidis v. 679 *κακοὶ δ' ἀγαθῶν καθύπερθεν,* quocum loco conferas Herod. V 69 *πολλῷ κατύπερθε τῶν ἀντιστασιωτέων* aliaque exempla, quae apud Herodotum et recentiores scriptores inveniuntur. — *καρπός* Mimn. 2, 7 sq. *μίνυνθα δὲ γίγνεται ἥβης* | *καρπός* primum translate dictum est; cf. Pind. Pyth. VIIII 109 sq. *Ἥβας* | *καρπόν.* — *καρτερός* Theogn. 480 *τῆς αὑτοῦ γλώσσης καρτερός* idem est quod *ἐγκρατής,* quod a numeris dactylicis abhorrere p. 147 dictum est; cf. Archil. 26. — *καταθύμιος* quid apud Homerum significet, quid apud recentiores scriptores, ex his schol. *A* ad *P* 201 verbis adparet: . . . *ἀντὶ τοῦ κατὰ ψυχήν ἐστιν* (schol. *A* ad *K* 383 *καταθύμιος ἐνθύμιος, οὐχ ὡς ἡμεῖς*), *οὐ μεριμνᾶς περὶ*

---

[1]) Schol. Aristoph. Acharn. 1333: *διὰ τὸ θερμαίνειν οὖν τὸ στῆθος θωρήσσειν λέγουσι τὸ μεθύειν καὶ ἀκροθώρακας τοὺς ἀκρομεθύσους ἐκάλουν. κέχρηται δὲ τῇ λέξει καὶ Ἀνακρέων. ἔστι δὲ Ἀττική.*

τοῦ θανάτου. ἡμεῖς δὲ ἐν τῇ συνηθείᾳ λέγομεν καταθύμιον τὸ ἀρεστόν. haec altera vis primum apud Eumelum (cf. Bergk III[4] p. 6) invenitur τῷ γὰρ Ἰθωμάτᾳ καταθύμιος ἔπλετο Μοῖσα (cf. Ψ 548 καί τοι φίλος ἔπλετο θυμῷ, ubi verba φίλος θυμῷ idem significant, quod apud recentiores scriptores καταθύμιος), post Eumelum apud Theognidem 617 οὔτι μάλ' ἀνθρώποις καταθύμια πάντα τελεῖται, 1086, 1238, 1283 (aliis elegearum locis non extat) et Herod. V 39 καὶ ἐούσης ταύτης οἱ καταθυμίης; cf. Lehrs[2] p. 146, Sitzler l. c. p. 38. — κείρειν Theogn. 892 Ληλάντου δ' ἀγαθὸν κείρεται οἰνόπεδον ut saepe apud Herodotum (cf. VI 75 ἐσβαλὼν ἔκειρε τὸ τέμενος τῶν θεῶν) et recentiores scriptores de terra vastanda usurpatur. quocum usu, quia, si ἡ χώρα κείρεται dicitur, arbores et fruges, quae caeduntur, intellegendae sunt, quodammodo Ω 450 δοῦρ' ἐλάτης κέρσαντες componi potest, sed terrae ipsius nomen nusquam in veteribus carminibus epicis pro obiecto est. — κέντρον Sol. 36, 18 sqq. (trim.) κέντρον δ' ἄλλος ὡς ἐγὼ λαβὼν | κακοφραδής τε καὶ φιλοκτήμων ἀνὴρ | οὔτ' ἂν κατέσχε δῆμον in eandem sententiam dictum est, in quam apud Sophoclem fr. 618 *(N.)* λαβὼν πανοῦργα χερσὶ κέντρα κηδεύει πόλιν. — κηδεμών *(K.)* Theogn. 360 παύρους κηδεμόνας σῆς κακότητος ἔχεις is est, qui curam habet alicuius rei, apud Homerum is, qui funus curat. — κοῦφος Sol. 11, 6, Theogn. 498, 580 cum verbo νόος, Sol. 13, 36 cum verbo ἐλπίς coniungitur. translate igitur usurpatum est, cuius usus exemplum nullum ante Solonem extare videtur. ceterum conferas Theogn. 629 ἥβη καὶ νεότης ἐπικουφίζει νόον ἀνδρός. — κῦμα Tyrt. 12, 22 σπουδῇ τ' ἔσχεθε κῦμα μάχης primum sensu non proprio intellegendum est; cf. Aeschyl. Sept. 64 κῦμα χερσαῖον στρατοῦ. — λέγειν apud Homerum nondum est 'dicere', sed 'legere, in numero habere, enumerare, enarrare', nisi quod enumerandi vis excepto *B* v. 222 ὀξέα κεκληγὼς λέγ' ὀνείδεα — spurium hunc versum esse iudicavit Zenodotus — tantum in Odyssia invenitur. eadem notio apud Hesiodum Theog. 27 sq. (alibi non extat) ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα, | ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα γηρύσασθαι statuenda est et Tyrt. 11, 15 οὐδεὶς ἄν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἕκαστα. contra dicendi significatio ante Phocylidem non invenitur, apud quem 7, 2 ἀγρὸν γάρ τε λέγουσιν Ἀμαλθείης κέρας εἶναι legitur. cui loco adde Xenoph. 7, 4 et nonnullos locos Theognidis, apud quem 1130 (οἵ με λέγουσι κακῶς) adverbium accedit, quem usum apud recentiores scriptores late patere constat. praeterea observes quaeso etiam ab hymnis excepto hymn. XXXIIII (XXXIII) v. 5 vim dicendi abesse. — λόγος. hoc verbo apud Homerum, qui eo tantum *O* 393 et *α* 56 utitur, narrationes significantur. atque posteriore loco αἱμύλιος praecedit, quod adiectivum etiam hymn. Merc. 317 — aliis hymnorum locis λόγος non invenitur — et Hes. Op. 78, 789, Theog. 890 cum eo substantivo coniungitur. restant, quantum ad antiqua carmina epica pertinet, Hes. Theog. 229

(*ψευδέας τε Λόγους*) et Op. 106 *ἕτερόν τοι ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω*, quo loco, quem grammatici spurium esse putant, primum singularis invenitur. idem numerus extat Tyrt. 12, 1 *οὔτ' ἂν μνησαίμην οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην*. qui versus hanc quoque ob causam memorabilis est, quod hic *λόγος* primum in periphrasi dicitur. alterum eius usus exemplum legitur Theogn. 418 *ὑπερτερίης . . . λόγος* (cf. p. 146). praeterea numerum singularem habes Xenoph. 6, 1 *νῦν αὖτ' ἄλλον ἔπειμι λόγον* (narrationem) et Theogn. 1055 *ἀλλὰ λόγον μὲν τοῦτον ἐάσομεν* (sermonem), aliis Theognidis locis pluralem. — *μάγρος* (*K.*). apud Homerum hoc verbo homo stultus et demens significatur: Theogn. 581 sq. *ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον ἄνδρα τε μάγρον*, | *ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν* idem est quod *λάγνος*.[1]) — *μνῆμα* (*K.*) Theogn. 112 *μνῆμα δ' ἔχουσ' ἀγαθῶν* vim vocis *μνήμη* habet. — *μυχός* i. q. *ἐνδότατος τόπος* (cf. Etym. Magn. 596, 13 sq.) Xenoph. 2, 22 *οὐ γὰρ πιαίνει ταῦτα μυχοὺς πόλεως* ita usurpatur, ut locus, ubi thesauri reponuntur, significetur. — *διζυρός*. hoc verbo Theogn. 65 *διζυρῶν φρένας ἀνδρῶν* non miseros homines, sed detestabiles significari Welcker intellexit; cf. Sitzleri commentatio quae inscribitur 'Studien zum Elegiker Theognis' (Programm des Gymnasiums zu Tauberbischofsheim, 1885) p. 17. — *οἰκεῖν*, quod est 'habitare, incolere', Phoc. 5, 1 sq. *καὶ τόδε Φωκυλίδεω· πόλις ἐν σκοπέλῳ κατὰ κόσμον* | *οἰκεῦσα σμικρὴ κρέσσων Νίνου ἀφραινούσης* in eandem sententiam dictum est, quam Plat. Leg. III 702 a habet, ubi *πῶς ποτ' ἂν πόλις ἄριστα οἰκοίη* legitur. — *οἰμώζειν*. hoc verbum in Homeri carminibus semper intransitive usurpatur, ut idem sit quod 'lamentari'. quare fit, ut nusquam passivum legatur. contra Theogn. 1203 sq. *οὐδ' ἐπὶ τύμβῳ* | *οἰμωχθεὶς ὑπὸ γῆν εἶσι τύραννος ἀνήρ* vim transitivam habet, id quod ex forma passiva adparet. obiectum autem primum accedit Tyrt. 7, 1 *δεσπότας οἰμώζοντες*; cf. p. 140. — *ὀλίγος καὶ μέγας* Call. 1, 17 *τὸν δ' ὀλίγος στενάχει καὶ μέγας* (hoch und niedrig) translate usurpatur, cuius usus alterum exemplum ante Theocritum extat nullum; cf. Bernhardy Hist. litt. gr. II 1³ 485. — *ὁμιλεῖν* apud Homerum de pugnantibus dici solet, quae vis ab elegeis aliena est. in his enim idem valet atque 'uti aliquo'. sane apud Homerum quoque vim alteram habet, verum non de perpetua consuetudine usurpatur, sed respondet latino 'versari'; cf. p. 156. — *ὀνομαστός* (*K.*). in antiquis carminibus epicis semper *οὐ* praecedit ita, ut notio 'infandus' in verbis *οὐκ ὀνομαστός* insit. ab hoc usu recedit Theogn. 23 *πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστός*; cf. Pind. Pyth. I 38 multique alii loci, qui apud scriptores re-

---

[1]) Kuellenberg *μάχλος* conferri iubet; sed hoc verbum de feminis usurpari solet, de viris *λάγνος*; cf. Lobeck ad Phryn. Ecl. p. 184.

centiores inveniuntur. — *ὀρθοῦν* Theogn. 759 sq. *αὐτὰρ Ἀπόλλων | ὀρθώσαι γλῶσσαν καὶ νόον ἡμέτερον* translate dictum est: apud Homerum notionem erigendi habet. — *οὐδείς* Theogn. 170 *ἀνδρὸς δὲ σπουδὴ γίνεται οὐδεμία* idem est quod *μάταιος*. — *ὄψ*. Theogn. 532 legitur *αὐλῶν . . . ὄπα*, apud Homerum vero *ὄψ* de animantibus dicitur. — *παλάμη* Theogn. 624 *παντοῖαι δ' ἀρεταὶ καὶ βιότου παλάμαι* et 1028 *τοῦ δ' ἀγαθοῦ χαλεπή, Κύρνε, πέλει παλάμη* non proprie intellegendum est. — *παραμείβεσθαι* apud Homerum tantum ζ 310 *(τὸν παραμειψάμενος)* extat et ad locum spectat, ut hymn. Apoll. Pyth. 231 *παρημείβοντο Μάλειαν* et Theogn. 709 *πύλας παραμείψεται*. sed Mimn. 2, 9 *αὐτὰρ ἐπὴν δὴ τοῦτο τέλος παραμείψεται ὥρης* et ibid. 3, 1 *ἐπὴν παραμείψεται ὥρη* ad tempus refertur, quod primum fit Hes. Op. 409 *ἢ δ' ὥρη παραμείβηται;* cf. Theogn. 985 *παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη*, de quo loco idem dicendum est; nam ab Homero ne *παρέρχεσθαι* quidem cum nominibus, in quibus temporis significatio inest, coniungitur. — *πάσχειν*, quamquam saepe in Homeri carminibus invenitur, tantum de rebus adversis usurpatur, quod etiam de Hesiodi carminibus valet. sed in elegeis saepissime adiectiva et adverbia, quae ab illa vi abhorrent, accedunt, veluti Tyrt. 12, 38 *πολλὰ δὲ τερπνὰ παθών*, Archil. 8, 2 *μάλα πόλλ' ἱμερόεντα πάθοι*, Sol. 24, 4 (repetitus Theogn. 722) et Theogn. 474 *ἁβρὰ παθεῖν*; cf. Sitzleri index, ubi reliqui loci congesti sunt. — *πατάσσειν* apud Homerum est 'pulsare', contra Theogn. 1199 *καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν* obiectum accedit; cf. p. 140. — *πένεσθαι* in antiquis carminibus idem significat quod 'laborare' vel, si obiectum accedit, idem quod 'curare'; altera vero vis, quae est 'pauperem esse', primum in elegeis invenitur; cf. Sol. 15, 1 *πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται*, Theogn. 929 sq. *εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι, | παῦροι*. — *περιβάλλειν*. quam vim hoc verbum Sol. 33, 3 (tetram.) *περιβαλὼν δ' ἄγραν* habet, ea apud Homerum non invenitur; cf. cum Solonis loco Herod. I 141. — *περίδρομος* (K.). Theogn. 581 dicitur mulier, quae corpus vulgat. — *πιστός* (K.) apud Homerum et Hesiodum idem valet quod 'fidus, certus', quam vim etiam in elegeis habere solet. sed Theogn. 283 *ἀστῶν μηδενὶ πιστὸς ἐὼν πόδα τῶνδε πρόβαινε* non differt a verbo *πίσυνος*, quod in proximo versu legitur. ceterum cf. Aesch. Prom. 949, Pers. 56, Soph. Oed. C. 1031. — *πλησίος* Theogn. 221 sq. *ὅστις τοι δοκέει τὸν πλησίον ἴδμεναι οὐδέν, | ἀλλ' αὐτὸς μοῦνος ποικίλα δήνε' ἔχειν* et 611 *οὐ χαλεπὸν ψέξαι τὸν πλησίον* ita usurpatur, ut loci significationem evanuisse atque *πλησίος* eandem vim quam *ἄλλος* accepisse videas; cf. Soph. Ant. 707 sqq. *ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ | ἢ γλῶσσαν ἣν οὐκ ἄλλος ἢ ψυχὴν ἔχειν, | οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί*. — *ποιητός* Theogn. 435 *εἰ δ' ἦν ποιητόν τε καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα* non idem valet quod 'factum', sed id significat, quod fieri potest. — *ποικίλος* (K.). Homerus hoc

vocabulo de rebus inanimis utitur. translata vero vis, quam apud illum *ποικιλομήτης* continet, primum apud Hesiodum invenitur (Theog. 510 sq. *ἠδὲ Προμηθέα ποικίλον, αἰολόμητιν*), post hunc apud Theognidem 213 (cf. 1071), 222, 224. vide quaeso ea, quae supra p. 222 de adiectivo *αἰόλος* dicta sunt. — *πόλεμος*. hoc verbo apud Homerum non bellum, sed pugnam sive proelium significari constat. contra Call. 1, 3 sq. *ἐν εἰρήνῃ δὲ δοκεῖτε | ἧσθαι, ἀτὰρ πόλεμος γαῖαν ἅπασαν ἔχει* opponitur voci *εἰρήνῃ* idemque habes Theogn. 885 sq. *εἰρήνη καὶ πλοῦτος ἔχοι πόλιν, ὄφρα μετ' ἄλλων | κωμάζοιμι· κακοῦ δ' οὐκ ἔραμαι πολέμου*; cf. praeterea Sol. 4, 19 et Theogn. 764. neque vero altera vis ab elegeis abest, veluti Call. 1, 10 sq. *ἔγχος ἀνασχόμενος καὶ ὑπ' ἀσπίδος ἄλκιμον ἦτορ | ἔλσας τὸ πρῶτον μιγνυμένου πολέμου*, Tyrt. 12, 10 sq. *οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ, | εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα*, ibid. 12, 20, Mimn. 14, 7. verum post Mimnermum is usus formulis quibusdam homericis continetur; cf. Theogn. 549 *ἄγγελος ἄφθογγος*[1] *πόλεμον πολύδακρυν ἐγείρει* (*Γ* 165 *πόλεμον πολύδακρυν*, *Υ* 31 *πόλεμον δ' ἀλίαστον ἔγειρεν*), ibid. 889 sq. *ἀλλ' αἰσχρὸν παρεόντα καὶ ὠκυπόδων ἐπιβάντα | ἵππων μὴ πόλεμον δακρυόεντ' ἐσιδεῖν* (cf. *E* 737). — *πολιός* ab Homero de rebus ut ita dicam concretis usurpatur, non item Theogn. 174 *γήρως πολιοῦ*; cf. Anacreonteorum 51, 7 *πολιὸν δὲ γῆρας ἐκδύς*. — *πρῆξις* apud Homerum — ab Hesiodi carminibus id alienum est — modo idem est quod 'negotium' (*γ* 82 *πρῆξις δ' ἥδ' ἰδίη, οὐ δήμιος*) modo idem quod 'effectus' (*Ω* 524 *οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται . . . γόοιο*; cf. *Ω* 550 *οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος*, quo loco non substantivum, sed verbum legitur. cum v. *Ω* 550 conferri potest Theogn. 1027 *ῥηιδίη τοι πρῆξις ἐν ἀνθρώποις κακότητος*. contra ibid. 73 *πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνεο πᾶσιν* idem est atque *πρῆγμα* similiterque comparatus est eiusdem v. 1026, ubi pluralis extat. — *πρόγονοι*. hac voce scriptores antiquissimi perraro usi sunt. nam Hesiodus eam nusquam, Homerus tantum *ι* 221 adhibuit. neque in elegeis praeter Call. 1, 13 *οὐδ' εἰ προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων* invenitur. quo loco vim usitatam habet, non item apud Homerum, a quo de ovibus maioribus natu dictum est. — *πτήσσειν* Theogn. 1015 *πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι* significat idem quod *τρομεῖν*, quo verbo Homerus pro illo utitur; nam apud hunc *πτήσσειν* est 'terrorem inicere'; cf. p. 140. — *πτωχεύειν* intransitive dici solet; sed apud Homerum etiam *πτωχεύειν δαῖτα* invenitur, apud Theognidem 922 obiectum persona continetur: *πτωχεύει δὲ φίλους πάντας*, quocum loco compares *υ* 179 *ἀνέρας αἰτίζων* (mendicando adiens viros); cf. p. 141. —

---

[1]) Quid sibi velint haec verba, adparet ex Aesch. Suppl. 186 *ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ*.

*πυθμήν* apud Homerum et Hesiodum de ima parte arboris vel vasis usurpatur. contra Hes. Theog. 931 sq. *θαλάσσης* | *πυθμένα* legitur, in elegeis *πυθμήν* semper ad aquam refertur; cf. Sol. 13, 19 sq. *πόντου* . . . | *πυθμένα κινήσας*, Theogn. 1035 *ἐς πυθμένα λίμνης*. — *σαίνειν* ut apud Pindarum recentioresque scriptores ita etiam Theogn. 1327 sq. *ὦ παῖ, ἕως ἂν ἔχῃς λείαν γένυν, οὔποτε σαίνων* | *παύσομαι* non proprio usurpatum est sensu. — *σοφία*. hoc verbo Homerus usus est tantum *O* 410 sqq. *ἀλλ' ὥστε στάθμη δόρυ νήιον ἐξιθύνει* | *τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος, ὅς ῥά τε πάσης* | *εὖ εἰδῇ σοφίης ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης*. quid autem hoc loco significet, ex schol. V adparet: *ὅτι ἅπαξ ἐνταῦθα σοφίαν ὠνόμασε καὶ οὐ τὴν λογικὴν ἀλλὰ τὴν τεκτονικὴν τέχνην*. item hymn. Merc. 482 sq. *ὃς γὰρ ἂν αὐτὴν* | *τέχνῃ καὶ σοφίῃ δεδαημένος ἐξερεείνῃ* et ibid. 511, quem locum spurium esse putant, de artifice dictum est. ad quos locos, quantum ad veteres poetas epicos pertinet, accedit Hes. fr. CXXXIII *παντοίας σοφίας δεδαηκότα* (sc. *κιθαριστὴν Λίνον*). alius autem locus non extat. *σοφός* vero in his carminibus omnino non legitur, sed primum Margit. fr. 2 (Kinkel), Archil. 45, Alcm. 9 itemque multis locis Theognidis, qui simul verbum *σοφία*, quod in elegeis ante eum Sol. 13, 52 et Xenoph. 2, 12 et 14 invenitur, saepe adhibuit. neque vero apud hos vis eius tam artis finibus circumscripta est quam apud poetas epicos. nam Solonis loco poeta dicitur *ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος*, apud Xenophanem *σοφία* corporis virtutibus opponitur. atque item apud Theognidem id verbum ad animi virtutes spectare solet. — *σπουδῇ*. duplicem huius verbi notionem esse constat; nam et idem est quod *μόλις, μόγις* et idem quod *ταχέως, ῥαδίως*. atque illam quidem vim in Homeri carminibus habet, hanc uno Odyssiae loco (*ο* 209), quem recentissimum esse grammatici putant, hymn. Merc. 305, denique Tyrt. 12, 21 sq., quo uno elegearum loco invenitur, *αἶψα δὲ δυσμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας* | *τρηχείας, σπουδῇ τε ἔσχεθε κῦμα μάχης*. — *στέφανος*. antiquissimis poetis coronae ex floribus virgulisve factae ignotae sunt, et quod *N* 736 legitur *πάντῃ γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηεν*, vim vocabuli *στέφανος* longe aliam esse adparet; cf. schol. *A* ad h. l. item a verbis *στεφανοῦν, στεφάνη, εὐστέφανος, καλλιστέφανος* (cf. Tyrt. 2, 1) vis illa abest. quod de Hesiodi quoque Theogonia valet, cum vv. 576 sq. *ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνους νεοθηλέας ἄνθεσι ποίης* | *ἱμερτοὺς περίθηκε καρήατι Παλλὰς Ἀθήνη* certo spurii sint, quod ex ipsis versibus proximis: *ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκε,* | *τὴν αὐτὸς ποίησε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις* adparet. coronarum florearum Stasinus mentionem fecit in carmine quod *Κύπρια* inscripsit (cf. Athen. XV 682 f) itemque illae ei, qui Hes. Op. vv. 69—82 condidit — Lehrsio hi versus non videntur ex antiquissimis esse — et hymnorum scriptoribus et poetis elegiacis notae erant. quod praeter locum citatum ex his intellegitur: hymn. VI (V) 18 *ἰοστε-*

φάνου [1]) Κυθερείης, Sol. 19, 4 Κύπρις ἰοστέφανος, Theogn. 1304, 1332, 1383, quibus locis eadem dea violis redimita esse dicitur, ibid. 250 Μουσάων ... ἰοστεφάνων. accedit στέφανος Xenoph. 1, 2 πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεῖ στεφάνους et Theogn. 828 ξανθῇσίν τε κόμαις πορφυρέους στεφάνους et στεφάνωμα, quod verbum in antiquis carminibus epicis non invenitur, Theogn. 1001 sq. στεφανώματα δ' εἴσω | εὐειδὴς ῥαδιναῖς χερσὶ Λάκαινα κόρη. — συγκυρεῖν Ψ 435 (alibi non extat) proprie dictum est: μή πως συγκύρσειαν ὁδῷ ἔνι μώνυχες ἵπποι; contra Theogn. 697 sq. ἢν δέ τι δεινὸν | συγκύρσῃ eam vim habet, quae apud Herodotum aliosque scriptores recentiores passim invenitur. — συμμίσγειν apud Homerum semel extat (*B* 753) atque sensu proprio dictum est, qui etiam paucis elegearum locis statuendus est. aliis autem locis, quos p. 156 congessi, id verbum vim translatam habet. — συντίθεσθαι, quod apud Homerum latino 'animum advertere' respondet, Theogn. 306 ἀλλ' ἄνδρεσσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίην alia vi instructum est. hic enim idem valet quod 'conciliare' ut Xenoph. Anab. II 5, 8, ubi idem obiectum accedit. — σῶμα apud Homerum (cf. Lehrs[2] p. 86) notionem latini 'cadaver' habere constat. contra Theogn. 650 (alibi non extat) σῶμα καταισχύνεις καὶ νόον idem est quod 'corpus'; eadem vis iam Hes. Op. 540 ἀειρόμεναι κατὰ σῶμα statuenda est. pro quibus verbis Homerus ἀ. κατ' αὐτόν dixisset; cf. Α 3 sq. πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν | ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. — ταμίης. hoc verbum Theogn. 504 ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης et 1186 οἳ τούτων ἀμφοτέρων ταμίαι idem valet atque ἐγκρατής, quod adiectivum a numeris dactylicis abhorrere p. 148 dixi. — τελευτᾶν Sol. 13, 15 φλαύρη μὲν τὸ πρῶτον, ἀνιηρὴ δὲ τελευτᾷ intransitive usurpatum est, cuius usus apud Homerum exemplum extat nullum. — τέρμα cum his genetivis consociatum legitur: Tyrt. 14 ἀρετῆς ... τέρμασιν, Sol. 13, 71 πλούτου ... τέρμα, Theogn. 1300 sq. τέρμα ... ὀργῆς; quibus locis similes postea satis multi extant. sed Homerus id substantivum tantum cum verbis, in quibus loci significatio inest, coniungit. — τίσις, cum vox quae dicitur media sit — respondet enim nostro 'Vergeltung' —, et in bonam et in malam partem sumi potest. sed prior vis cum omnino raro tum nusquam in Homeri carminibus invenitur. extat tamen Theogn. 337 Ζεύς μοι τῶν τε φίλων δοίη τίσιν. — τρηχύς. hoc adiectivum Tyrt. 12, 22 (φάλαγγας) | τρηχείας translate dictum est; cf. Hes. Scut. Herc. 119 ὑσμίνη τρηχεῖα. — τρύχειν. ex sententiarum conexu adparet Theogn. 913 ἢ μηδὲν δαπανῶν τρύχω βίον ἐν κακότητι verbis βίον τρύχειν non idem significari atque verbis οἶκον τρύχειν, sed idem quod latine dicitur 'misere vitam agere'. — ὑπερβάλλειν Theogn. 479 ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον non proprie intellegendum

---

[1]) Tres codices Parisini ἰνστεφάνου praebent, quam scripturam quidam receperunt.

est. — *ὑπερέχειν* Theogn. 202 *θεῶν δ' ὑπερέσχε νόος* idem est atque 'superiorem esse', quae notio postea saepe in ea voce inest. — *ὑπερτερίη (K.)*. hoc verbo apud Homerum superior pars currus significatur, apud Theognidem 418 *ὑπερτερίης . . . λόγος* idem valet quod 'praestantia'. — *ὑπομένειν* Theogn. 1127 *ἥ μιν δήθ' ὑπέμεινε* idem est quod 'manere aliquem', quam vim apud Homerum non verbum compositum, sed simplex habet; cf. La Roche l. c. § 80. — *ὑποχείριος* ο 448 *(ἅπαξ εἰρ.) οἴσω γὰρ καὶ χρυσόν, ὅ τίς χ' ὑποχείριος ἔλθῃ* proprie intellegendum est (i. q. *ὑπὸ χεῖρας)*; contra Theogn. 363 *ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ*, id quod post Homerum passim fit, de eo usurpatur, qui in potestate alicuius est. — *φθέγγεσθαι (K.)* apud Homerum et Hesiodum semper ad hominum vocem spectat. in elegeis vero etiam ad res refertur: Theogn. 532 *αὐλῶν φθεγγομένων*, 761 *φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος ἠδὲ καὶ αὐλός*, quibuscum locis hymn. Merc. v. 484 comparandus est. — *φιλεῖν* Theogn. 265 sq. *ἐφίλησα | δειρήν* vim osculandi habet, quae ab antiquis carminibus epicis aliena est. — *(κατὰ) φρένας*. haec verba Sol. 4, 1 sq. *ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται | αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων* coniuncta leguntur et ad consilium spectant. apud Homerum vero *κατὰ φρένα(ς)* cum verbis deliberandi aliisque copulatum ad locum refertur. — *φυγή* Theogn. 209 sq. *οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος· | τῆς δὲ φυγῆς ἐστιν τοῦτ' ἀνιηρότατον* idem quod 'exilium' significat, quae notio in antiquis carminibus epicis nondum extat. — *φῦναι* Theogn. 425 *πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον* et 427 *φύντα . . . πύλας Ἀίδαο περῆσαι* de homine usurpatur, quod neque apud Homerum neque apud Hesiodum umquam fit. conferri tamen potest *Z* 149 *ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡ δ' ἀπολήγει*, ubi forma activa pro media posita est. quod de voce *φῦναι* dictum est, idem cadit in formam *φῦσαι* Theogn. 429 *φῦσαι καὶ θρέψαι ῥᾷον βροτόν*. — *χαρίζεσθαι* Theogn. 841 *οἶνος ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα χαρίζεται* eandem vim habet quam 'gratum esse'. apud Homerum autem aliosque scriptores tantum perfecti et plusquamperfecti formae ea notione instructae sunt, veluti *Υ* 298 sq. *κεχαρισμένα . . . δῶρα*, ζ 23 *κεχάριστο δὲ θυμῷ*. — *χρήζειν*, quod verbum apud Homerum egendi vim habet, Sol. 13, 44 *χρήζων οἴκαδε κέρδος ἄγειν* latino 'cupere' respondet ideoque cum infinitivo consociatum est. — *χρῆμα*. hoc substantivum neque in Iliade neque in Hesiodi Theogonia et Scuto Herculis invenitur, in Odyssia semper ad opes vel res ad victum spectantes pertinet. sed post Homerum eius vis minus artis finibus circumscripta est, quod ex Hes. Op. v. 344, ubi primum singularis extat, hymn. Merc. v. 332 multisque locis Theognideis intellegitur. — *ψυχή*. novum est, quod Theogn. 910 legitur: *καὶ δάκνομαι ψυχήν* (cf. ibid. 530). nam apud antiquissimos scriptores *ψυχή* idem valet atque 'spiritus, vita, anima'. quid vero veteres poetae epici locis Theognidis versui 910 similibus pro

verbo ψυχή dixerint, adparet ex his locutionibus: *E* 493 *δάκε δὲ φρένας Ἕκτορι μῦθος*, Hes. Theog. 567 *δάκεν δέ ἑ νειόθι θυμόν*, Op. 451 *κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω*.

Perducta iam ad finem hac dissertationis particula si paucis complectimur ea, de quibus egimus, hoc maxime inter veteres poetas epicos et elegearum scriptores interesse adparet, quod apud illos multa verba, in his etiam ea, quae saepissime leguntur, aut raro aut numquam translate usurpantur, apud hos is usus latissime patet. praeterea ex locis comparandi causa ex aliorum operibus adscriptis poetas elegiacos cum hymnorum scriptoribus, Pindaro, Herodoto, Atticis, quippe ad quorum aetatem magis minusve prope accedant, non ita raro consentire facile intellegitur.

---

## Index locorum tractatorum.

# Indices rei grammaticae.

## I.

## II.



---

# QUAESTIONES

# DE ORPHEI QUAE FERUNTUR ARGONAUTICIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS WEINBERGER.

Postquam a. 1805 Godofredus Hermannus in editione Orphicorum Orphei quae feruntur Argonautica quarto p. Chr. n. saeculo conscripta esse docuit et ab hoc carmine profectus 'prima epici versus historiae lineamenta duxit',[1]) iam neglecta fere est de sermone, quo usus est huius carminis scriptor, quaestio. sane de ea re passim quaedam adnotavit Guilielmus Wielius[2]) in singulis locis emendandis versatus; sed ad eam ipsam tractandam nemo accessit ante Ioannem Rosenboomium, qui in commentatione, cui inscripsit 'Quaestiones de Orphei Argonauticorum elocutione' (Diss. phil. Halens. VIIII pp. 67—128) de imitatione Homeri, Hesiodi, Apollonii, Quinti, hymnorum homericorum et orphicorum, deinde de vocibus Argonauticorum propriis sive singulari vi usurpatis, denique de iis disputavit, quae cum Nonni dictione congruunt; cf. censuram huius libelli ab Abelio factam in ephemeride, quae inscribitur 'Wochenschrift für classische Philologie', a. 1888 p. 841 sqq.

Quae dissertatio cum ad me pervenit, conscripta fere erat haec particula commentationis, qua G. Hartelio et C. Schenkelio magistris doctissimis auctoribus Argonauticorum syntaxim ita tractare studui, ut in primis, quatenus huius carminis scriptor usum homericum secutus esset, quatenus ab eo recessisset, satis adpareret. quo in opusculo contexendo ex poetarum, qui post Homerum floruerunt, numero respexi Apollonium Rhodium, Callimachum, Quintum Smyrnaeum, hic illic Nicandrum et Oppianum.[3])

---

[1]) Verba sunt Ludwichii (Quaestt. de hexam. poet. graec. spondiacis. Halis 1866, p. 3); cf. Hartel, Hom. Stud. I 4.

[2]) Observ. in Orphei Argon., Bonnae 1853. Part. II—IIII editae sunt in libellis scholasticis Bedburgensibus a. 1861, 1862, 1866. has commentationes significabo numeris I. II. III. IIII.

[3]) Editiones poetarum illorum adhibui has: Apollonii Wellauerianam (verborum indice instructam) et Merkelianam (Lipsiae 1854; cuius editionis numeros in citandis versibus sequor), Callimachi et Nicandri editiones ab O. Schneidero indicibus, Quinti a Koechlyo (Lipsiae 1850) prolegomenis ornatam, Oppiani Lehrsianam (Poet. bucol. et didact. ed. Didot. Parisiis 1862; index, cuius mentio fit in titulo editionis Schneiderianae, quae prodiit

hac igitur particula capita selecta, coniunctiones quas dicunt subiunctivas et pronominum usum, tractavi. quae restant ut proponam viris doctis diligenter elaborata, quam studiosissime curabo.

Argonauticorum editionibus usus sum a Schneidero (1803), Hermanno (1805), Abelio (1885) curatis. quid de textu ab Abelio constituto sentiam, singulis locis indicandi occasio data erit. quod integrum ille apparatum criticum maiori editioni reservavit, magno opere sane dolendum est, praesertim cum eo morte immatura abrepto plane incertum sit, num quis copiis ab eo collectis usus editionem illam diu desideratam proximis annis perfecturus sit. e melioribus codicibus — R(uhnkenianum), S(trahoviensem), Vo(ssianum), V(indobonensem) dico — unius Strahoviensis collatio integra publici iuris facta est a F. Schubertio (Eine neue Handschr. d. orph. Argon. Vindob. 1881, Sitzungsber. der Wiener Acad. phil.-hist. Cl. 98, 2, 449—485); codd. R et Vo una cum duobus deterioribus W(ratislaviensi) et L(eidensi) contulit A. Guttmannus et priorem partem collationis (usque ad v. 732) nobiscum communicavit in programmate Regiocasensi (Königshütte) a. 1887; Vindobonensem ipse nonnullis locis inspexeram,[1]) cum collationis a Wesselyo curatae pars aliqua emissa est; cf. Philol. XXXXVIII (n. s. II) p. 379 sqq., 573 sqq.

---

Lipsiae 1813, in libro ipso desideratur). quod ad libellos de horum poetarum elocutione conscriptos adtinet, ad syntaxim non pertinent nisi hi: A. Haacke, De eloc. Apoll. Halis 1842 (particula II inest in libello, quo Godofredo Bernhardy gratulati sunt sem. Hal. sod.), L. L. A. Aulin, De eloc. Call. Upsal. 1856, V. J. Loebe, De eloc. Call. II. progr. Putbus. 1874, Fr. Spitzner, Observ. crit. et gramm. in Quint. Lipsiae 1839, A. Zimmermann, Krit. Unters. z. d. Posthom. Lipsiae 1889, H. O. Schmidt, De eloc. Oppiani. Ienae 1866. libri eorum, qui singulis syntaxis partibus illustrandis operam navarunt; suis locis adferentur omissis iis, qui mihi praesto non erant, et quibusdam, qui nullius omnino in quaestione, quam institui, explicanda momenti esse videbantur.

[1]) Adparet ex his collationibus iure a Scheindlero (cf. Ann. gymn. Austr. a. 1884 p. 29) vituperatum esse F. Hillmannum, qui (De arte crit. in Orph. Argon. factit. Lipsiae 1883, p. 10) sibi persuaserat 'graves codicum discrepantias, e quibus potissimum de eorum origine cognatione pretio certum iudicium ferre liceat, praeter paucas omnes ab Hermanno . . . adiectas esse videri'. quae res ut confirmetur, iam duo adferam exempla. fieri non potuit, quin Hillm. p. 23 negaret e Vossiano derivatos esse duos Augustanos sive Monacenses, quippe in quibus legatur v. 96, quem in Vo deesse Hermannus testatur. sed v. 96 extat in Vo. item concidit argumentum, quo is p. 21 demonstrabat e Vindobonensi reliquos bonos codices non fluxisse. versus enim 51, quem a V abesse Hillm. putavit, re vera in eo legitur.

Priusquam autem ad rem grammaticam accedo, pauca de re metrica, e qua potissimum Hermanni argumenta de aetate, qua hoc carmen confectum est, desumpta sunt, praemittenda esse videntur, ne infra talibus admixtis disputatio interrumpatur. Wielius, vir de Orpheo optime meritus — sic recte Abelius in praefatione iudicat — II p. 3 sqq. de caesura trochaica tertii pedis, p. 6 de vocali longa ante vocalem producta, p. 7 de hiatu, III p. 12 de quarti pedis caesura trochaica et de elisione, IIII p. 14 de vocabulis monosyllabis in prima arsi positis egit. praeterea in structura et proprietatibus hexametri explicandis versati Argonautica respexerunt A. Ludwichius et A. Rzachius.[1]) ille p. 13 docet inter 1376 versus Argonauticorum 101 spondiacos esse, ita ut quartus decimus fere quisque versus spondiacus sit et homericus versuum spondiacorum numerus superetur. tum inde a p. 25 exponit, quales sint quattuor priores versuum spondiacorum pedes. adde quod in libri, qui inscribitur ‘Aristarchs homerische Textkritik’ II p. 311 in tabula ad spondeorum usum illustrandum proposita hoc carmen respicit. sunt igitur spondei 1 : 2 : 0 : 3 : 4 in versibus 613 : 426 : 245 : 91 : 1. unde iam facile computari possunt numeri, quos legeremus p. 304, nisi ibi omissa essent Argonautica. extant enim 1739 spondei et 6517 dactyli, ita ut centum dactylis viginti septem spondei respondeant, qui numerus satis magnus est, cum in Homeri libris, quos Ludwichius examinavit, spondeos habeamus 25—28, apud Callimachum 20—23, apud Apollonium 23, in quattuor prioribus Quinti Smyrnaei libris 14—18. Rzachius, ut a productionibus syllabarum in consonas exeuntium incipiam, in libro, qui inscribitur ‘Neue Beiträge zur Technik des nachhomerischen Hexameters’ (Sitzungsber. der Wiener Acad. phil.-hist. Cl. C, 1 pp. 307 sqq.), inde a p. 400 haec exempla adfert: 97[2]) (*παραιφάμενος ἐρεείνεις* coll. *παραιφάμενος ἐπέεσσιν* hymn. hom. IIII 337[3]) et Arg. 764, 771), 717 (*αἰγιαλὸν ἐπενισσόμεθ'* recte impugnans Hermanni coniecturam *αἰγιαλόν οἱ ἐνισσόμεθ'*; cf. pp. 370 et 408), 1359 (*περικτίονες ἄνθρωποι*

---

[1]) Neque I. Hilbergius (Ges. d. troch. Wortformen. Vindob. 1878, Princip d. Silbenwäg. ibid. 1879) Argonautica neglexit. quae de textu constituendo hic illic (in indice critico v. 716, de quo p. 115 verba fiunt, desideratur: p. 17 typothetarum errore v. 715 pro 751 positus est) adnotavit, hoc loco examinare non adtinet.

[2]) Numeris utor editionis Abelianae.

[3]) In versibus citandis sequor Gemollii editionem (Lipsiae 1886).

coll. *β* 65). his tribus locis addendi esse videntur duo, quos ab Hermanno immutatos omisit Rzachius: v. 226, quem Abelius codices secutus scripsit: *σὺν δέ οἱ ἦλθ' ἕταρος Ἡρακλῆος θείοιο* (Vo *ἑτάρως*) — Hermannus coniecit *σὺν δέ οἱ ἦλθεν ἔτης* — et v. 1169 *ἵξεσθ', ἄμ πέλαγος Ἀτλαντικὸν ἐκτὸς ἵκωμαι*, ubi *κεν*, quod Hermannus post *πέλαγος* inseruit, aptum non esse infra videbimus. certe extat locus homericus, quo productio syllabae defendi possit, dico *ε* 330, ubi in eadem versus sede *ἄμ πέλαγος* legitur (*ὣς τὴν ἄμ πέλαγος ἄνεμοι*). contra neque in v. 303 Rzachii coniectura (p. 388) *ἦμος δ' Ἠέλιος, ὃς ἀπείριτον αἰθέρα τέμνει* (codd. *Ἠ. τὸν ἀ. ἀ. τέμνων*) neque in v. 503 (cf. Rzach. p. 403) Hermanni *Αἰνῆος υἱός, τόν οἱ τέκε δῖα γυναικῶν* (codd. *Αἰ. φίλος υἱ., ὅν οἱ*) opus esse infra disputabo. de versu 442 quoque dubito, num pro vulgata scriptura *εἰσεπέρησε νεὼς ἄπο* (codd. habent *εἰσεπέρησεν ἕως*) quod vult Rzachius (p. 405) reponendum sit *νεὸς ἄπο*, quod ceteris locis epicae tantum vocabuli *νηῦς* formae usurpentur; nam eadem forma *νεώς* in codicibus extat v. 1203, ubi metro non exposcitur. accedit quod reliqua vocabula, quorum syllabae finales in Argonauticis producuntur, in tribrachum exeunt, hoc autem loco habemus vocem pyrrhichicam. de aliorum poetarum usu cf. Rzach. p. 428 sq. quod ad productiones adtinet, quae in carminibus epicis post Homerum Hesiodumque conscriptis pronomine *οἱ* efficiuntur, Rzachius (p. 375), si omnino apud scriptorem aliquem extant loci, quibus syllabae in consonam exeuntes ante pronomen *οἱ* producuntur, locos, quibus aliter res se habet, corrigendos esse censet. sed videamus, quot loci ad hanc legem firmandam ex Argonauticis adferri possint, quot is corrigendos esse censeat. p. 369 profert exemplum syllabae in arsi productae, quod unum extat in codicibus, v. 534, cui Hermanni coniecturis probatis addi fortasse possunt vv. 778 et 816; de vv. 473, 805, 861 aliter sentio atque Rzachius.[1]) p. 374 de syllabis in thesi productis verba facit. codices item unum suppeditant exemplum 1102 *οὐ γάρ οἱ λιγὺς οὖρος ὑπὸ πνοιῇσιν ὄρινεν* (qua in verborum conformatione tritissima Homero est productio; cf. Hartelii Stud. hom. III p. 73), quo nisus corrigendos esse putat vv. 503 (de quo modo diximus), 684 (codd. *οὐ γάρ οἱ ἐξυπάλυξις*, cum Schneidero scribit *οὐ γάρ οἱ ὑπάλυξις*)[2]), 656 (in quarta thesi, in qua apud alios, quos respicit, poetas numquam produci ex iis adparet, quae p. 379 disputat), 868, 1200 (vocula *γάρ* cum Hermanno in *δέ* mutata; cf. p. 377 sq.). iam cum unum tantum exemplum certum sit, magno opere verendum est, ne ceteris locis temptatis ipsum poetam corrigamus. ac-

---

[1]) Hos locos infra tractabo.

[2]) Weizsaecker (Correspondenzblatt f. d. Gel.- und Realsch. Württembergs 35, 275) sane ulterius progreditur contendens ea coniectura accepta metrum adeo corrumpi.

cedit quod Argonauticorum scriptor locos homericos hesiodeosque, qui inde ab Hermanno (Orph. p. 775 sqq.) propter pronominis *οἷ* vim neglectam corrigi solent, certe ita legere potuit, ut nunc in libris extant, eosque imitari. ceterum Rzachius in Iliadis editione, quae prodiit Pragae 1886/1887, *E* 338, *Z* 101, *Y* 282 codicum scripturam retinuit. persuasit sibi vir doctissimus p. 374 certas esse coniecturas ab Hermanno ad vv. 183, 223, 677, 680 prolatas. at in v. 223 *αὐτὰρ δή* in *αὐτάρ οἱ* mutandi nulla causa esse videtur. in vv. 184 et 677 *ἐπί*, quod meliores libri exhibent, explicari posse infra docebo atque de v. 680, in quo codicum lectio est *αὐτὰρ ἐπεί*, disputabo. hoc loco id unum mihi demonstrandum est productionem syllabae finalis in praepositione *ἐπί* ferri posse, quod negavit Rzachius. producuntur in Argonauticis syllabae in vocales exeuntes ante liquidas locis a Rzachio in libri, qui inscribitur 'Studien zur Technik des nachhom. her. Verses' (Sitzungsber. d. Wiener Acad. phil.-hist. Classe XCV p. 681 sqq.) p. 724 sq. congestis: 779 (cf. *Λ* 396), 808 (cf. *B* 58), 1118 (cf. *Ξ* 251), 1190 (cf. *Ψ* 366), 1198 (cf. *Y* 229), 1376 (ubi Hermanni coni. sine dubio probanda est; cf. *τ* 516). uno loco[1]) exemplum homericum quod prorsus simile sit conferri nequit, v. 1258 *κοίλῳ ἐπὶ λυγρῷ δὲ περιστροφάδην ἀλάλητο.* 'Es scheint hier', ait Rzachius l. c. 'die äusserliche Analogie von *λιγυρός*, das oft Längung vor sich aufweist, zu dieser Neubildung beigetragen zu haben, wenn nicht thatsächlich, wie Hermann meint, die Längung vor *λυγρός* in einem verlornen Stück vorlag.' praeterea codices syllabam finalem praepositionis *ἐπί* productam exhibent ante litteram *τ* in vv. 184 *αὐτὰρ ἐπὶ Τελαμών*, a quo loco in hac quaestione instituenda profecti sumus, et 324 *αἷμα δ' ἐπὶ ταύροιο*, item ab Hermanno sic immutato: *αἷμα δέ οἱ ταύροιο*, cuius coniecturae commemorandae Rzachio occasio data non erat. talis productio sane non invenitur nisi in oracul. Sibyll. (cf. Rzach, Neue Beitr. p. 321) I 358 *πέντε, τά* et XII 179 *ἑπτά· τοῖς.* sed si productio ante litteram *δ*, quae ante certas tantum voces fieri potuit propter geminas quae olim fuerant consonas, ad alias translata est apud posteriores poetas (cf. Rzach, Neue Beitr. p. 315 sq.), non video, cur productio, quae fieri solebat ante liquidas et *δ*, ad litteram *τ* transferri nequiverit. qua in re conferas quaeso Hartelii verba, quae ille Stud. I² p. 56 de Homero fecit: '. . was liesse sich erhebliches dagegen einwenden, dass die Längung in 38 . . Fällen nach falscher Analogie bei jenen Endungen, welche vor liquidem Anlaut häufig sind, indem diese vor explosivem Anlaut zu

---

[1]) In v. 22 enim *ὄρεσιν*, quod Hermannus coniecit pro *ὄρεσι*, re vera in optimis libris extare nunc compertum habemus.

stehen kamen, eintrat?' accedit usus homericus vocis ἐπῑθύειν (Σ 175,[1]) h. Merc. 475) et fortasse falsa analogia dativi, cuius ι longum invenitur apud Homerum; cf. Hartel l. c. p. 56 sqq. praeterea addam eiusmodi productiones saepissime ut his quos tractamus locis fieri in altera arsi et cadere in vocem pyrrhichicam; cf. Rzach, Neue Beitr. pp. 320 sq. et 330. et Wielius I p. 22, ubi de v. 184 egit, Hermanni, quam ille p. 697 proposuit, sententia collata in nomine proprio aliquam excusationem inesse putavit. siquis autem in eo haeret, quod in hac una re, quod ad productionem syllabarum adtinet, ab usu homerico recesserit Argonauticorum scriptor, relego eum e. g. ad coniunctiones ἦμος ὅτε et μέσφα (cf. indicem rerum), quas idem singulis locis ratione ab homerica prorsus abhorrente usurpavit. duos igitur illos locos ut corrigendos esse putem, nullo pacto adducor. restat, ut commemorem reliquas syllabarum in consonas exeuntium productiones (cf. Rzach, Neue Beitr. pp. 381, 383, 385): 506 (εἰλίποδας ἕλικας βοῦς; cf. I 466), 764, 771, 1093 (παραιφάμενος ἐπέεσσιν; cf. supra p. 243), 1332 (cf. ϑ 194), 811 (ἠέλιος ὥς; cf. Ξ 185), quibus addere liceat σῡνεχές 721, 1135 (cf. ι 74). de liquidis autem in mediis vocabulis geminatis ad Rzachium (Stud. p. 794 sqq.) lecturos relego.

Iam propter versum 1169, quem supra tetigi, hoc loco accuratius agendum est de positione debili et correptione attica.[2]) quod ad arsim adtinet, satis habeo monere in syllabam finalem vocabuli, plerumque praepositionis, e 429 fere productionibus, quae fiunt, cadere 66[3]), apud Calli-

---

[1]) De quo loco sane dubitatur (ἐπ-ιθύειν); cf. Vogrinz, Gramm. d. hom. Dial. Paderbornae 1889, p. 33.

[2]) Praeter universae rei metricae scriptores, e quibus in primis Gleditschius commemorandus esse videtur (Theorie d. mus. Künste d. Hellenen v. Rossbach und Westphal III 1, Lipsiae 1887, p. 103 sq.), egerunt de positionis debilis et correptionis, quae fit ante mutam cum liquida coniunctam, usu homerico: I. La Roche, Hom. Unters. Lipsiae 1869, 1—45. G. Hartel, Hom. Stud. I² 80 sqq., A. Buth, Philol. XXXVIIII 553 sqq., hesiodeo: A. Rzach, Hesiod. Unters. p. 35 sq. (in progr. gymn. Micropragensis 1875), poetarum elegiacorum et tragicorum: C. Goebel, De corrept. att. Argentorati 1876, I. Sitzler, Ueber d. Sprach. d. griech. Eleg. Ann. phil. CXXV, 516 sqq., Stud. zum Theogn. in progr. Tauberbischofsheim. 1885, tragicorum: I. Rumpel, Quaest. metr. I. II (in progr. Insterburgiensibus a. 1865, 1866), theocriteo: C. Kunst, De Th. versu heroico (Dissert. philol. Vindob. I p. 64—96), callimacheo: C. Prahl, Quaest. metr. de Call. Halae 1879, p. 37 sqq. Fr. Beneke, De arte metr. Call. Argentorati 1880, p. 27 sqq. G. Heep, Quaest. Call. metr. Bonnae 1884, p. 31 sqq. (qui Aratum, Apollonium, Nicandrum aliosque contulit), oppianeo: C. Lehrs, Quaest. epic. 313 sqq., Quinti Smyrnaei: A. Ludwich Ann. phil. CVIIII 233 sqq. Nonnum eiusque sectatores non respicio. — Notandum est me locos dubios et nomina propria (cf. Hermann p. 755) neglexisse.

[3]) 4, 15, 49, 58, 120, 151, 199, 259, 271, 273, 300, 305, 316, 317, 349, 365, 378, 389, 434, 447, 453, 495, 499, 516, 528, 539, 543, 569, 621, 645, 678, 690, 694,

machum (Prahlio teste) e 348 productionibus 72. tales productiones paucis exceptis (49, 151, 273, 317, 447, 1237; 1276) in altero aut in quarto pede admittuntur; cf. Kunst p. 67 sq. sed quo clarius et facilius res, de qua agitur, cognosci posset, hanc tabulam adieci, qua productionum et correptionum, quae in thesi fiunt, conspectus proponitur. syllabarum autem tria genera distinxi cum Gleditschio (p. 106) et Goebelio: quae sunt in media voce: quae leguntur in commissura verborum compositorum vel augmentum et reduplicationem efficiunt (haec exempla numeris inclinatis significabo): quae locum obtinent in extrema voce (lineolas his superponam).

| $I_1$ | 1 | $I_2$ | $II_1$ | 2 | $II_2$ | $III_1$ | 3 | $III_2$ | $IV_1$ | 4 | $IV_2$ | $V_1$ | $V_2$ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *465* | 920 | 307 | $\overline{26}$ | *83* | $\overline{200}$ | $\overline{5}$ | 36 | 6 | 423 | *106* | $\overline{340}$ | $\overline{80}$ | $\overline{8}$ |
| $\overline{675}$ | $\overline{1053}$ | $\overline{326}$ | 87 | *273* | 396 | $\overline{16}$ | *250* | 68 | *868* | 208 | $\overline{494}$ | $\overline{208}$ | 21 |
| 981 | | $\overline{585}$ | 264 | 359 | 438 | $\overline{53}$ | 658 | *296* | 917 | 599 | $\overline{\mathit{752}}$ | $\overline{232}$ | $\overline{54}$ |
| $\overline{993}$ | | $\overline{593}$ | *478* | 399 | *460* | $\overline{69}$ | 682 | 325 | 981 | *672* | $\overline{760}$ | $\overline{280}$ | 238 |
| | | $\overline{596}$ | $\overline{688}$ | 471 | $\overline{467}$ | $\overline{102}$ | 691 | 432 | 1287 | *746* | *1000* | $\overline{428}$ | $\overline{403}$ |
| | | 733 | $\overline{913}$ | 572 | $\overline{654}$ | $\overline{132}$ | 796 | 457 | | 1082 | *1325* | $\overline{467}$ | 441 |
| | | 1016 | $\overline{920}$ | 662 | 962 | $\overline{398}$ | 880 | 460 | | *1273* | | $\overline{549}$ | $\overline{465}$ |
| | | | 1119 | *733* | $\overline{1048}$ | $\overline{597}$ | *1118* | $\overline{640}$ | | | | $\overline{555}$ | $\overline{637}$ |
| | | | $\overline{1221}$ | 782 | 1061 | $\overline{698}$ | *1236* | 724 | | | | $\overline{720}$ | *656* |
| | | | | *793* | 1230 | $\overline{873}$ | 1303 | 741 | | | | $\overline{935}$ | 746 |
| | | | | 900 | | $\overline{908}$ | | *769* | | | | $\overline{946}$ | 896 |
| | | | | 957 | | $\overline{996}$ | | 852 | | | | $\overline{1005}$ | $\overline{897}$ |
| | | | | 1165 | | $\overline{1044}$ | | 897 | | | | $\overline{1013}$ | $\overline{929}$ |
| | | | | | | $\overline{1072}$ | | 951 | | | | $\overline{1192}$ | 954 |
| | | | | | | $\overline{1147}$ | | 1000 | | | | | 978 |
| | | | | | | *1191* | | 1063 | | | | | $\overline{1032}$ |
| | | | | | | $\overline{1212}$ | | 1127 | | | | | $\overline{1076}$ |
| | | | | | | $\overline{1221}$ | | *1146* | | | | | 1092 |
| | | | | | | 1225 | | 1291 | | | | | 1150 |
| | | | | | | | | 1361 | | | | | 1167 |
| | | | | | | | | | | | | | *1204* |

732, 746, 757, 768, 774, 778, 787, 798, 810, 814, 827, 891, 951, 957, 1011, 1026, 1031, 1056, 1083, 1084, 1102, 1111, 1153, 1173, 1207, 1233, 1237, 1273, 1276, 1293, 1313, 1333, 1357. e magno productionum numero elucere videtur iure Abelium in v. 516 *Τιτᾶσι* et in v. 814 *ἀκτῖσι* ex optimis codd. *ν* ephelcystico non adiecto restituisse (cf. 207 *ἔμολε Πλευρώνιος*).

| | $I_1$ | 1 | $I_2$ | $II_1$ | 2 | $II_2$ | $III_1$ | 3 | $III_2$ | $IV_1$ | 4 | $IV_2$ | $V_1$ | | $V_2$ | corr. | prod. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | 1<br>*1*<br>$\overline{2}$ | 1<br><br>$\overline{1}$ | 3<br><br>$\overline{4}$ | 3<br>*1*<br>$\overline{5}$ | 9<br>*4* | 5<br>*1*<br>$\overline{4}$ | 1<br>*1*<br>17 | 7<br>*3* | 16<br>*3*<br>$\overline{1}$ | 4<br>*1* | 3<br>*4* | <br>*3*<br>$\overline{3}$ | <br><br>$\overline{14}$ | | 10<br>*2*<br>$\overline{9}$ | 43<br>*13*<br>$\overline{59}$ | 20<br>*11*<br>$\overline{1}$ |
| | 4 | 2 | 7 | 9 | 13 | 10 | 19 | 10 | 20 | 5 | 7 | 6 | 14 | | 21 | 115 | 32 |
| Hom. | $\overline{28}$ | $\overline{56}$[1]) | $\overline{25}$ | $\overline{27}$ | $\overline{51}$[1]) | $\overline{4}$ | $\overline{202}$ | $\overline{2}$ | $\overline{1}$ | | $\overline{8}$[1]) | $\overline{2}$ | $\overline{278}$ | | $\overline{3}$ | $\overline{570}$ | $\overline{115}$ |
| Theocr.[2]) | 10<br>7<br>$\overline{6}$ | 6<br>*2*<br>$\overline{3}$ | 4<br>*2*<br>$\overline{5}$ | 12<br>*4*<br>$\overline{10}$ | 29<br>*6*<br>$\overline{4}$ | 6<br>*6*<br>$\overline{8}$ | 2<br>*2*<br>$\overline{17}$ | 12<br>*9*<br>$\overline{3}$ | 24<br>*10*<br>$\overline{3}$ | 16<br>*3*<br>$\overline{1}$ | 12<br>*15*<br>$\overline{1}$ | 1<br>*3*<br>$\overline{22}$ | 20<br>*1*<br>$\overline{29}$ | 11<br>*2* | 8<br>*25*<br>$\overline{36}$ | 103<br>*63*<br>$\overline{157}$ | 70<br>*34*<br>$\overline{11}$ |
| | | | | | | | | | | | | | | | | 323 | 115 |
| Call. . | $\overline{3}$ | 1? | $\overline{2}$ | $\overline{1}$ | 12<br>*3*<br>$\overline{5}$ | $\overline{2}$ | $\overline{2}$ | 2<br>*6* | *3* | 3 | 2<br>7<br>$\overline{3}$ | $\overline{12}$ | 2<br>$\overline{5}$ | 1 | 1<br>*1*<br>$\overline{12}$ | 6<br>*4*<br>$\overline{39}$ | 18<br>*16*<br>$\overline{8}$ |
| | | | | | | | | | | | | | | | | 49 | 42 |
| Quint. . . | | 14 | | | 30 | | | 6 | | | 18 | | | | | 150<br>*41*<br>$\overline{294}$<br>485 | 38<br>*28*<br>$\overline{2}$<br>68 |

Adparet ex hac tabula Argonauticorum scriptori nihil fere intercessisse inter primum alterumque, quae distinximus, genera syllabarum. apud Homerum res aliter se habet; nam si in media voce correptio admittitur, eam plerumque in commissuram cadere Hartelius I p. 80 adnotat. quod autem numeri correptionum, quae apud Homerum in singulis thesibus inveniuntur, mirum quantum discrepare videntur, melius quodam modo conveniunt, si in Argonauticis quoque finales tantum syllabas respicimus. sed eo recessit Argonauticorum scriptor et ab Homeri et a Calli-

---

1) Addi enim possunt locis ab Hartelio congestis (p. 85 sqq.) nonnulli e Buthii commentatiuncula: 1) *Η* 189, *Θ* 100, *Π* 441, *Τ* 222, *Χ* 179, *λ* 632, *ν* 105, *χ* 373, 2) *Η* 175, *Μ* 329, *η* 237, *τ* 104, 4) *Ζ* 489.

2) In his quoque poetis, quoad eius fieri potuit, neque nomina popria neque locos dubios respexi. simul plerumque neglectae sunt Benekii coniecturae nimis audaces — ne quid gravius dicam — velut quod ille Call. I 64 pro τὰ δὲ τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσιν 'quam maxime distant' proposuit (p. 31) ὅσον τὸ πλ. sensu omnino destitutum.

machi usu [1]), quod in media voce saepius correptione usus est; attamen Quinto severiorem se praestitit ea ratione, quae inter positiones debiles et correptiones intercedit, respecta. aliter sane res se habet numeris versuum, qui carminibus continentur, consideratis; Quintus enim in 8770 versibus 485$^{ies}$ syllabas corripit, poeta, quem tractamus, in 1376 vv. 115$^{ies}$. neque cum homerico congruit usus positionis debilis, quae numquam in syllaba finali admittitur. numquam dico; versum enim 1053, qui singularis est et praeterea loco insolito (I) positionem debilem habet, corrigendum esse censeo ita, ut pro *τόν ῥα πλημμύρουσα* scribatur *τόν ῥά τε πλ.* (*τε* post *ῥα* positum excidit v. 861) aut *τὸν δ' ἄρα*. duo Quinti loci, quibus talis productio in eadem versus sede invenitur (I 10, XII 278) excusantur locis homericis *Δ* 6, *Η* 331 [2]); versui autem 1053 parum similis est *Ξ* 35 *τῷ ῥα προκρόσσας*. tertium Quinti locum (VIIII 341) recte Koechly immutasse mihi videtur scribendo *ἀλλ' ἄρα δμωιάδεσσι* (pro *ἀλλὰ δμ.*), quamquam adversatur Ludwichius p. 244. item unum, qui huc pertinet, Apollonii locum (I 795) corruptum esse putat Heepius p. 32, qui pro *ἀλλὰ Θρηικίης* proponit *ἀλλ' ἄρα Θρ.* quod in altera tertii pedis thesi saepius quam Homerus syllabas corripuit Argonauticorum scriptor, explicari potest studio quodam caesurae trochaicae; cf. versus a Wielio (III 16) prolatos, in quibus correptio facile vitari potuit [3]): 769 *Μινύῃσι διπλῆν*, 897 *στεφάνοισι κυκλούμενον*, 1000 *παλάμῃσι λυγρῶν*, quibus addi possunt 741 *Τιβαρηνά (τ') ἔθνη*, 1127 *μερόπεσσιν, ἀχλύς*, 1361 *γάρ (ῥα) λύθρον*. dicat aliquis Argonauticorum scriptorem eodem loco decies, saepius quam Homerum, productionem admisisse; equidem de arte poetae dubitare malo quam de studio quodam caesurae trochaicae. omnino, si locos, ubi propter metri quandam necessitatem producendum (cf. *ἀμφέκλυσθεν* 273) aut corripiendum erat (cf. *ἀτραπούς* 87), omittimus, in media voce saepius corripitur in imparibus versus sedibus (35$^{ies}$) quam in paribus (11$^{ies}$), saepius producitur in paribus (20$^{ies}$) quam in imparibus (10$^{ies}$). sed non firmam hanc legem fuisse intellegitur e vocabulis, quorum duplex in thesi est mensura (cf. Ludwich p. 240 sqq., Kunst p. 94 sqq.). veluti

---

[1]) Eundem usum et ab Arato et ab Apollonio Rhodio servatum esse testatur Heepius p. 35.

[2]) Neque VII 527 cum Koechlyo pro *ἀλλὰ Τρῶας* scribendum est *ἀλλ' ἄρα Τρ.*, cum syllaba finalis voculae *ἀλλά* (cf. *Θ* 500, *Ω* 215, *ν* 363) ante vocabulum *Τρῶες* (cf. *Υ* 38, *Η* 27 *κτλ*) saepius apud Homerum producatur.

[3]) Exempla igitur, quibus Ludwichius p. 244 coniecturam suam *Ἡφαίστου (δεδμημένος)* III 729 pro *Ἡφαίστοιο* confirmare studet, *ἀμβροσίῳ, ἀργαλέῳ, θανάτῳ δεδμ.* apta non sunt, quibus demonstretur numquam Quintum caesurae illius causa correptionem praetulisse.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| βόθρος | produc. | 572 (II) | corrip. | 951 (III$_2$) 954 (V$_2$) 981 (IIII$_1$) |
| κέκμηκα | | 250 (III) | | 1146 (III$_2$) |
| κύκλος | | 208 (IIII) | | 325 (III$_2$) 746 (V$_2$) 897 (III$_2$) |
| λυγρός | | 658 (III) 1165 (II) | | 724 (III$_2$) 1000 (III$_2$) |
| ὄφρα | | 691 (III) 796 (III) 1303 (III)[1] | | 307 (I$_2$) |
| πατήρ | | 880 (III) | | 1230 (II$_2$) |
| πέπρωται | | 106 (IIII) | | 1110 (III$_2$) |
| πέπνυμαι | | 1118 (III) | | 296 (III$_2$) |

Neque curavit falsus ille Orpheus legem a Ludwichio[2]) in Nonno et Quinto exploratam, qua cavebatur, ne positio debilis in thesim caderet, si vocabulum monosyllabum vel bisyllabum esset. quamquam enim qui repugnant ei loci excusari possunt Homeri exemplo[3]), tamen eum, si talis legis rationem habuisset, non plura exempla admissurum fuisse quam Quintum in carmine multo maioris ambitus persuasum habeo. neque eo adducor, ut duos illos locos repugnantes legi, quae apud omnes poetas ab Heepio (cf. p. 40) respectos valet, non apud Quintum (cf. I 191, II 132, III 330, 594, 624), ne positionem debilem sequatur spondeus, corrigendos esse censeam, etsi facili negotio restituas in v. 359 ἐκταδίοισιν pro ἐκταδίοις et in v. 662 σταθμούς τε καὶ pro σταθμοὺς ἠδ'.

Restat, ut paucis exponam, ante quas consonas inter se coniunctas in Argonauticis correptio admittatur. ante mutam cum littera μ coniunctam Homerus (cf. La Roche p. 4) et Hesiodus numquam syllabam corripuerunt; contra in hoc carmine correptionem admitti videmus ante κμ, τμ, θμ, qua in re congruit Quintus, nisi quod de vv. III 729 (δεδμημένος) Ludwichius, de VIIII 341 (δμωιάδεσσι) Koechly dubitationes moverunt, quas supra tetigimus. quod ad ν adtinet, correptiones invenimus ante κν, πν, θν (apud Quintum insuper etiam ante τν, χν, φν), quod ad λ, ante κλ, πλ, χλ, φλ, θλ (apud Quintum ante omnes mutas, quas λ sequitur), denique ante omnes mutas cum littera ρ coniunctas.

Sed quoniam eo loco, unde profecti sumus (1169) de nomine proprio agitur, videamus, quomodo in illis res se habeat. duodevicies in arsi,[4])

---

[1]) Ubi facile pro ὄφρ' ἂν scribi potuit ὄφρα κεν.

[2]) Cf. Beitr. z. Kritik d. Nonnos (progr. gymn. Frider. Regiomont. 1873) p. 13 et l. s. c. p. 234 sq.

[3]) 36 (ὕπνῳ cf. Β 41), 83 (πρόφρων cf. β 230), 208 (κύκλους cf. Δ 33), 359 (ὅπλοις cf. Κ 254, 272), 572 (βόθροις cf. ζ 92), 599, 682 (πέτρης cf. I 15, δ 507), 662 (σταθμούς cf. Β 470), 880 (πατρός cf. Β 146), 1082 (νεκρήν cf. Ω 655).

[4]) 118, 119, 122, 147, 155, 175, 187, 206, 207, 226, 345, 478, 542, 690, 734, 1061, 1107, 1125.

quater decies in thesi[1]) syllaba producitur, duodevicies corripitur[2]). adparet igitur e ratione metrica retineri posse codicum lectiones in v. 1169 *πέλαγος Ἀτλαντικόν* et in v. 19 *σπέρμα γονῆς τὸ πρόσθεν* (quod confirmatur ac defenditur exemplis homericis *M* 40, *δ* 688; Hermannus coniecit *τό τε πρόσθεν*). sed hos locos infra accuratius tractabo rei grammaticae ratione habita. nunc id quod mihi proposui adgrediar.

## I. De enuntiatis declarativis.[3])

In Argonauticis *ὡς* — *ὅτι* enim omnino non legitur — aeque atque apud Homerum adiungit 'ad obiectum sententiae primariae sententiam relativam modum atque rationem describentem' vel 'ad verba quaedam adiungit sententiam, qua modus et ratio describitur'.[4]) sed enuntiata illa potius interrogativa esse quam relativa sensisse videtur Capellius, cum ad *ε* 423 *οἶδα γάρ, ὥς μοι ὀδώδυσται κλυτὸς ἐννοσίγαιος* haec adnotaverit: 'ubi non est Neptunum me odio persequi, sed quanto odio me persequatur.'[5])

---

[1]) 77, 177, 229, 292, 338, 417, 525, 583, 655, 657, 723, 856, 1243, 1376.

[2]) 29, 30 (bis), 66, 139, 160, 302, 466, 492, 551, 659, 666, 1062, 1125, 1226, 1283, 1323, 1373.

[3]) Cf. H. Graef, De coni. *ὡς* origine et usu. progr. Memel. 1874; ad originem potius spectat is liber quam ad usum, P. Schmitt, Ueber den Ursprung d. Substantivs. (Schanz, Beitr. z. hist. Syntax d. griech. Sprache 8) Herbipoli 1889, F. Naumann, De *ὡς* particulae apud Aeschylum vi et usu. Lipsiae 1877, Th. Barthold, Spec. lexici Euripidei, quo explicatur usus particulae *ὡς*. progr. gymn. Frid.-Guil. Posnan. 1869, p. 16 sqq. Walther, Ueber *ὡς* bei Herodot. progr. Hameln. 1887, G. S. Thomas, De particulae *ὡς* usu Herodoteo. Lipsiae 1888, Th. Wisen, De vi et usu particulae *ὡς* apud Thucydidem. Hauniae 1862, O. Karlowa, Bemerk. z. Sprachgebr. d. Demosth. progr. Pless. 1883, p. 1 sqq., 20, A. Schinck, De *ὡς* part. usu Aristoph. progr. Neuhaldensleben. 1880. neglexi commentationes de discrimine inter *ὅτι*, *ὡς*, infinitivum statuendo conscriptas, veluti G. Weller, Bemerkungen zur griech. Syntax. progr. Meining. 1845, O. Riemann, *λέγω*, *δείκνυμι* etc. *ὡς* Rev. de philol. VI p. 73 sqq., A. Weiske, Zur griech. Syntax. Ann. phil. CXXVIIII p. 821 sqq., G. Goecke, Construction der verba dicendi et sentiendi bei Homer und Herodot. progr. Malmedy. 1880.

[4]) Verba sunt haec Capellii in Ebelingii lex. hom. II p. 496 s. l. *δ* et *ε*. simili modo Krueger (gramm. graec. I 65, 1, 3) talia enuntiata explicat.

[5]) Non consentio cum Wisenio, qui p. 29 demum haec habet: 'in nonnullis locis *ὡς* interrogationem indirectam quae dicitur inferre videtur, ita ut vim particulae *ὅπως* habeat' (adfert ille Thuc. V 7, 4 *ἐθεᾶτο τὴν θέσιν τῆς πόλεως . . . ὡς ἔχοι* aliosque eius modi locos), postquam p. 26 verba fecit de enuntiatis obiecti quae vocantur, ubi *ὡς* ita poni dicit (p. 26), 'ut fere vis ac potestas particulae *ὅτι* ei tribuenda sit'. contra perversa plane sunt, quae Naumannus ait p. 5: 'descendit haec significatio . . . ab usu de-

qua in re tenendum est paucis locis homericis (cf. Ebel, II 500ᵇ II, Schmitt p. 53 sqq.) et in uno Argonauticorum v. 846 ὡς vertendum esse nostro 'dass'. item uno loco Nicandreo, qui huc pertinet, Ther. 835 λόγος γε μέν, ὥς ποτ' Ὀδυσσεὺς | ἔφθιτο λευγαλέοιο τυπεὶς ἁλίου ὑπὸ κέντρου eodem modo ὡς interpretandum esse videtur. contra locis Callimacheis (IIII 30 τί τοι θυμῆρες ἀκοῦσαι; ἢ ὡς τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς . . . . νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, ep. 51 καὶ φθιμένην ἀνέθηκεν ἐπεσσομένοισιν ὁρᾶσθαι | ἡ γρηῢς μασθῶν ὡς ἀπέχει χάριτας, ep. 55 τὸ χρέος ὡς ἀπέχεις, Ἀσκλήπιε, τὸ πρὸ γυναικὸς | Δημοδίκης Ἀκέσων ὤφελεν εὐξάμενος, | γιγνώσκειν) sufficere puto significationem 'quemadmodum'. quod ad Quintum adtinet, non habeo, quae proferam. Koechly enim ὅτι quidem tangit prol. p. LXXXI § 35, sed non ὡς. neque Wellaueri index materiam ad eam rem explicandam suppeditat; duos tantum Apollonii locos, quos infra adferam, fortuito inveni.

Legitur autem ὡς in his Argonauticorum versibus: 13, 27 (cf. I 528 μέμνημαι τόδε ἔργον . . . ὡς ἦν; quo loco cur cum Hermanno Piersoni amplectamur coniecturam θεσμοφόρον θ' ὁσίην, causa non est; vide Wiel. II 31), 417, 422, 425, 426, 860, 866, 870, 874, 875, 876, 881, 1192, 1194, 1277 (cf. θ 76 ὥς ποτε δηρίσαντο), 1349, 1353. iam versuum numeris ipsis docemur particulas ὡς nonnumquam coacervari voculis ἠδέ vel τε coniunctas, cuius rei exempla peti possunt ex Homero ψ 310—338 ἤρξατο δ' ὡς πρῶτον Κίκονας δάμασ' . . . ἠδ' ὅσα Κύκλωψ ἔρξε καὶ ὡς ἀπετίσατο ποινὴν . . . ἠδ' ὡς Αἴολον ἵκεθ' . . . ἠδ' ὡς . . . Λαιστρυγονίην ἀφίκανεν . . . ἠδ' ὡς εἰς Ἀΐδεω δόμον ἤλυθεν . . . ἠδ' ὡς Σειρήνων . . . φθόγγον ἄκουσεν ὥς θ' ἵκετο κτλ. (cf. γ 194), ex Apollonio I 496 sqq. ἤειδεν, ὡς . . . διέκριθεν . . . ἠδ' ὡς . . . ἔχουσιν οὔρεά θ' ὡς ἀνέτειλε καὶ ὡς . . . (cf. II 764 sqq.), ex Quinto XIIII 125 sqq. coniunguntur autem inter se substantiva et enuntiata ab ὡς incipientia: 27, 417 [1]), cuius usus iam apud Aeschylum [2]) exempla extant; cf. Naumann p. 7, qui adfert Agam. 845 sq. (?), Sept. 358; adde Apoll. II 762 sqq. praeterea notanda est anticipatio: v. 13 ἀρχαίου μὲν πρῶτα χάους ἀμέγαρτον Ἀνάγκην καὶ Χρόνον, ὡς ἐλόχευσεν, cf. v. 422 sq., inde ab Homero usitata (cf. *B* 409, α 115, δ 772).

Iam accedamus ad v. 846, ubi legendum esse ἢ ἔλπεσθ' ὡς καὶ ἀδήριτον γέρας ἔσσεται ὑμῖν infra docebo (codd. habent ἔλπεσθ' ὥς κεν). hoc

---

monstrativo et ita quidem, ut primum diceretur ἔλεγεν ὡς (= ὧδε)· ἔπεσεν post ὡς oratione directa subsequente; ex quo quam facile hic usus, ut dicatur ἔλεγεν, ὡς ἔπεσεν, gigni potuerit, manifestum est.'

[1]) V. 298 infra tractabo.

[2]) In Aeschyli et Euripidis locis citandis numeris utor editionum Kirchhoffianarum Berol. 1880 et 1855 in lucem emissarum.

loco id tantum demonstrandum est ἔλπεσθαι ὡς ab Argonauticorum scriptore dici potuisse. inauditam certe talem structuram non esse adparet cum ex exemplis a Kuehnero (gramm. graec. II § 549) collectis (Thuc. V 9, 3, Plat. Lach. 200 a, Eur. El. 916 ὥστ' ἤλπισας, ὡς εἴς σὲ μὲν δὴ μήτηρ οὐχ ἕξεις κακὴν γήμας, Soph. El. 963), tum e Wiseni nota p. 27: 'quod grammatici tradunt post ἐλπίζειν, ἐλπίς simil. enuntiationem ab ὡς incipientem rarissime poni, a veritate alienum est. hi enim loci apud Thucydidem unum a nobis adnotati sunt ad contrariam sententiam probandam: I 81, 6, II 42, 4, III 40, 1; 46, 1, IIII 81, 3, V 9, 3, VI 30, 2, VIII 1, 1; 54, 1; 94, 2.' quibus addi possunt Eur. Heracl. 1051 *(ἐλπίζειν ὅπως)*, Tro. 489 *(ἐλπίς ὡς)*, Iph. A. 605, Hec. 368, Aristoph. Ran. 530, Herod. VII 157 *(ἐλπίζειν ὡς)*, VIIII 48 *(προσδεκόμενοι)*, Dem. 19, 333, (Lys.) 14, 2. huc accedit, quod apud posteriores verba putandi vel sperandi saepius cum ὅτι et ὡς coniunguntur; cf. exempla a Kruegero (I 65, 1, 4) adlata (Polyb. XXVIII 9, 4 δοκεῖν ὅτι, Arr. Anab. I 4, 7 ἐλπίζειν ὅτι) et locos Polybii, qui apud L. Goetzelerum[1]) praesto sunt: πιστεύειν ὅτι II 39, 8, IIII 10, 1, XXVIIII 12, 6, διότι XVI 12, 3, XVIII 34, 7, XXIII 2, 9, ἐλπίζειν ὅτι III 63, 7. quare haud improbabile mihi videtur sumere Argonauticorum scriptorem, cum ceterum caveret, ne Homerici usus fines excederet, hoc uno loco e sui temporis more ὡς post ἔλπομαι posuisse.

Quod ad modum adtinet, semper habemus indicativum.[2]) idem valet de interrogationibus, quas vocant indirectas, exceptis v. 1174, ubi legitur coniunctivus dubitativus, et v. 770 sqq., ubi optativus positus est post tempus praeteritum.

## II. De enuntiatis finalibus.[3])

Particulae finales apud Homerum inveniuntur hae, quarum quae in Argonauticis quoque leguntur in hac tabula, qua usum earum apud singulos poetas epicos explicaturus sum, litteris diductis distinguam:

---

[1]) De Pol. eloc. Herbipoli 1887, p. 33 (numeri sunt edit. Hultsch., quae prodiit Berol. 1867 sqq.).

[2]) De vv. 938 sq. infra disputabo.

[3]) Cf. Ph. Weber, Entwicklungsgesch. d. Absichtssätze I. und II. Abth. (Schanz, Beitr. z. hist. Syntax d. griech. Sprache 4, 5) Herbipoli 1884, 1885, Weber, Absichtssätze bei Aristoteles. progr. Spirens. 1885, H. Heller, Absichtssätze bei Lukian I. ἵνα ὡς ὅπως, Symb. Joach. I (Berolini 1880), p. 282—329.

| | ap. Homerum | Apollonium | Callimachum | Quintum | in Argonauticis |
|---|---|---|---|---|---|
| ὄφρα . . . . | 237ies | 39ies | 4 | 53ies | 24ies |
| ἵνα . . . . . | 145 | 20 | 9 | 16 | 4 |
| ὡς . . . . . . | 63 | 16 | 2 | 6 | 2 |
| ὅπως . . . . . | 9 | — | 1 | 10 | — |
| ἕως . . . . . | 5 | — | — | — | — |

iam versuum, in quibus extant hae particulae, indicem adiciam. habes: ὄφρα[1]) Argon. vv. 5, 73, 98, 105, 290, 307, 390, 407, 449, 603, 617, 641, 647, 655, 691, 790, 796, 852, 889, 939, 943, 1005, 1303, 1371; ἵνα 191, 249, 679, 775; ὡς 938, 939. — ὄφρα Apoll. I 16, 70, 166, 281, 446, 562, 705, 851, 916, 985, 1005, 1118, 1292, II 440, 470, 1064, III 64, 211, 437, 582, 596, 622, 807, 909, 1115, 1135, IIII 101, 181, 242, 375, 399, 438, 713, 806, 839, 871, 908, 915, 1142; ἵνα I 100, 369, 382, 659, 797, 822, 908, II 56, 190, 265, 316, 558, 1095, III 608, 820, 826, IIII 60, 364, 1291, 1469; ὡς I 258, 377, 618, 1136, 1188, 1208, III 293, 380, 588, 1238, IIII 438, 536, 766, 841, 1122, 1692. — ὄφρα Call. III 109, 167. e. 6, 7. 12, 1; ἵνα I 34, 53, III 7, 12, 89, 106, 153, 243, IIII 34; ὡς IIII 9, V 31; ὅπως III 74.[2]) — ὄφρα Quinti (cf. Koechly prol. p. LXXXVI sqq.) I 28, 197, 381, 558, 591, 668, II 174, 268, 615, 620, III 37, 70, 598, 677, IIII 30, 209, 463, V 172, 179, 207, 220, 254, 280, 517, 638, VI 17, 448, VII 236, 246, 702, VIII 21, VIIII 231, X 50, 99, XI 14, 187, 451, 494, XII 42, 224, 242, 378, 381, XIII 166, 188, 546, XIIII 152, 218, 339, 441, 468, 486; ἵνα I 359, II 129, 324, IIII 453, V 85, 276, 494, 511, VII 405, 540, VIII 16, XI 76, 322, XII 31, 341, 528; ὡς III 347, IIII 376, V 384, 426, VII 154, XIII 31; ὅπως I 126, 232, 519, III 664, IIII 510, VI 34, 321, VIIII 25, XII 368, XIII 236. de Homero cf. Weber I 32.[3])

Cum particularum frequentia, ut e tabula adparet, tum duabus aliis rebus prope ad Homeri usum accessit Argonauticorum scriptor, collocationem enuntiati finalis et negationis usum dico. atque de collocatione

---

[1]) De τόφρα pro ὄφρα posito infra agam, ubi ad coniunctiones temporales quaestio pervenerit. loci, quibus illud occurrit, in hos numeros adsciti sunt.

[2]) Eorum igitur scriptorum usum, qui plerumque ἵνα usurparunt, secutus est Callimachus: Herodoti, Aristophanis, oratorum Atticorum, Platonis (cf. Weber II 97). qua occasione data moneo ὄφρα inde a poetis lyricis usque ad Aristotelis tempora non usurpari.

[3]) Apud Nicandrum locis dubiis omissis quater legitur ὄφρα (Th. 934, Al. 89, 111, 196, 227), semel ἵνα (Th. 149). reliquis enim locis (Th. 29, 461, 499, 699, 752, 871) ἵνα adverbium relativum esse videtur. uno Argonauticorum loco, quo ἵνα ita adhibetur (164), id Hermanni coniecturae debetur; sed cum eo sensu et apud Homerum (cf. Weber I 23) et apud recentiores usurpetur, e ratione grammatica certe non est, cur huic coniecturae admodum leni adversemur; cf. Apoll. II 735, 1240, III 40, 680, 787, 981, 1092, 1290, IIII 115, 517, 574, 630, 655, 1330, 1751, Call. II 113, III 173, V 63.

liceat mihi Weberi verba adferre, qui haec nos edocet (progr. p. 38): 'Bis auf Aeschylus war die posteriorische Stellung des Absichtssatzes, als die natürliche, unverbrüchlich beobachtete Regel; denn an der Stelle im Hymnus in Vener. 277 haben wir es, wie schon bemerkt, mit einer Interpolation zu thun, und bei Solon 13, 37 handelt es sich um einen unvollständigen Finalsatz. Erst die scenischen Dichter haben sich von diesem Gesetze frei gemacht' (cf. eiusdem verba II 69: 'Dass auch bei Plato die priorische Stellung des Absichtssatzes unzähligemal vorkommt, braucht wohl nicht eigens erwiesen zu werden'). deinde sic pergit: 'Fassen wir das Verhältniss ins Auge, wie es uns im aristotelischen Corpus entgegentritt, so wird die priorische Stellung von der posteriorischen weitaus überwogen.' in Argonauticis enuntiatum primarium semper praecedit finali, idem valet de Apollonio et Quinto, apud Callimachum bis enuntiatum finale interponitur primario: III 109, IIII 34. quod ad negationem adtinet, quam raro Homerus *μή* coniunxerit cum particulis finalibus, Weber I p. 24 sq. docet; saepius *μή* solum adhibetur. in Argonauticis particulae finali negativa nusquam additur; per se positum bis tantum invenitur *μή* post verba timendi: 56[1]), 1309, quos locos adsciscam, ubi de modis agam.[2])

Sed antea de distinctione quadam a Webero proposita verba facienda sunt. etenim opponit ille inter se 'vollständige' et 'unvollständige Finalsätze'. quae verba ego ita exprimam, ut distinguam enuntiata, quae proprio quaeque improprio sensu finalia dicuntur. cum autem non satis accurate, ut mihi quidem videtur, quaenam enuntiata improprio sensu finalia sint dicenda, declaret, liceat iam mihi eius ipsius verba adferre (cf. I 12, 60 sqq.): 'Wir erinnern nochmals an die Entstehung des unvollständigen Finalsatzes, die wir darin erkannten, dass das efficiens nicht näher bestimmt ist und dass zwar die Absicht bestimmt ausgesprochen ist, dagegen die Handlung, welche zur Erreichung der Absicht führt, fehlt. Nehmen wir die Sätze: er sinnt nach, er will gesund werden, so erfolgt die Verbindung, indem auf einen unbestimmten Begriff, der bei 'er sinnt nach'

---

1) Ut Ludwichii (cf. Ann. phil. CXXXV p. 647) coniecturam *μή οἱ ὄπις θεῶν | χειρὸς ὑπ' Αἰσονίδεω* . . . probarem, adductus non sum, quamquam, num verba *χειρὸς ὕπ' Αἰσονίδης* recte se habeant, sane dubitare licet.

2) *Μή* per se positum invenitur — locos, ubi timendi verbum praecedit, asteriscis significabo — apud Apoll. I 1251, III *459, *481, *603, *613, *637, 663, 904, 1038, 1143, *1387, IIII 112, 328, 467, *803, 826, 863, 1156, apud Callim. III 175, IIII 238, V 52, VI 54, e. *29, apud Quint. I 22, 334, 499, II *7, *46, 315, *392, 622, III 42, 52, IIII 85, *484, V 274, *662, VI 178, VII *252, 269, *278, VIII 457, *500, VIIII *152, 317, X *4, XI 213, 296, 335, XIII 25, *408, XIIII 42.

gedacht werden muss, durch die älteste Finalpartikel ὡς = so hingewiesen wird, also etwa: er sinnt etwas aus, so will er gesund werden'. ut iam unum illud eiusmodi exemplum ex Argonauticis, quod sine dubio huc pertinet, adferam, legimus vv. 889 sq. *δὴ τότε οἱ κατὰ θυμὸν ἐμηδόμεθ', ὄφρα μολόντες | ἀμφ' ἱερῆς φηγοῖο δέρας χρύσειον ἕλωμεν*, de quo loco sane valent, quae Weber habet I 12: 'Werden nun die beiden Sätze mit einander verbunden, so muss es unwillkürlich nahezu wie ein Fragewort gefühlt werden, die Willensäusserung tritt zurück, dafür der Hinweis auf das Eintreten des Gewollten vor. Das 'will' wird zu einem 'kann' oder 'wird'. Für den ersten Fall dienen die Partikeln *κέν* und *ἄν*, für den zweiten das Futurum.' ex Apollonio conferri possunt III 1134 *τόδε μήδετο Ἥρη, | ὄφρα κακὸν Πελίῃ ἱερὴν ἐς Ἰωλκὸν ἵκοιτο | Αἰαίη Μήδεια*, ex Quinto III 347 *νῦν δ' ἐμοὶ ἄλλα μέμηλε περὶ φρεσίν, ὡς Ἀχιλῆος | ἐκ φόνου ἀργαλέοιο νέκυν Δαναοῖσι σαώσω*, V 172 *καί ῥά μοι ἔνδοθεν ἦτορ ἐνὶ φρεσὶ ταῦτα μενοινᾷ, | ὄφρα δορυκτήτοισι δικασπολίην ὀπάσωμεν*, cf. XII 242, 381; VI 34. eiusmodi enuntiatum habemus in Arg. vv. 937 sqq. *διζόμεθ' οἶμον ἄελπτον διζυροῖο πόνοιο, | ὥς κέ μιν Ἀγροτέρην μειλιξάμενοι πεπίθοιμεν; | ἠδ' ὡς θῆρα πέλωρον ἱκοίμεθα, τόφρ' ἀνελόντες | δέρμ' ἀπονοστήσαιμεν ἐὴν ἐς πατρίδα γαῖαν*, si cum Hermanno et Abelio Gesneri coniecturam *οἶμον* (pro *οἱ μέν*) amplectimur atque ita interpretamur: 'wir suchten einen Ausweg aus der Mühsal, der sich nicht erhoffen liess.' Wielius contra I 54 opponit vocabulum *οἶμος* nihil esse nisi latinum 'via', hoc autem loco desiderari vocem, quae significet idem quod latinum 'decursus, exitus'. quae recte se habere mihi videntur. tale igitur substantivum, quod non nimis a codicum vestigiis recedat[1]), quaerendum est. quod dum inventum erit, sumamus vocabulum *οἶμος* sensu insolito usurpatum esse. Wielii enim sententiam substantivo opus non esse probarem, si coniectura ostendisset locum sine substantivo expediri posse. quodsi *διζόμεθα* ad ea quae praecedunt refert et scribit *οἱ μὲν ἀέλπτεον*, displicet illud *διζόμεθα* nude positum, displicet forma enuntiati ab *ὡς* incipientis, cum in reliquis huius carminis enuntiatis declarativis indicativum legi viderimus, neque probabile est aliquos tantum Argonautas desperasse.

Sed alia etiam sunt enuntiata, quae quin Weber in hunc numerum relaturus sit, non dubito, versus dico 97 sq. *τί με ταῦτα παραιφάμενος ἐρεείνεις, | ὄφρα κεν ἐς Κόλχους Μινύαις ἐπιήρανος ἔλθω*, 407 *χερσὶν ἐπικροτέοντες ὁμόκλεον, ὄφρ' ἂν ἔγωγε | δηρίσω Χείρωνι*, 941 sqq. *καὶ τότε δὴ μετὰ πᾶσιν ὁμόκλεεν ἡρώεσσι | Μόψος — ὃ γάρ τ' ἐδάη σφῆσιν τάδε μαντοσύνῃσιν — |*

---

1) *δ' ἀμβολίην τιν' ὁ. π.*, quod Wielius IIII 11 coll. Apoll. IIII 369 proposuit, certe longius abest a scriptura tradita.

ὄφρ' ἐμὲ γουνάσσωνται[1]), fortasse etiam v. 793 sqq. θυγατέρας δ' ἔκληζε . . . Χαλκιόπην . . . ἠδ' ἁπαλὴν Μήδειαν . . ., ὄφρ' ἂν συνέποιντο κιόντι. ait enim II 17, ubi de enuntiatis, quae improprio sensu finalia dicuntur, agit: 'Hier begegnet uns die Eigenthümlichkeit bei Antiphon, dass zu den Verben des Bittens ὅπως tritt: I 12 αἰτεῖσθε, ὅπως καταψηφίσησθε, I 23 δεήσεται, ὅπως δῷ und αἰτοῦμαι, ὅπως δῷ.' hoc certe iam ante notandum erat, cum apud Homerum legamus θ 344 λίσσετο δ' αἰεὶ Ἥφαιστον, ὅπως λύσειεν Ἄρηα,[2]) apud Herodotum VIIII 117 ἐδέοντο τῶν στρατηγῶν, ὅκως ἀπάγοιεν σφέας ὀπίσω, quem locum Weber (I 136) aeque citat atque (II 13) Thuc. V 36 ἐδέοντο, ὅπως παραδώσουσιν. mihi quidem discriminis aliquid intercedere videtur inter deliberandi vel curandi verba, de quibus antea Weber verba fecit, et precandi, neque enuntiata, quae ab his pendent, interrogativis proxima esse puto. talia igitur enuntiata respicere si in animo erat, Weber meo quidem iudicio aliter explicare debuit, quae enuntiata huic generi adscribenda essent. equidem satis habeo monere Graecos interdum, quod ex exemplis adlatis adparet, particulas finales adhibuisse, ubi e consueto more infinitivus ponendus erat; cf. Vogrinz p. 356. ex Polybio Fr. Kaelker[3]) aliqua eius usus exempla adfert, qui p. 280 de latinismo cogitat.

In tabula, qua modorum usum illustrare conabor, huius discriminis rationem non habebo, cum Argonauticorum scriptorem id curavisse non adpareat. saepius quam in hoc genere enuntiatorum, de quo fusius disputavimus, κεν et ἄν posuit in altero, in quo eae particulae apud Homerum rarissimae sunt; cf. Weber I 35. item ὄφρα plerumque in eiusmodi enuntiatis legitur, quod apud Homerum paucissimis locis invenitur; cf. Weber I 61 sq. indicativus futuri in Argonauticorum enuntiatis finalibus non legitur.

Quod ad Homerum adtinet, in hac tabula numeris priore loco positis omnia enuntiata comprehendam. qui altero loco positi sunt numeri spectant ad ea, quae proprio sensu finalia dicuntur. Argonauticorum versus ita enumerabo, ut primo loco ponam eos, ubi metri necessitate modus quidam firmatur, altero eos, ubi codices et editores consentiunt, tertio eos, qui dubii sunt (cf. Weber II 114). quot exempla in Argonauticis legantur, numeris Romanis quos vocant indicatur.

---

[1]) Eius usus, quo enuntiatum finale a primario parenthesi seiungitur, Weber II 69 e Platone adfert exemplum.

[2]) Cf. Kuehneri gramm. graec. II § 473 n. 6 p. 578 sq.

[3]) Quaest. de eloc. Polyb. (Stud. Lips. III) p. 290.

## Antecedit tempus

| | primarium | | praeteritum | |
|---|---|---|---|---|
| | coni. | opt. | coni. | opt. |
| ὄφρα κε . . . | I | | I | II |
| | 98 | | 73 | 641 |
| | I | | | 790 |
| | 852 | | | IIII |
| | | | | 603 |
| | | | | 617 |
| | | | | 655 |
| | | | | 1371 |
| Homerus . . | 6 | | 1 | 1 |
| | 6 | | 1 | 1 |
| Apollonius . . | — | — | 1 (I 851) | — |
| Callimachus . | — | — | — | — |
| Quintus . . . | 1 | 1 | 1 | — |
| ὄφρ' ἄν . . . | | | I | II |
| | | | 407 | 691 |
| | | | | 796 |
| | | | | I |
| | | | | 1303 |
| | | | (I) | (I) |
| | | | 290 | 290 |
| | 3 | | 2 | 1 |
| Homerus . . | 3 | | 2 | 1 |
| Apud Apollonium, Callimachum, Quintum ὄφρ' ἄν legi non videtur. | | | | |
| ὥς κε . . . . | | | | I |
| | | | | 938 |
| Homerus . . | 29 | 3 | | 2 |
| | 20 | 3 | | 2 |
| Apollonius . . | — | 3 | — | 13 |
| Callimachus . | (ὥς ἄν I) | — | — | — |
| Quintus . . . | 2 | | 2 | |
| Summae . . | II | — | II | XI |

| | primarium | | praeteritum | |
|---|---|---|---|---|
| | coni. | opt. | coni. | opt. |
| ὄφρα . . . . | I | | II | II |
| | 5 | | 105 | 449 |
| | I | | 943 | 1005 |
| | 390 | | I | II |
| | | | 889 | 307 |
| | | | | 939 |
| | | | (I) | (I) |
| | | | 647 | 647 |
| Homerus . . | 152 | 1 | 12(15) | 47 |
| | 151 | 1 | 12(15) | 46 |
| Apollonius . | 10 | 3 | 7 | 18 |
| Callimachus . | 1 | | 1 | 2 |
| Quintus . . . | 17 | 2 | 29 | 4[1] |
| ἵνα . . . . . | | | I | |
| | | | 249 | — |
| | | | II | I |
| | | | 679 | 191 |
| | | | 775 | |
| Homerus . . | 78 | 2 | 10 | 48 |
| | 78 | 2 | 10 | 48 |
| Apollonius . . | 3 | 3 | 3 | 11 |
| Callimachus . | 4 | | 3 | 2 |
| Quintus . . . | 6 | | 10 | 1 |
| μή . . . . . | | | I | I |
| | | | 56 | 1309 |
| Homerus . . | 81 | | 2 | 26 |
| | 78 | | 2 | 25 |
| Apollonius . . | 10 | 1 | 1 | 6 |
| Callimachus . | 3 | | 1 | |
| Quintus . . . | 14 | 2 | 14 | 2 |
| Summae | II | — | VII | VII |
| Summae summarum . . . | IIII | — | VIIII | XVIIII |

[1]) Koechly optativos, quippe qui raro inveniantur, ubicumque fieri potest, removere studet coniecturis illatis. quam rationem ego probare nequeo.

Ut iam de locis dubiis exponam, in v. 290 ἄροισθε (sic *RSV*, reliqui ἄρησθε) praeferendum esse videtur, cum praecedente tempore praeterito cum particulis κεν vel ἄν plerumque optativus coniungatur. in v. 647 πέλοι scribendum esse Hermannus mihi persuasit his verbis: 'εἴη, quod e cod. Ruhnk. recepit Schneiderus, manifesta interpretatio est, quae hanc certe utilitatem habet, ut inde πέλοι scriptum fuisse a poeta coniciamus' (Vo habet πέλει with η above). accedit quod semper coniunctivus aoristi usurpatur, contra praesentis quoque optativus; cf. 191, 449, (691), 796, 1303, denique 603, nisi ibi lectioni librorum SVo ἀλέοιντο propter praecedens μειλίξαιντο praeferendum est quod RV praebent ἀλέαιντο.

Adparet ex hac tabula Argonauticorum scriptorem multo saepius quam reliquos epicos posteriores adhibuisse κεν vel ἄν. sed Homerum imitatus adeo in externa rerum specie haesit, ut multo saepius quam ille eas particulas praecedente tempore praeterito poneret ac plerumque cum optativo coniungeret, quod rarissime fit apud Homerum. num igitur dubitabimus, quin talis poeta coniunctivo et optativo promiscue usus sit, ita ut discrimine nullo observato optativum Homero usitatiorem saepius quam e. g. Quintus admitteret. et re vera quamcumque coniunctivi explicationem a viris doctis statutam (cf. Weber I 51 sqq., Vogrinz l. s. c. p. 377 sqq.) amplexus eris, nullam omnibus huius carminis locis convenire facile tibi persuadebis.

Unum praeterea commemorare liceat. coniunctivus post praeteritum invenitur apud Homerum, Hesiodum, Pindarum, poetas tragicos, rarius tamen pro numero locorum, quibus optativus legitur. fluctuant oratores attici, ita ut aequentur fere inter se coniunctivus et optativus. Plato et Xenophon optativum praeferunt; apud Herodotum autem et Thucydidem coniunctivus optativum superat (cf. Weber II 103 sqq.); Aristoteles semper fere coniunctivum habet (Weber p. 25); Polybius in quinque prioribus libris semel optativum, tricies semel coniunctivum usurpavit (Kaelker p. 288). nescio an inde, quod historici primi coniunctivum saepius admiserunt quam optativum, aliquid redundet ad aestimandam posteriorum epicorum artem. ex 567 enuntiatis finalibus Homericis 176 fere tempus praeteritum sequuntur (Weber I 50), ex 193 Herodoteis (cf. Weber I 134) 133, ex 277 Thucydideis 225 (cf. Weber II 9 sq.). in carmine, quod tractamus, ex 31 eiusmodi enuntiatis tempus praeteritum excipiunt 27. vides periisse epicum illum colorem; non iam tam saepe res praesentes narrabantur, personae ipsae, quid vellent, dicentes inducebantur. quo saepius autem res praeteritae narrabantur, eo magis causa fuisse videtur, cur coniunctivo adhibito voluntas ipsa exprimeretur.[1])

[1]) Conferas quaeso quae Weber disputat p. 28 (ubi Madvigii praeceptum probat paululum immutatum: 'Oft steht jedoch nach einem Praeteritum der Absichtssatz im

Restat, ut addam particulam ὄφρα nonnumquam non primo enuntiati secundarii loco legi: 290, 449, quod apud alios quoque invenitur (cf. Apoll. II 470, Call. III 109, Quint. XII 378).

Iam quae fusius supra exposui breviter comprehensa proponam. usurpantur in enuntiatis finalibus ab Argonauticorum scriptore particulae ὄφρα, ἵνα, ὡς.[1]) post tempus primarium ponitur coniunctivus aoristi, qui post praeteritum quoque admittitur, quamquam saepius optativus legitur, cui haud raro adduntur particulae κεν vel ἄν cum coniunctivo quoque interdum coniunctae. enuntiatum primarium semper antecedit.

### III. De enuntiatis temporalibus et causalibus.[2])

Indicem particularum temporalium simili modo proponam atque finalium. locos, ubi ἀλλ᾽ ὅτε δή legitur, asterisco significabo, ἀλλ᾽ ὅτε crucis signo adiecto.

---

Conjunctiv, indem er ausgesagt wird, ohne als Glied einer zur Vergangenheit gehörigen Vorstellung bezeichnet zu werden'): 'Wir haben damit zugleich den einfachsten Schlüssel zur Beantwortung der Frage gefunden, woher es kommt, dass die einzelnen Autoren bald diesen, bald jenen Modus bevorzugen: je nach ihrer individuellen Vorliebe machen dieselben von dem einen oder anderen Modusausdruck häufigeren Gebrauch' et Kruegerum gramm. graec. I 54, 8, 2 haec dicentem: 'Vorliebe für die objective Redeweise'.

[1]) Sitzleri coniectura, qui versus inde a. 1316, ne lacuna statuenda sit post v. 1317, sic scribi vult (cf. censuram editionis Abelianae in 'Neue philol. Rundschau' a. 1886 p. 161 sqq.): Ἀλκίνοος μέν ῥ᾽ ὦκ᾽ ἐπετέλλετο κηρύκεσσι | κούρην ἀμφήριστον ἄγειν ἐπὶ νηὸς ἐρυμνῆς | πατρίδ᾽, ὅπως τίσειε δίκην ἀλιτημοσυνάων (codd. ἀπὸ νηὸς ἐρυμνῆς | πατρὶ θ᾽ ἑῷ) probari non potest; nam, ut omittam rationem palaeographicam et duram verborum structuram, Alcinous vix, etsi praecones in v. 1316 eosdem esse atque in v. 1307 Sitzlero concedimus, qua de re sane dubitare licet, imperasse dici potest praeconibus, ut Medeam in patriam reducerent.

[2]) Cf. F. Thuemen, De locut. tempor. usu hom. Berol. 1866, G. Dietrich, De enunt. tempor. hom. ex antiquissima structura paratactica transitu in hypotacticam. Halis Sax. 1885, C. Preuss, De enunt. tempor. apud poetas trag. Graecos usu. Gryphiswaldiae 1864 (quae commentatio absoluta non est), E. H. Friedlaender, De coniunctionis ὅτε apud Homerum vi et usu. Berol. 1860, A. Capellmann, Schedae Homeric. Confluent. 1850 (inde a p. 13 de particula εὖτε agitur), I. Sturm, Geschichtl. Entwickl. der Construct. mit πρίν (Schanz, Beitr. z. hist. Syntax d. griech. Sprache 3). Herbipol. 1882, E. Pfudel, Beitr. zur Syntax der Causalsätze bei Homer. progr. Liegnic. 1871, I. Zycha, Gebrauch von ἐπεί. Meletem. Vindob. VII p. 82 sqq.

| Homerus | Argonaut. | Apollonius | Callimachus | Nicander | Quintus |
|---|---|---|---|---|---|
| ὅτε | 9 †717<br>43 *809<br>*70 872<br>*115 *887<br>120 *991<br>*399 †1049<br>*406 *1088<br>*450 *1143<br>†512 1232<br>†536 *1306<br>*618 *1314<br>†649 †1363<br>*708 | e. g. I 60<br>256<br>559<br>782<br>1012<br>*1164<br>† II 148<br>238<br>†1080<br>*1201 | e. g. III 19<br>21<br>29<br>†66<br>78<br>92<br>141<br>203<br>IIII 84<br>†100<br>ἀλλ' ὅτε δή<br>non legitur | e. g. Th. 16<br>32<br>116<br>164 | de ἀλλ' ὅτε δή cf. Koechlyi notam ad I 120 |
| εὖτε (27ies) | | I 236, 798 e. s. | I 42, 88 e. s. | Th. 5. A. 60 e. s. | I 664, III 236, V 611 |
| ὁπότε | 552 | I 42, 83 e. s. | II 21 et 5ies | Th. 139. A. 30 e. s. | I 302, II 563 e. s. |
| ἐπεί | Loci infra indicabuntur. | | | | |
| ἐπειδή | | II 714 | — | — | ?[1] |
| ἡνίκα<br>semel: χ 198 | 41, 75, 261, 863, 950 | II 906 | III 170, 231, IIII 51, 107, V 105, VI 22 | Th. 130. A. 614 | ? |
| ὁπηνίκα | | — | — | — | ? |
| ὡς (64ies) | 60, (101), 595 | I 1234, II 206, III 673 | IIII 81 | — | I 98, 354 |
| ὅπως | | II 429, III 490, 1167, 1293, IIII 726 | III 51 | A. 163 | ? |
| ἕως | | II 398, III 98, IIII 302 | In indicibus desideratur | | I 195, XIII 200 e. s. |
| ἦμος (37ies) | 120, 303, 1246 | I 209, 450 e. s. | II 99 | Th. 14, 23, 75, 312, 830. A. 180, 314 | I 826, II 183 |
| ὄφρα (108ies) | 347 (so lange)<br>1351 (bis) | I 354, 508, 785 e. s. (19ies) | — | A. 458 | III 753 |
| πρίν | 1312 | I 999, II 6 e. s. | III 144, IIII 321 | — | III 383, 465 e. s. |
| Ab Homero aeque atque ab hoc carmine absunt: | | | | | |
| ἔστε | | II 85, IIII 849, 1581 | e. 6, 7 | Th. 415. A. 66 | ? |
| ἄχρι | | — | — | — | II 653, IIII 92, VIII 464, XIII 97 |
| μέχρι | | IIII 1234 | cf. III 28, IIII 169 | — | I 830, X 273, 436 |

[1]) Koechly in prolegg. cap. II, sect. 37 et 40, coniunctionum, quibus interrogationis signum adpono, ne unum quidem adfert exemplum; notandum sane est eum locos, quibus indicativus legitur, non adscripsisse. in quattuor primis libris, quos ipse perscrutatus sum, eas non inveni. numeros, qui ad Homerum spectant, e Dietrichii libello desumpsi.

Invenitur in Argonauticis coniunctio, quae ita usurpata ab Homero aliena et recentioris aetatis propria est (cf. Bergk, hist. litt. graec. I p. 132 n. 218): *μέσφα* 411 [1]) (cf. Apoll. II 1227, 1258, Call. IIII 47, VI 93), *μέσφ' ὅτε* 1232 (cf. Call. III 195, VI 112, Quint. III 623, VII 621, VIII 134, VIIII 325, XII 296). item recentioris aetatis sunt particulae inter se coniunctae: *ἦμος ὅτε* 120; cf. Apoll. IIII 267, 452, 1310 et Arati v. 584, quo loco primum *ἦμος ὅτε* extare V. I. Loebius testatur (De eloc. Arati. Halis Sax. 1864, p. 44).[2]). quibus locis adlatis adparebit opinor iniuria Schneiderum *τῆμος ὅτε* scripsisse in Arg. v. 120.

Quod ad modum adtinet, in 60 enuntiatis temporalibus (*ἐπεί* vicies legitur) plerumque occurrit indicativus, quater, ubi in enuntiato primario tempus primarium est, coniunctivus: 348 post *ὄφρα*, 552 post *ὁπόταν*, 1232 post *μέσφ' ὅταν*. de v. 1110 in utramque partem disputari potest, utrum versu 348 collato retineamus *ἐπεί . . . ἐξανύσωσι*, cuius structurae perpauca exempla ex Homero adfert La Roche (Ann. gymn. Austr. a. 1876, p. 409 sq.): *Δ* 478, *Ο* 363, 680, *Π* 453, *β* 135, *υ* 86, an cum Schneidero, quem sequuntur Hermannus et Abelius, reponamus *ἐπήν*, quod Quinto, qui *ἐπεί* cum coniunctivo consociatum non adhibuit (cf. Koechly prol. p. LXXXV), satis tritum est; cf. I 303, 732, 810, II 445, VII 213, 298, X 34, XIIII 221. neque Apollonius, si Wellaueri indici fides habenda est, usquam *ἐπεί* solum cum coniunctivo coniunxit, sed *ἐπεί κε* II 1011, III 579. tamen nescio an in codicum lectione adquiescere possimus. exempla coniunctivi cum *ἄν* vel *κε* coniuncti et absque illis particulis in enuntiatis temporalibus positi et ex Homero et e posterioribus epicis peti possunt satis multa.[3]) optativus praesentis semel tempore praeterito antecedente coniungitur cum *πρίν*, quae structura Sturmio (p. 145 sqq.) teste rarissima est. apud Homerum semel (*Φ* 580) optativum aoristi legimus; omnino, qui optativum

---

[1]) Editores qui sic interpungunt: *ἀλλ' ἐγὼ οὐ πιθόμην· πέρι γάρ μοι ἐπήλυθεν αἰδώς, | ὁπλότερον γεγαῶτα γεραιτέρῳ ἰσοφαρίζειν· | μέσφ' αὐτὸς Χείρων ἐλιλαίετο καί μ' ἀέκοντα | ἠνώγει ᾄδοντ' ἐριδαίνεμεν* ita *μέσφα* accipere videntur, ut respondeat latino 'interea', quo modo apud Call. V 55 usurpatum est. meo quidem iudicio verba inde a *πέρι* usque ad *μ' ἀέκοντα* parenthesis loco habenda et cetera ita interpretanda sunt: 'non obtemperavi, dum Chiron ipse cupiditate captus invitum me cantu certare iussit'.

[2]) Addam *ἐξ οὗ* et *εἰσόκε* (cf. Schneideri notam ad Call. IIII 150 et Quint. II 30, 74), quae apud Homerum 'in verae coniunctionis partes veniunt,' in Argonauticis non legi.

[3]) Hac occasione data moneo Kruegeri sententiae gramm. graecae II 54, 16, 1 negantis cum particula *ἦμος* umquam coniunctivum consociari adversari *δ* 400, de quo loco cf. La Roche l. s. c. p. 410, qui in v. 169 hymn. in Ven. quoque coniunctivum reponi vult. apud Nicandrum inveni *ἦμος . . εὕδῃς* (Th. 23) et *ἦμος τύψῃσιν* (Th. 830).

admittunt, aoristum plerumque usurpant (Sturm p. 153). apud Apollonium, Callimachum, Quintum semper infinitivus legi videtur.[1])

Sed in tabella, quam supra proposui, insunt loci quidam, de quibus singillatim disputandum est. qua in re ordinem, quo particulas enumeravi, sequar. v. 9 sq. librorum scripturam *ὅταν . . . . φρικώδεα κῆλα πίφαυσκον* — id enim Wielius II 28 lenissima mutatione pro *κῆλ' ἐπίφαυσκον* vel *ἐπίφασκον* restituit — retineri non posse facile opinor omnes concedent. Hermanni coniecturae *πιφαύσκω* Wielius bene opposuit haec: 'dicit . . poeta nunc se ea canturum, quae numquam cecinerit antea'. quae sententiae ratio cum coniunctivum non ferat, ipse scribendum esse suspicatur *ὅτ' ἐν . . . πίφαυσκον* et locutionem *ἐν κέντρῳ ἐλαυνόμενος* satis firmat 'similium exemplorum certa analogia': v. 929, *E* 386, 558, Aesch. Prom. 464.[2]) quam coniecturam cum Abelio recipiendam esse duco. — v. 43 quin coniecturae Vossii *ὅτ' ἐν* (pro *ὅσον*; Wratislaviensis, unus e deterioribus, habet *ὅσ' ἐν*) et Schneideri *Αἰγύπτῳ* (pro *αἰγυπτίων*) probandae sint, non dubito. sed tum non colon post *ἀλόχοιο* ponendum esse cum Abelio puto, sed comma, cum illud *ὅτε* coordinatum esse videatur particulae *ἡνίκα* in v. 41. — v. 649 recte Abelius librorum lectionem *ἀλλ' ὅτε πρὸς μεσάτην ἠῶ τρέπεν* retinet; *δή*, quod in RV post *ἀλλ' ὅτε* legitur, sane e tritioris formulae recordatione oriri potuit. contra quomodo, si Hermanni, qui scripsit *αὐτάρ οἱ μεσάτην*, coniecturam sequimur, corruptela explicetur, non video.

Dignum praeterea est, quod notetur, *ὅτε* vel *ὁπότε* numquam, ut saepissime fit apud Homerum, Apollonium (cf. II 79, 123, 278), Quintum (cf. Koechly prol. p. LXXXI sqq.), in comparationibus adhiberi; comparationes enim omnino desunt in hoc carmine. particulae *ὡς* in vv. 60 et 595 consueto Homeri more articulus praecedit. de v. 101 infra agam. quod ad v. 301 adtinet: *καὶ τότε δὴ μάλα πάντες ἐπήνεον, ὡς ἐκέλευεν* | *Ἡρακλέης*, dubitari potest, utrum *ὡς* sensu temporali an comparativo accipiendum sit. sed hoc praeferendum videtur propter tempus imperfectum;[3]) cf. Apoll. I 348 *ἐπὶ δ' ᾔνεον, ὡς ἐκέλευεν* | *Ἡρακλέης*. causali sensu *ὡς* accipiendum est, si traditam scripturam retinemus v. 298 sqq. *ἀλλ' οὐ πεῖθον ἄνακτα πεπνυμένον* (Herculem), *ὅς ῥά οἱ ἤδη* | *Ἥρης ἐννεσίῃσι τετιμένον Αἴσονος υἱόν,* | *ὡς δὴ* (*ῥα* SVo) *οἱ κλέος ἐσθλὸν ἐπ' ἐσσομένοισιν ὄπαζεν·* | *ὅς ῥά οἱ αὐτὸς ἔνισπεν Ἰήσονα κοίρανον εἶναι.* quod ad Homerum adtinet,

---

[1]) Praeterea *πρίν* adverbii vices gerit in v. 49; cf. Apoll. I 41, 1340, Call. V 114; Nic. Th. 366, Quint. I 505 *(τὸ πρίν)*. in v. 260 ita usurpatur *πάρος*, quod apud Apollonium et adverbium est (I 476, III 182) et coniunctio (I 692), item apud Quintum (cf. III 424, IIII 485), apud Callimachum (ep. 6, 9) et Nicandrum (A. 286) adverbium.

[2]) Adde Opp. Cyn. IIII 175 sq., II 440 et Schmidt. p. 49 n.

[3]) Praeterea *ὡς* sensu comparativo legitur in v. 934.

de vi causali huius voculae dubitatur. paucis enim iis locis, qui a nonnullis viris doctis ita explicantur, aut vis comparativa vel exclamativa statui aut ὥς scribi potest. locos collectos invenies in Ebelingii lexico II 497 ϑ, ι, 498ᵃ c, β; cf. Schmitt l. s. c. pp. 55 sqq. tamen nescio an significatione causali, quae comparativae vel exlamativae proxima est et vernacule exprimi potest vertendo 'wie denn', Argonauticorum scriptor ὡς nonnullis locis acceperit, velut β 233 *μή τις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω | σκηπτοῦχος βασιλεύς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς, | ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι, | ὡς οὔ τις μέμνηται Ὀδυσσῆος ϑείοιο | λαῶν, οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν,* δ 373 *νήπιός εἰς, ὦ ξεῖνε, λίην τόσον ἠδὲ χαλίφρων, | ἦε ἑκὼν μεϑίεις καὶ τέρπεαι ἄλγεα πάσχων; | ὡς δὴ δήϑ' ἐνὶ νήσῳ ἐρύκεαι, οὐδέ τι τέκμωρ | εὑρέμεναι δύνασαι, μινύϑει δέ τοι ἦτορ ἑταίρων.* cf. Apoll. I 82 *αἶσα γὰρ ἦεν | αὐτὸν ὁμῶς Μόψον τε . . . Λιβύης ἐνὶ πείρασι δηωϑῆναι, | ὡς οὐκ ἀνϑρώποισι κακὸν μήκιστον ἐπαυρεῖν.* e Callimacho, Nicandro, Quinto quae proferam exempla non habeo.[1]) itaque opus non esse puto medela, quae v. 417 collato in mentem mihi venerat: *ἠδ' ὡς*. Hermanni coniectura Abelio probata *ἦ δή* utique violentior est.

De particulis *ἦμος* et *ὄφρα* haec addam. in v. 1246 codd. exhibent *τῆμος* pro *ἦμος* positum, 347, 939, 1303 *τόφρα* pro *ὄφρα*; duobus extremis locis *τόφρα* particula finalis est. Schneiderus Hermannus Abelius in uno v. 939 *τόφρα* retinuerunt metro firmatum. sed si in hac disputatione ad pronomina et adverbia relativa pervenerimus, videbimus certis quibusdam versus locis pro relativis usurpari formas demonstrativas, quae metro non exiguntur. Callimachi sane versus IIII 39 sq. *τόφρα μὲν οὔπω σοι χρυσέη ἐπεμίσγετο Λητώ, | τόφρα δ' ἔτ' Ἀστερίη σὺ καὶ οὐδέπω ἔκλεο Δῆλος* paratactice, ut aiunt, non hypotactice coniunctos esse censeo. Apollonii loci III 807 (*τόφρα*), IIII 821, 1617 (*τείως*) excusantur ratione metrica. de Quinto Koechly nihil adnotavit. quod si considero iam ab antiquioribus scriptoribus *τέως* pro *ἕως* usurpari[2]), a codicum memoria recedendum esse nego. itaque opus non est in v. 366 cum Slothouwero *ἦμος* reponere pro *τῆμος*, si enuntiata secundaria efficere volumus. cur autem Hermannus ea, quae vv. 369 sq. leguntur, 'perineptam apodosim' praebere dicat, non video; immo enuntiatis secundariis statutis conexus sententiarum melior evadere videtur. de particulis *καὶ τότε δή* infra disputabo. quod ad v. 1350 sq. adtinet, quos codd. sic exhibere Hermannus putavit *ὅσσα τ' ἄρ'*

---

[1]) Usurpatur *ὡς* sensu causali a prosae atticae scriptoribus et poetis tragicis; cf. Krueger I 65, 8, Ellendtii lex. Soph. II 1008 sq., Schinck p. VII.

[2]) Apud Herodotum duo extant loci I 173 et IIII 165, quorum Holder, novissimus editor, illum mutavit, hunc intactum reliquit. de Demosthene cf. indicem alterum in Rehdantzii editione s. v. *τέως*.

ἐν Κρήτῃ πάθον ἄλγεα τετληῶτες, | χάλκειον τριγίγαντα δοκεύμενοι, ὄφρ' ἱκόμεσθα, ne longus sim, Wielii verba (IIII 12) proferam, qui recte de hoc loco iudicasse mihi videtur: 'cum sive veniendi sive supplicandi sive vi et armis vincendi notio utroque loco' — optimo iure ille confert v. 939 ἠδ' ὡς θῆρα πέλωρον ἱκοίμεθα — 'aeque inepta sit . . ., non dubito, quin huic vocabulo significatione aliquantum immutata quidem, sed ad homericum illud *Α* 139 ὁ δέ κεν κεχολώσεται, ὅν κεν ἵκωμαι proxime accedente ea vis vindicanda sit, quam Latinorum superveniendi verbo aliquoties inesse videmus, nostro autem 'einem beikommen.' quamquam difficultas quaedam restat in vocabulo *δοκεύμενοι*, a quo pendere expectamus enuntiatum ab *ὄφρα* incipiens. recte enim Hermannus, qui hunc locum ita interpretatus est: 'gigantem speculati, donec tandem pervenimus', adnotat: 'sed quis sibi persuadeat tam inutile et ineptum additamentum a poeta etiam mediocri proficisci potuisse.' sed Abelio teste in libris est *δοκεύμενος*, ita ut aequo iure cum Wielio *δοκεύμενον* scribere liceat, qua coniectura accepta difficultas illa evanescit neque opus est Hermanni commento *κίχοιμεν* aut Schneideri *δάμοιμεν*.

Iam vero accedamus ad *ἐπεί* et primum quidem agamus de diversis, quos Zycha et Dietrichius in commentationibus suis proposuerunt, locorum numeris. dicit ille 333ies *ἐπεί* usurpari sensu causali apud Homerum, sensu temporali 271ies, contra Dietrichius p. 25 haec profert: legitur *ἐπεί* M. T. i. e. vi mere temporali: 373ies, T. C. i. e. temporali, cui causalis iam subest: 27ies, T. C. i. e. et temporali et causali: 37ies, T. C. i. e. causali, in qua temporalis nondum evanuit: 111ies, M. C. i. e. mere causali: 225ies, vel, si cum Ebelingii lexico, quo collato recte in universum Dietrichium computasse mihi persuasi, significationi causali adscribimus locos litteris M. C. et T. C. insignitos, ceteros temporali, 437ies sensu temporali, 336ies sensu causali. itaque Zycha locos 604, Dietrichius 773 numerat. putabam hanc repugnantiam ita tolli posse, ut Zycham versus repetitos semel tantum numerasse sumerem. sed hoc non sufficere mox intellexi. etenim contendit Zycha p. 85 in enuntiatis temporalibus bis tantum legi imperfectum, Ebelingius autem (I 435b b) duodecim locos adfert, e quibus ea, quam supra indicavi, ratione sex tantum detrahi possunt. ac ne quis forte dicat eum nonnullos locos significationi causali adscripsisse, videamus quot imperfecta vi causali usurpata inveniantur. Ebelingius, si recte computavi, I 436b d promiscue 71 locos commemorat, ubi imperfectum vel plusquamperfectum legitur. eundem fere numerum habet Dietrichius, dico 69. Zycha non plus, sed minus habet: 55 imperfecta, 10 plusquamperfecta. fieri igitur non potuit, quin Zychae fidem denegarem. id sane concedendum erit apud Homerum vim causalem multo saepius inveniri quam in Argonauticis, quorum locos v. 1094 utpote lacunoso neglecto statim

adferam. tres autem significationes distinguo his litteris adhibitis: M. T., M. C., T. C. (i. e. quae medium tenet inter temporalem et causalem). formulam *αὐτὰρ ἐπεί* asterisco addito notabo.

Coniungitur *ἐπεί* cum indicativo aoristi: M. T.: *355, *455, *629, *760, 782, *1036 *(κίον)*, *1078, *1105, *1222, *1250, *1291, *1337, *1341, T. C.: 47, 418, 1287, cum indicativo imperfecti, quod aoristi fere vicem obtinet: M. T.: *234 *(ἔπλετο)*, *934 *(κλύομεν)*, *1178 *(ἔκλυον)*, cum indicativo praesentis: M. T.: 79 *(ἐπεὶ πρώτιστον)*, M. C.: 1148, 1162. de v. 1110 supra disputavi. apud Callimachum vis causalis frequentior est[1]): ind. aor. M. T.: I 15, IIII 74, 153, VI 60, T. C.: IIII 37, 259, V 104, e. 63, 4, M. C.: IIII 119, V 132. — imperf. M. T.: VI 79 *(ἤρτυε)*. — plusquamperf. T. C.: IIII 78. — ind. praes. M. C.: I 5, 79, IIII 164, 290. — perf. M. C.: II 29 *(ἧσται)*. idem de Quinto valere videtur: cf. I 459, 494, 515, 570, 682, 785 — 56, 192, 216, 507, 649, 662, 673, 703, 769. ceterum cum de Apollonio et de Quinto non satis accurate edocti simus, hanc tabellam propono iis tantum, quibus indicativus legitur, locis respectis.

| | Homerus | | | Callimachus | | | Argonautica | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | M. T. | T. C. | M. C. | M. T. | T. C. | M. C. | M. T. | T. C. | M. C. |
| aor. . . . | 273 | 127 | 21 | 4 | 4 | 2 | 13 | 3 | — |
| imperf. . . | 8 | 21 | 44 | 1 | — | — | 3 | — | — |
| praes. . . | — | 10 | 117 | — | — | 4 | 1 | — | 2 |
| perf. . . . | 1 | 10 | 17 | — | — | 1 | — | — | — |
| plusq. . . | 3 | 4 | 6 | — | 1 | — | — | — | — |
| | **285** | **172** | **205** | **5** | **5** | **7** | **17** | **3** | **2** |

Adparet igitur recte se habere, quod Zycha contendit in enuntiatis temporalibus aoristum primum locum obtinere, in causalibus praesens. quod ad singulos locos adtinet, cum v. 47 *νῦν δ', ἐπεὶ ἠερόφοιτος ἀπέπτατο δήιος οἶστρος* conferas *ψ* 115 *νῦν δ' ὅτι ῥυπόω*, quo uno loco excepto enuntiato causali ab *ὅ* vel *ὅτι* particulis incipienti praecedere apud Homerum primarium Pfudelius dicit (p. 31),[2]) cum v. 782 *ἦ δ' ἐπεί:* *A* 57, *δ* 49, *ρ* 88, Apoll. II 67. in v. 418 *ἠδ' ὡς Ἡρακλῆι καταντία μαιμώοντες ἐν Φολόῃ δήρισαν, ἐπεὶ μένος οἶνος ἔγειρεν* recte Schneider ante

[1]) Formula *αὐτὰρ ἐπεί*, quae ut Homero ita Apollonio et Quinto trita est, apud Call. non legitur.

[2]) Hac occasione data moneo inter 60 enuntiata temporalia non plus decem esse, quibus praecedit enuntiatum primarium: 9, 43, 79, 120, 418, 872, 1232, 1287, 1312, 1350.

ἐπεί comma ponit; cum enim hic locus bene ita verti possit: 'et quomodo certaverint, cum vinum animos excitasset', causa esse non videtur, cur cum Hermanno et Abelio colon ponamus.

Agendum porro est de vv. 184, 677, 680. in v. 184 RVoV, in v. 677 RVoSV illud ἐπί praebent, quod pro vulgato ἐπεί se reposuisse Schneider putavit; recte enim ἐπεί pro ἔπειτα dici potuisse negavit. ἐπί his locis aeque atque in v. 325 significare vult idem quod ἐπὶ τούτοις (ausserdem[1]), quod meo quidem iudicio probandum est. item Abelius codicum lectionem praetulit Hermanni coniecturis semper semperque illud οἱ inferentis. in v. autem 680 sqq. codd. optimi exhibent: *αὐτὰρ ἐπεὶ Φινῆος Ἀγηνορίδαο λιπόντες | αὖλιν ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θαλάσσης ἐξικόμεσθα | ἀγχοῦ Κυανέαις πέτραις, ἅς μοί ποτε μήτηρ | ἡμετέρη κατέλεξε περίφρων Καλλιόπεια. | οὐ γάρ οἱ ἐξυπάλυξις διζυροῖο πόνοιο· | ἀλλὰ κατειρύμεναι ἀνέμων ἀργῆσσιν ἀέλλαις | ξυμβλῆτες πίπτουσιν ἐπ' ἀλλήλῃσιν ἰοῦσαι· | δοῦπος δ' ἂμ πέλαγός τε καὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανε.* Schneideri ἐπί huic loco non convenire recte Abelius sensisse videtur, cum scriberet: *Ἀγηνορίδεω κατέλειπον.* sed quis quaeso coniectura inferet talem personae grammaticae commutationem? praeterea in tempore imperfecto haud immerito offendit Sitzler (l. c.).[2]) ipse obiectum desiderat ad verbum ἐξικόμεσθα relatum et putat versum intercidisse scriba oculis aberrante, cum haec fere extarent in libro: *θαλάσσης ἐκφερόμεσθα | δὴ τότε δινήεντα πόρον ῥόον ἐξικόμεσθα* (cf. Apoll. Π 551). addidit autem ad ἐκφερόμεσθα 'vel ἐκπερόωμεν', quo accepto et coniecturae probabilitas imminuitur et imperfectum infertur. iam si verba *ἀγχοῦ Κυανέαις πέτραις* non sufficiunt ad locum significandum — qua de re equidem dubito — scribi potest *Κυανέας πέτρας,* ita ut ἀγχοῦ absolute sit positum. quod autem ad apodosim adtinet, aut anacoluthia statuenda est, quae saepius apud Homerum admittitur post ἐπεί (cf. γ 103, δ 204, θ 236), aut, quod magis placet, enuntiatum primarium incipit a verbis *δοῦπος δ' ἂμ πέλαγος.* tum verba inde ab *οὐ γάρ οἱ* usque ad *ἰοῦσαι* explicatio sunt sententiae, quae inest in enuntiato relativo *ἅς . . . κατέλεξε*: 'rupes Cyaneas periculosas esse'.

*Αὐτὰρ ἐπεί ῥ'* legitur 355, 629; coniectura illatum est in vv. 455 et 1178 ab Hermanno pro codicum scriptura ἐπεί τ'. sed cur illud ἐπεί τε idcirco mutemus, quod ter tantum apud Homerum invenitur: *Α* 87, 562, *Μ* 393 — Herodoto satis tritum est; cf. Kuehner II p. 702 — non

---

[1]) Cf. Kruegeri notam ad Arriani Anabasim I 3, 2: 'ἐπὶ δὲ Γέτας 'ausserdem, sodann' ohne Casus ist herodoteischer Sprachgebrauch, der auch bei den Spätesten selten ist; öfter bei Arrian, wie I 14, 2, II 7, 5; 8, 4, III 22, 4, V 5, 1'. de productione syllabae finalis voculae ἐπί egi p. 245 sq.

[2]) Eadem fere Abelii coniecturae Weizsaecker (l. s. c.) opponit, qui corruptelam in ἐπεί latere putat.

video; cf. Schneideri notam ad Nicandri Ther. 285, qui adfert Apoll. IIII 323 et 366.

Quod ad particulas adtinet cum *ἐπεί* causali coniunctas, habemus 1148 *ἐπεί νύ τοι* (cf. Apoll. I 1290, Quint. VI 385), 1162 *ἐπεὶ νῦν*, ad quem versum Hermannus haec adnotat: 'si bene observavi consuetudinem, recte *ἐπεί νύ οἱ* . . . repositum est'. sed si de consuetudine omnino verba fieri possunt, *ἐπεί νύ τοι* reponendum erat. Wielium sine causa hunc locum immutasse adparebit ex eius ipsius verbis (II 22): 'illud *αἰέν* et ipsum sine sensu et sententiarum rerumque continuationi repugnans displicet'. at nonne id interpretari possumus vernacule 'da von jetzt an immer die Erinys nachfolgt'? tum pergit Wielius his verbis: 'Cribellius habet 'fera Erinnys', unde poetae restituendum est *ἐπεὶ νῦν αἰνὴ Ἐριννύς*, nisi graviore mutatione scribere malis *ἐπειγομένοισί τ' Ἐ.*, cum etiam *νῦν* non valde placeat.' idem p. 7 in v. 1148 *νῦν* reponi vult, cum inter versus, quorum 'primam et alteram quarti pedis thesim voces monosyllabae obtinent, quattuor tantum careant caesura semiquinaria.' sed num illi versus — dico 656, 1044, 1091 — propterea immutandi sint, ego quidem vehementer dubito.

Praeter *ὡς* et *ἐπεί* sensu causali *οὕνεκα*, quod Quinto 'in deliciis est' (cf. Koechlyi notam ad IIII 128), usurpatur 177 et 495[1]) cum indicativo coniunctum; cf. Apoll. I 615, III 246, 334, 470, 626, 1125, IIII 793, 1032, Call. II 97, III 236, IIII 53, 57, 247, Nicandr. Ther. 484, Al. 407, 620. aliae coniunctiones causales non leguntur in Argonauticis.

Restat, ut pauca addam de particulis in apodosi enuntiatorum temporalium positis.[2]) sunt autem hae: *δὴ τότε* 355, 887 (cf. *M* 13, *γ* 269, 342), *δή ῥα τότ'* 1143 (cf. *Ω* 448), *καὶ τότε δή* 366 (cf. *Θ* 68, *δ* 431, *ι* 58), *καὶ τότε* 1339 (cf. *ζ* 297, *ι* 250, *κ* 346, *τ* 251), *τότε* 1222 (cf. *Λ* 191, 206), *αὐτίκα* 760, 708 *(ἄρ')* (cf. *B* 661, *γ* 447, *ο* 92), *ἔνθα* 991 (cf. *Π* 462, *Z* 242), *τῆμος* 303, 512 (cf. *ν* 93, *Λ* 84). de v. 1339 haec dicit Sitzler '1339 ist nach der ständigen Uebung(?) unseres Dichters *δὴ τότε* statt *καὶ τότε* zu schreiben. Auch Homer hat *καὶ τότε* allein nicht gebraucht, um den Nachsatz einzuleiten.' sed loci homerici, quos modo ad-

---

[1]) V. 495 sqq. cum vix aliter accipi possint atque ita, ut Cribellius eos expressit vertendo:

'Atque una Minyae reliqui monumenta Minervae
Erecto aedificant saxo, pulcherrimus unde
Manat ab Artaciae nympharum munere gurges,
Dona deae quoniam per concava littora ponti
Hellespontiacis facies arrisit in undis'.

adparet haud recte ab Hermanno et Abelio colon poni ante *ἔνθα*.

[2]) Versus cito, in quibus coniunctio legitur.

tuli, facillime peti poterant ex Ebelingii lexico II 341[b]. quem librum si quis inspicere noluit, eius certe non erat coniecturas proponere. praeterea si recte disputavi de v. 366 sq., illud *καὶ τότε δή* accedit ad *καὶ τότε* firmandum.

De *δέ* apodotico, quod vocant, fusius agere huius loci non est; id autem dignum, quod notetur, omnes Argonauticorum locos eius generis esse, quod Th. Gomperzius in Meletematis Herodoteis (Sitzungsber. der Wiener Acad. phil.-hist. Cl. CIII 544 sqq., 594 sqq.) tamquam primum proponit: particulam quoque adversativam in protasi habemus.[1]) sunt autem versus hi: 234 (recte Sitzler *δ'* defendit contra Hermanni coniecturam *ῥ'*), 351 (liceat absolvere rem de hoc loco, ubi praecedit enuntiatum relativum; forma pronominis *οὗτος* apud Homerum, nisi qui me fugit e locis a L. Lahmeyero[2]) collatis, cum *δέ* apodotico non coniungitur, sed apud Herodotum; cf. I 138), 649 (apodosim incipere puto a verbis *κραιπνὸς δ'*; eo minus igitur causae est, cur cum Wielio II 13 sq. *ἐγεγώνεε Τῖφυς* scribamus pro eo, quod in libris traditum est *Τῖφυς δ' ἐγεγώνει*, nisi re vera eam mutandi causam esse putamus, quod ceteris huius carminis locis gubernatoris illius nomen aut primo aut extremo versus loco positum est), 680, 1036 (*ὑπ' εἰρεσίαις δὲ*), 1088 (Hermannus post hunc versum signa lacunae posuit, quod verba *χεῖρες δ' οὐκέτ' ἔμιμνον* initium apodosis esse nequirent; equidem apodosim incipere puto a v. 1092 *Ἀγκαῖος δ' ἐξᾶλτο*), 1341 (Hermannus *δέ* in *τε* mutavit).

Quod si in unum comprehendimus, quae disputata sunt, in enuntiatis temporalibus, quae primariis plerumque praecedunt, hae inveniuntur particulae[3]): *ὅτε, ἐπεί, ἡνίκα, ἦμος, ὡς, ὄφρα, μέσφα, πρίν, ὁπότε.* coniunctivus bis legitur cum particula *ἄν*, bis absque illa, optativus semel. vi causali usurpantur *ἐπεί* et *οὕνεκα* ac fortasse *ὡς*.

## IV. De enuntiatis condicionalibus et de enuntiatorum relativorum formis hypotheticis.[4])

In primae eiusmodi enuntiatorum formae exemplis, quae leguntur in v. 1325 et 1327, nihil quod memorabile sit inest, nisi quod hoc loco duo

---

[1]) Idem cadit in Apollonii locos, quos Wellauer suppeditat, I 318, 681, 1236 et in Opp. Cyneg. locum II 255, quem unum adfert Lehrs Quaest. ep. p. 319. Halieuticorum loci ibidem collecti, ubi *ὁ δὲ* habemus, non omnes ita comparati sunt.

[2]) De apodotico qui dicitur particulae *δέ* in carm. hom. usu. Lipsiae 1879.

[3]) Habes eas secundum frequentiam digestas.

[4]) Cf. G. Goodwin, Classification d. griech. hypoth. Sätze. Philol. XXVIII 741 sqq., L. Tillmanns, *Εἰ* mit Ind. d. Haupttempora und *ἐάν* mit Conj. Ann. phil. CI 649 sqq.,

enuntiata hypothetica inter se opponuntur particulis *μέν* et *δέ* [1]); cf. 844 sqq. quod ad v. 1167 sqq. adtinet: *εἰ μὴ γάρ μ' ἱερῇσιν ἐπιγνάμψαντες ἄκρῃσι | κόλπον ἔσω γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης | ἵξεσθ', ἂμ πέλαγος Ἀτλαντικὸν ἐκτὸς ἵκωμαι* (codd. habent *εἰ μή τ' ἄρ* [2]). Hermannus *κεν* inseruit post *πέλαγος* 'et orationis lege et metro iubente, quandoquidem noster ut recentiores epici non solet brevem syllabam in caesura producere nisi in phrasibus ex Homero sumptis' et adposuit locum homericum *Α* 137 *εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.* de re metrica satis mihi videor exposuisse pp. 244, 246 sqq., 251; nec magis de orationis lege Hermanno adsentior. apud Homerum enim ipsum solus quoque coniunctivus futuri fere vices gerens [3]) in apodosi periodi hypotheticae invenitur *μ* 382 *εἰ δέ μοι οὐ τίσουσι βοῶν ἐπιεικέ' ἀμοιβήν, | δύσομαι εἰς Ἀίδαο καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω.* verum prorsus aliter res se habet in Argonauticis, quorum nullo loco *κεν* vel *ἄν* in enuntiato primario legitur; nam vv. 473, 816, 846 aperte corrupti sunt. [4])

C. Tumlirz, Versuch einer Theorie der hypoth. Sätze. progr. Smichov. 1880 (ad rationem logicam magis spectat quam ad grammaticam), I. F. Lilie, De locutionum hypoth. usu hom. Vratislaviae 1863, L. Lange, Der hom. Gebrauch der Partikel *εἰ*. Lips. 1872/73, A. Rohde, Die hypoth. Sätze bei Homer. progr. Wittenberg. 1886 (ad primam tantum formam spectat), A. Winter, De modorum in enunt. condic. apud trag. Graecos usu. Vratislaviae 1865, F. Petri, De enunt. condic. apud Aristoph. usu. Halis Sax. 1887. reliquas commentationes, quae in Huebneri libro 'Grundriss zu Vorlesungen über griech. Syntax' § 61 f. 1 adferuntur, exceptis Classenii Observationibus et Delbrueckii Quaestionibus syntacticis inspicere non potui.

[1]) Quam formam M. Schanzius (cf. Ann. phil. CI p. 225 sqq.) insignire consuevit nomine 'Bifurcation'.

[2]) Particularum cum Hermanno transponendarum *(εἰ γὰρ μή)* causam non esse facile intelleges collatis locis homericis, quos congessit J. Bekkerus (Homer. Blätter p. 286 n. 5): *Μ* 67, 322 *(εἰ μὲν γάρ)*, *Μ* 245, 302, *Ν* 288 *(εἴ περ γάρ)*. post alia quoque vocabula in hoc carmine *γάρ* tertio loco positum est 837 *(οἳ μέν)*, 974 *(ἣ μέν)*, 1123 *(ἐν μέν)*, 1323 *(θυμαίνει μάλα γάρ*; cf. *Ν* 49 *ἄλλῃ μὲν γάρ*, *Ρ* 461 *ῥέα μὲν γάρ)*.

[3]) Cf. omnino R. Masius, Ueber den Conjunctiv in unabhängigen Sätzen bei Homer. progr. gymn. Glagov. 1885, cuius sententiam ('Modus der Erwartung') Delbrueckio ('Modus des Wollens'; cf. Synt. Forsch. t. I et t. V p. 302 sqq.) contrariam probat Vogrinzius (Burs. Ann. t. 42, p. 219).

[4]) Qua re perpensa adparere puto, quanta audacia usus Sitzler l. c. v. 291 sic legendum esse suaserit: *ἀλλ' οὔ οἱ κάρτος τιν' ἀρειότερόν κε γενέσθαι Ἡρακλῆος ἄνακτος ὀίομαι.* certe offendendum non erat in verbis *κάρτιστον ἀρειότερόν τε*; nam si dici potest *κάρτιστον Ἡρακλῆος* (der tapferste im Vergleich mit H.) — cf. *λ* 483 *σεῖο ... οὔ τις ἀνὴρ ... μακάρτατος* et, qui de hoc usu disputaverunt, Hermann. ad Viger. p. 717 sq., Kuehner II p. 21, I. Kvičala (Ann. gymn. Austr. 1858 p. 432 sq.), H. Ziemer, Junggramm. Streifzuege. Colberg 1882. p. 131, Vogrinz p. 189 et Apoll. III 91 *πίθοιτό κεν ὔμμι μάλιστα | ἢ ἐμοί* — et *ἀρειότερον Ἡ.*, coniunctio quoque horum membrorum tolerari posse videtur. in Herwerdeni coniectura (cf. Mnemos. n. s. XIIII p. 20) *ἀλλ' οὔ οἵ τινα κάρρον' ἀρειότερόν τε* forma dorica displicet.

Difficilior oritur quaestio de v. 904

*αὐτὰρ ἐπὶ σταθμοῖο πυλῶν τηλῶπις ἄνασσα*
*ἱστάνει, αἰθύσσουσα πυρὸς σέλας, ἥν τέ νυ Κόλχοι*
*Ἄρτεμιν ἐμπυλίην κελαδοδρόμον ἱλάσκονται*
*δεινὴν ἀνθρώποισιν ἰδεῖν, δεινήν τ᾽ ἐσακοῦσαι,*
*εἰ μή τις τελετὰς πελάσει καὶ θύσθλα καθαρμῶν.*

Schneider *πελάσαι* dedit haec adnotans: 'Ita correxi vulgatum *πελάσει*', neque negari potest tempus futurum post verba *ἱλάσκονται δεινὴν ἰδεῖν*, quae sunt *δεινή ἐστιν ἰδεῖν*, miros nos habere. adferat quispiam v. 1324 *θυμαίνει μάλα γάρ σφι Διωναίη Ἀφροδίτη* | *ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν, ὅτις τάδε μήσεται ἔργα.* sed illud *μήσεται* pro coniunctivo accipi posse docet Apollonii Rhodii usus, cuius exemplum hunc scriptorem secutum esse cum per se veri simile est, tum iam Schneider et Wielius occasione data demonstraverunt. de Apollonio conferas haec Rzachii verba: 'Hier sind zunächst die Reste kurzvocalischer Bildung bei den sigmatischen Aoristen zu betrachten. Dass auch diese alten Formen Conjunctive primärer Bildung zu sigmatischen Aoristen ohne Themavocal sind, kann jetzt niemand mehr in Abrede stellen (vgl. Westphal, Method. Gr. I 2, 266 sq., Curtius, Verb. II 259). Da diese Formen dem Verständnis der alexandrinischen Grammatiker äusserlich doch immer näher lagen als die früher erwähnten Conjunctive des Praesens und des starken Aorists, so verwendet sie Apollonius auch etwas öfter als jene.'[1]) conferas quaeso Call. IIII 229, Quint. I 499, VI 448. exempla Nicandrea praesto non sunt. accedit, quod in Argonauticorum loco 347 sqq. propter *ὄφρα μὲν . . . . μίμνωμεν*, quod praecedit, illud *δηλήσεται (ὅς δέ κε συνθεσίας δηλήσεται)* vix pro futuro accipi potest.[2]) iam cum locus ille similis removeri possit, videamus, utrum futurum in v. 904 ferendum sit necne. quae res decerni nequit nisi aliorum scriptorum locis adscitis. cum e Callimacho[3]) Nicandro Quinto (cf. Koechly p. LXXXVIII sq.) nihil praesto esset, Apollonii autem loci aliter essent comparati — uno enim (II 637) excepto, ubi in apodosis verbis *ἀμφὶ ἄλλων δείδι᾽ ἑταίρων* futuri notionem inesse puto, in enuntiato primario habemus optativum cum particulis *ἄν* vel *κε* coniunctum (III 75, 98, 901, IIII 834) — nihil aliud restabat nisi locos homericos con-

---

[1]) Cf. Gramm. Stud. z. Apoll. Rhod. Sitzungsber. der Wiener Acad. phil.-hist. Cl. 89, p. 574. adfert I 1332, II 1073, III 909, IIII 182, 438, 831 *(δηλήσεται)*, praeterea I 665, III 570, de quibus locis nescio an eodem modo dubitari possit, quo Rzachius ipse de IIII 1418 dubitat.

[2]) Particulae *κεν* in enuntiatis relativis futuri indicativo additae haec fere exempla extant homerica: *Α* 175, *Ι* 155, *Μ* 226, *ε* 36, *κ* 432; ceterum cf. Eb. I 696, 2 a.

[3]) Locum similem IIII 234 — agitur de enuntiato temporali — suo iure Schneider correxit.

ferre, quos e Rohdii commentatione p. 17, et Sophocleos, quos e tabella Winteri disputationi addita sumere potui. mittamus locos *N* 97 (cf. 374), *ω* 433, Ant. 485, El. 1210, Oed. R. 54, 521, 847, Trach. 1246, Phil. 68, 988), ubi praesens, quod in enuntiato primario legitur, pro futuro positum est; cf. Krueger I 53, 1, 6 et 8, II 53, 1, 1 et 6.[1]) nulla enim inter hos et locum, de quo agitur, intercedit similitudo. sed simillima primo obtutu videntur *I* 230 *ἐν δοιῇ δὲ σόας ἔμεν ἢ ἀπολέσθαι | νῆας ἐυσσέλμους, εἰ μὴ σύγε δύσεαι ἀλκήν*, *Θ* 423[2]). *ἀλλὰ σύγ' αἰνοτάτη . ., εἰ ἐτέον γε τολμήσεις*, cf. *φ* 170, El. 500. his autem locis de singulari quadam condicione verba fiunt, et iam eo, quo quis loquitur, tempore res, quae apodosi exprimitur, aliter se haberet, si condicio illa futura non esset; veluti: 'iam est *αἰνοτάτη*, si postea audebit' (cf. Aristoph. Eq. 609, 1359, Eccl. 568). de actione autem iterata (*δεινή ἐστιν ἰδεῖν, ὅταν μή τις τελετὰς πελάσῃ*) nequaquam in enuntiato primario praesens, in secundario futurum adhiberi potuit. itaque nisi sumere malis Argonauticorum scriptorem in externa tantum sententiarum specie versatum, quid intercederet inter locos homericos illumque quem tractamus, fugisse, iam hic locus immutandus erit. in Schneideri coniectura optativus displicet. quid enim hoc loco sibi vult: 'dea terribilis est, nisi sumimus aliquem sacris eam placare'[3]) vel 'si sumimus aliquem sacris eam non placare'? contra quadrat haec sententia: 'dea terribilis est, quotienscumque sine sacris aliquis accessit', ita ut melius videatur convenire *πελάσῃ*. simile enuntiati hypothetici exemplum ex Argonauticis adferre non possum; eo enim loco, quo praeter hunc tertia forma adhibita est (1166), habemus *ἤν* cum coniunctivo aoristi coniunctum. ceterum hic locus ad alterum eius formae genus pertinet; usurpatur enim *ἤν* de singulari quadam condicione futura ('besondere Voraussetzung'), illo autem loco *εἰ* cum coniunctivo de actione iterata ('allgemeine Voraussetzung'); cf. Goodwinium et Tillmansium.[4]) sed adest enuntiati relativi forma hypothetica 852 *ἀέθλων, οὓς αὐτὸς ἐνίσπω.*[5])

---

[1]) *ψ* 286, El. 379, Oed. R. 233 nihil ad rem faciunt; nam quae his locis in apodosi leguntur (*ἐλπωρὴ* [sc. *ἐστιν*] *ὑπάλυξιν ἔσεσθαι*; *μέλλουσι πέμψειν*; *ἀκ τῶνδε δράσω, ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ*) futuri vicem obtinent.

[2]) Qui locus a plerisque damnatur; cf. Ameisii appendicem.

[3]) Cf. Langium p. 141: 'Dass der Conjunctiv beim Praesens haeufiger ist, beruht darauf, dass ein oft vorkommender Fall vom Standpunkte der Gegenwart aus ebenso gut erwartet als zugestanden werden kann, ja dass jenes psychologisch das Natuerlichere ist' et Winterum p. 37: 'optativo ea ponuntur, quae in sola mente ac cogitatione versantur et agitantur nulla neque veritatis rerum neque eventus ratione habita.'

[4]) De v. 850 infra agam.

[5]) Coniunctivum aliter explicari posse, ita ut pro futuro sit, quod iniuria Huschkius (cf. Diurn. antiquit. 1836 p. 1221) reponere vult, haud ignoro; cf. *ι* 37 *εἰ δ' ἄγε τοι καὶ*

praeterea iam antea tetigimus eiusmodi enuntiata temporalia: 348, 1110. de enuntiatis relativis, quae leguntur in vv. 350 et 1324, supra exposui.[1])

De homerico tertiae formae hypotheticae usu haec habet Winter p. 30 e Lilio hausta: in iis, quae fieri solere praedicentur, nudos coniunctivos extare 15 (*A* 81, *Δ* 261, *K* 225, *Λ* 116, *M* 239(?), *Π* 263, *T* 164, *Φ* 576, *X* 191, *α* 167, *η* 204, *μ* 96, *ξ* 373, *π* 98, 116), in rebus semel futuro tempore efficiendis 8 (*A* 340, *E* 258, *M* 223, 245, *X* 86, *α* 204, *ε* 221, *μ* 348), comitari vero *ἄν* vel *κε* particulas coniunctivum in illo genere 5 locis (*Λ* 166, *Γ* 25, *Λ* 391, *M* 302, *ε* 120), in hoc pluribus quam 140. e tragicis Winter non plus 12 locos adfert, quibus solum coniunctivum habemus, contra 264, quibus *ἄν* additum est. similem rationem intercedere apud Apollonium, apud quem leguntur *εἰ*, *εἰ ἄν*, *εἴ κε*, *ἥν*, et Quintum, qui utitur particulis *εἰ*, *εἴ κε*, *ἥν*, Wellaueri indice et Koechlyi prolegg. p. LXXXVIII sq. inspectis facile tibi persuadeas (cf. etiam Zimmermann p. 123). apud Callimachum semel habemus *εἰ* cum solo coniunctivo constructum (IIII 28), quinquies *ἥν* (e. 10, 3; 12, 1; 14, 1; 33, 3; 55, 3), apud Nicandrum bis *εἰ* (Th. 98, 115), novies *ἥν* (Th. 779, 915, A. 157, 249, 312, 364, 495, 537, 567).

Iam accedamus ad periodum quam vocant irrealem, cuius formam solitam in Argonauticis non inveniri adparet ex iis, quae supra (p. 270) de particulis *κεν* et *ἄν* exposui. sed nonnulli extant loci, quibus eam expectamus:

480 *καὶ ἐκλελάθοντο πορείης,*
*εἰ μὴ ἀποτροπίοις ἐνοπαῖς θελξίφρονί θ' ὕμνῳ*
*ἡμετέρῳ θελχθέντες ἔβαν ποτὶ νῆα μέλαιναν,*

1083 *οὐκέτι δὲ προφυγεῖν ἐδοκεύομεν αἰπὺν ὄλεθρον,*[2])
*εἰ μὴ ἄρ' ὁρμαίνουσαν ὑπὸ κρατερῆφι βίηφι*
*νῆα μολεῖν ἴθυν' ἐπὶ δεξιὸν αἰγιαλοῖο*
*Ἀγκαῖος,*

1173 *πολλὰ δὲ μερμήριζον ἐνὶ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν,*
*ἤ μιν ἀποφθίσωσι καὶ ἰχθύσι κύρμα βάλωσιν*

---

*νόστον ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίσπω.* sed huic loco melius convenire puto hoc: 'perpessus pericula, quaecumque indicabo' quam illud 'pericula quae indicaturus sum'; nam re vera non indicat, quod Ulixes statim facit loco citato, sed tum demum, si pactio convenerit, ea indicaturus est.

[1]) In v. 662 — ut enuntiata relativa absolvam — e codd. RV, quos sequuntur Abelius et Hermannus, scribo *ἴξοι* (rel. codd. *ἴξῃ*), cum antecedat tempus praeteritum.

[2]) In Hermanni et in Abelii editione colon positum est post *ὄλεθρον*; quod num iure factum sit, postea quaeremus.

αἰνολεχῆ Μήδειαν, ἀποστρέψωσι δ' Ἐρινύν,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε περικλυτὸς Αἴσονος υἱός,[1])
1186 οὐδέ τις ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσίν, ὁππόθ' ἄρ' ἐσμέν,
εἰ μὴ ἐπ' ἐσχατιαῖς ἀκαλαρρόου Ὠκεανοῖο
Λυγκεὺς εἰσενόησεν — ὃ γὰρ τήλιστον ὄπωπε —
νῆσον πευκήεσσαν ἰδ' εὐρέα δώματ' ἀνάσσης,
1259 ἦ τάχα καὶ δύσεσθ' Ἀργὼ κατὰ βένθε' ἔμελλεν,
εἰ μὴ πρεσβίστη θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος
εὐρυβίην Πηλῆα πόσιν λελίητο ἰδέσθαι,
1273 Ἀγκαῖος δ' ἴθυνεν ἐπὶ προβλῆτα κολωνόν,[2])
εἰ μὴ ἐγὼ φόρμιγγα τιταινόμενος παλάμῃσι
μητρὸς ἐμῆς ἐκέρασσ' εὐτερπέα κόσμον ἀοιδῆς.

Primum exemplum remoturus erat Schneider, qui ad h. l. 'sententia' ait 'desiderat *καί κεν λελάθοντο πορείης*, i. e. *ἐλάθοντο ἄν*.' at fefellisse eum opinionem reliquis locis docemur, etsi detrahimus eos, in quibus verba, qualia sunt *ἐδοκεύομεν*, *ἔμελλεν*, per se quiddam irreale exprimunt.[3]) iam videamus, num similia apud alios poetas inveniantur. particulae *ἄν* vel *κε* in apodosi periodi irrealis paucis Odyssiae locis desiderantur: *δ* 293 *οὐ τάδ' ἤρκεσε, οὐδ' εἰ ἦεν*, *ν* 385 *ἦ φθίσεσθαι ἔμελλον, εἰ μὴ ἔειπες*, *υ* 332 *κέρδιον ἦεν, εἰ νόστησε*; cf. *δ* 172. tragicorum exempla, quae e Winteri tabella peti possunt, velut Soph. El. 529 *(χρῆν)*, 579 *(χρῆν)*, Oed. R. 255 *(εἰκὸς ἦν)*, eiusmodi sunt, ut respecto Kuehneri loco nihil ad rem faciant. sed constat sat multis tragicorum locis iniuria particulam *ἄν* inseruisse editores, quos Winterum secutum esse adparet e disertis eius verbis (p. 13) de Eur. Hec. 1088 factis; cf. Hermannus, De particula *ἄν* I c. 13, Wecklein Ann. phil. CI p. 578, Krueger I 54, 10, 1, de Aristophane Petri p. 19 sq. apud Apollonium unum exemplum inveni III 1140 *ἡ δ' οὔπω κομιδῆς μιμνήσκετο· τέρπετο γάρ οἱ | θυμὸς ὁμῶς μορφῇ τε καὶ αἱμυλίοισι λόγοισιν, | εἰ μὴ ἄρ' Αἰσονίδης πεφυλαγμένος ὀψέ περ ηὔδα.* praeterea bis apud infinitivum *ἄν* omittitur: I 196 *τοῦ δ' οὔτιν' ὑπέρτερον ἄλλον δίω . . . ἐπελθέμεν, εἴ κ' ἔτι μοῦνον αὖθι μένων λυκάβαντα μετετράφη*, III 584 *(στεῦτο) οὐδὲ γὰρ Αἰολίδην . . . δέχθαι . . ., εἰ μή οἱ Ζεὺς . . . ἄγγελον ἧκεν.* contra decies fere usitata forma legitur. in vv. I 253 et IIII 903 sq. indicativus nudus *(ἦεν βέλτερον . . ἔμελλον βαλέσθαι)* exigitur ratione grammatica, quam supra explicavimus. apud Calli-

---

[1]) Cf. *Γ* 373, *Ε* 679, *Θ* 90. post *Ἐρινύν* Hermannus et Abelius colon posuerunt.

[2]) Hermannus colon posuit post *κολωνόν*.

[3]) Cf. Kuehner II § 392ᵇ 5, qui *ἄν* post verba quaedam dicit omitti, 'weil der Begriff dieser Verba schon an und für sich die Wirklichkeit des durch den dabeistehenden Infinitiv ausgedrückten Verbalbegriffs leugnet oder aufgibt'.

machum et Nicandrum nihil tale inveni. contra de Quinto Koechly p. XC, postquam periodum irrealem tractans locos adtulit, quibus in enuntiato primario habemus *ἔμελλεν* cum infinitivo constructum: I 713, II 305, VII 142, 417, VIII 341, 350, sic pergit: 'unicum sed iustum est V 359 sqq. *τὰ δὴ τάχα πάντα τέλεσσεν,* | *εἰ μή οἱ Τριτωνὶς ἀάσχετον ἔμβαλε λύσσαν.*' quod exemplum cum unicum esse dixerit, mirum sane est eum paulo post inter horum membrorum formas, quas Quintus admiserit, referre: III 514 *τάχ' ἤλυθε — νύξ, εἰ μὴ — προσεφώνεε,* IIII 301 *ἧκα δὲ πάντες ἔμιμνον — εἰ μή σφεας ἐνένιπεν,* VI 503 *καὶ δὴ τάχα — ὄλοντο, εἰ μὴ — τύψε,* XII 269 *καταβήμεναι ὁρμαίνεσκον, εἰ μὴ — ἔρυκε,* XIII 389 *ὥρμηνε κτανέειν, εἰ μὴ — κατέρυξε,* XIIII 232 *εἷλκον, εἰ μὴ — κατέρυκεν*; cf. VIII 215. sed multo saepius apud Quintum usitata forma legitur.

Ex iis, quae protulimus, elucet in talis periodi hypotheticae apodosi nonnumquam — semper fere ita, ut enuntiatum secundarium negativum sit — indicativum poni absque particula *ἄν* vel *κεν,* etiamsi non verbo ipso *(μέλλω)* vel alia vocula addita *(τάχα)* rem factam non esse significatur. id autem maxime miros nos habet, quod in Argonauticis nusquam omnino usitata forma invenitur. cuius rei causam nisi huius aetatis sermonem accuratius persecuti invenerimus, melius certe erit rem ipsam notare quam futtilibus explicationibus indulgere. quod ad interpunctionem ante *εἰ μή* ponendam adtinet, non video, cur alia membra potius per se accipienda esse, alia artius cum enuntiatis primariis cohaerere sumamus. comma igitur retinendum esse puto, quod omnibus locis defendi potest.

Iam accedamus ad enuntiata condicionalia, in quibus optativus usurpatur. qua in re statim delabimur ad locum, qui in crisi factitanda maximas praebet difficultates, dico v. 844 sqq. quare melius erit, quae de superiorum poetarum usu comperta habemus, praemittere. apud Homerum quidem praeter usitata formae quartae exempla locos invenimus, ubi in enuntiato primario indicativus legitur, velut *K* 222 *ἀλλ' εἴ τίς μοι ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ ἄλλος,* | *μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται*; cf. Υ 100, *Α* 59 *νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας ὀίω* | *ἄψ ἀπονοστήσειν, εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν.* item apud Sophoclem plerumque optativus cum *ἄν,* nonnullis vero locis indicativus extat: El. 370 *ὡς τοῖς λόγοις* | *ἔνεστιν ἀμφοῖν κέρδος, εἰ σὺ μὲν μάθοις,* Oed. R. 851 *εἰ δ' οὖν τι κἀκτρέποιτο τοῦ πρόσθεν λόγου,* | *οὔτοι ποτ', ὦναξ, σόν γε Λαΐου φόνον* | *φανεῖ δικαίως ὀρθόν;* cf. Ant. 1031. de Apollonio vide I 681 *εἰ δὲ τὸ μὲν μακάρων τις ἀποτρέποι, ἄλλα δ' ὀπίσσω* | *μυρία δηιοτῆτος ὑπέρτερα πήματα μίμνει* (cf. III 140, IIII 1511), II 642 *οὐδ' εἴ κε διὲξ Ἀίδαο βερέθρων* | *στελλοίμην, ἔτι τάρβος ἀνάψομαι . . .*; cf. III 479, IIII 403. e Callimacho huc pertinent III 178 *ἦ γάρ κεν . . . προγένοιντο, καὶ εἰ Στυμφαιίδες εἶεν* et IIII 129 *τλήσομαι . . ., καὶ εἰ μέλλοιμι.* e Quinto confero I 606 *φρένας ἔνδον ἰαίνει* |

*θνητῶν ἀνθρώπων, εἰ καὶ μάλα τις θρασὺς εἴη*, III 196 *τοῖς εἴ πως ἐρύσαιμεν Ἀχιλλέα δηωθέντα, ἵπποις μὲν μέγα κῦδος ὀρέξομεν.*[1])

His praemissis iam Argonauticorum locum a grammaticis varie tractatum inspiciamus. Colchorum rex quaesiverat ex Argonautis cuius rei causa in terram suam et ad gentem suam fortem venissent. respondit Iason se a patruo vellus aureum Iolcum adferre iussum advenisse cum viris fortibus, deorum aut heroum filiis. indignatus Aeetes dolo quodam excogitato dicit:

*εἰ μὲν δὴ Κόλχοισιν ἀρηιφάτοισιν ἐσάντα*
*μαρναμένοις ἐπιθεῖσθον ἀποφθίσειν μένος ἀνδρῶν*
*ἔλπεσθ' ὥς κεν ἀδήριτον γέρας ἔσσεται ὑμῖν*
*κῶας ἀειρομένους ἰέναι πρὸς πατρίδα γαῖαν*
*εἰ δέ νυ παῦροι ἐόντες ὑποκλίνοιτε φάλαγγι*
*ἡμετέρῃ τότε νῆα καταφθιμένοισι κεάσσαι*
*εἰ δέ κέ μοι πείθοισθε τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστι*
*κρίναντες τίν' ἄριστον ἢ ὅς βασιλεύτερός ἐστιν*
*ὄφρα κε πειρηθεὶς ἀέθλων οὓς αὐτὸς ἐνίσπω*
*κῶας ἕλῃ χρύσειον ὃ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν.*

Proposui, quae Abelio teste optimi codd. exhibent, interpunctione consulto neglecta.[2]) egerunt de hoc loco praeter editores Wielius III 22 sq., Fr. Schubertius l. s. c. p. 480 sq., Sitzler l. s. c. percenseamus igitur quae viris doctis displicuerunt. Hermannus, qui *ἐπιθῆσθον* legit, pro *δή* (v. 844) *κεν* reposuit, 'ut haberet coniunctivus, unde penderet'. sed recte Wielius haec opponit: 'quod non necessarium fuisse docent epicorum loci haud rari, quibus *εἰ* coniunctum est coniunctivo.' ego cum Abelio optativum praeferendum esse duco; nam quamquam in tanta exemplorum paucitate difficile est certi quid statuere, ceterorum scriptorum usu respecto coniunctivo hic locus non esse videtur. neque cum Herwerdeno faciemus, qui l. c. pro 'absurda forma' *ἐπιθεῖσθον* proponit *ἐπορούσετ'*, praesertim cum corruptelae rationem se fugere ipse fateatur. in duali enim *ἐπιθεῖσθον* pro numero plurali posito offendendum esse ne Wielius quidem contendit, quamquam suadente mutationis lenitate scribi iubet: *ἐπιθῆσθ', ὃν (ἀποφθίσει μένος ἄνδρας)*; nam sive loci homerici, qui huc

---

[1]) Loci Nicandrei cum aut obscuri aut ita dubii sint, ut a codicum tantum aestimatione scriptura pendeat, nolui ex eo exempla petere tam infirmo nisa fundamento.

[2]) *ἐπιθεῖσθον* S et ut vid. RVo] *ἐπιθῆσθον* V . *ἀνδρῶν*] *ἄνδρας* dett. *ἔσσεται ὑμῖν* unus S (cf. Abelium in ephemeride, quae inscribitur Philolog. Wochenschr. a. 1882, p. 227] *ἔσσετ' ἐν ὑμῖν* reliqui. *εἰ δέ νυ* VS et ut vid. Vo] *εἰ δὲ* R Schneidero teste. *ὑποκλίνοιτε* S et ut vid. R] *ὑποκλίνητε* V. *κεάσσαι*] *κεάξαι* VS. *κέ* in V corr. e *καὶ*. *πείθοισθε* unus S (cf. Abelium l. c.)] *πείθησθε* rel. *κέρδιόν ἐστιν*] *κέρδιον οἶμαι* S.

pertinent, Kuehneri explicatione [1]) expediuntur sive haec explicatio a viris doctis poetae obtrusa est, certe poeta, quem in externa tantum rerum specie versari vidimus, ita dualem pro plurali adhibere potuit, ut Zenodotus dualem et pluralem promiscue habuisse videtur Merkelio (prolegg. in Apoll. p. CIII). et revera dualem ita adhibitum esse temporibus haud longe ab Homero remotis adparet ex hymn. in Apoll. v. 456, de quo cf. Gemollii adnotationem; praeterea cf. Theocr. 25, 137, Apoll. Rhod. I 384, II 667, III 206 [2]). summi autem in hac re momenti est Arg. v. 820 *φράζετον, οἵτινές ἐστε*, ubi eodem modo metri causa, ut videtur, dualis pro plurali positus est; cf. v. 351, 1091. magnae vero oriuntur difficultates, si quaerimus, quae apodosis sit verborum: 'si Colchos aggressi sitis'. recte Abelius profectus esse videtur a scriptura *μένος ἄνδρας*. adsentior enim Hermanno haec adnotanti: '*ἀνδρῶν* scripserunt quidam librarii, quibus homerica quaedam ante animum obversabantur.' contra quo modo *ἄνδρας* ortum sit nisi e sat felici coniectura non video. quod si haec verba: *ἀποφθίσειν μένος ἄνδρας* coniungimus cum *ἔλπεσθε*, hic evadit sensus: 'si Colchos adgressi eritis, confidite fortitudinem illam viros esse confecturam'. quibuscum apte conferri potest locus homericus *Z* 407 *δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος.* [3]) sed quid tum proximis verbis faciemus: *ὥς κεν ἀδήριτον γέρας ἔσσεται ὑμῖν | κῶας ἀειρομένους ἰέναι πρὸς πατρίδα γαῖαν.* nihil aliud significari potest iis quam quod Heynius his verbis expressit: 'ita tandem vobis licebit *ἀειρομένους γέρας ἀδήριτον, κῶας, ἰέναι* . . .' sed illud *γέρας* nequaquam sine certamine comparatum erit. Schubertius sane, qui pro *ὥς κεν* reposuit *οὐ γάρ*, hanc difficultatem sustulit; sed id commentum omni probabilitate destitutum esse videtur. Huschkii coniectura, quam ille l. s. c. p. 1120 coll. *K* 204 profert, *μαρναμένοις πεπίθοισθ' ἂν ἀποφθίσειν μένος* accepta structuram verborum nimis contortam fieri puto; quare amplector quod suspicatus est Hermannus: *ἀποφθίσει μένος ἄνδρας*.

[1]) Cf. II § 368, 2 b: 'Das Subject in der Pluralform verbindet sich zuweilen mit dem Verb in der Dualform, jedoch nur dann, wenn von zwei mit einander verbundenen oder in einer nahen Beziehung zu einander stehenden Gegenständen oder von zwei Paaren die Rede ist'. libri, qui ante a. 1882 de duali conscripti sunt, congesti proponuntur a St. Keckio, Ueber d. Dual bei den griech. Rednern (Schanz, Beiträge fasc. II). post eum de usu homerico egit G. Ohler in programmate Moguntiac. a. 1884, de Euripideo et de historia dualis I. H. Mueller in progr. Sigmaringensi a. 1886, de usu hesiodeo I. Illek in Ann. gymn. Austr. a. 1888, p. 97—102.

[2]) Quae exempla adtulit O. Schneider Philol. VIII 543 et prolegg. in Nicandr. p. 137. e Cynegeticis Lehrsius (Quaest. epic. p. 319. X) eius usus duodecim exempla profert; cf. Schmidt p. 45. quod autem Hermannus (p. 747) contendit Quintum nonnumquam dualem pro plurali ponere, uno quem adfert loco VIIII 492 dualis 'solita vi positus de Atridis', alter autem XI 321 quam maxime dubius est; IIII 506 Zimmermann (p. 35) non sine dubitatione *βεβαῶτε* pro plurali admittit.

[3]) Qui locus obstare videtur, quominus *μένος* de Colchorum fortitudine accipiamus.

quod si quis obiciat tum dicendum fuisse ὑμᾶς, non ἄνδρας, meminerit velim verba ab Iasone de ἑταίροις facta esse. dativi μαρναμένοις in μαρνάμενοι cum Hermanno mutandi causa esse non videtur. quod Sitzler proposuit ἀποφθῖσαι μένος ἀνδρῶν ad ἐπιθεῖσθον referendum ('als Infinitiv des Zweckes oder der Absicht') refutatione non eget. recte autem ille aeque atque Hermannus, qui ἦ ἔλπεσθ' scripsit, ἔλπεσθε interrogationis vicem obtinere intellexit. de particula ἦ et de synizesi paulo infra disputabo; adponam tantum locum homericum perquam similem: O 502 νῦν ἄρκιον ἢ ἀπολέσθαι | ἠὲ σαωθῆναι καὶ ἀπώσασθαι κακὰ νηῶν. | ἦ ἔλπεσθ', ἢν νῆας ἕλῃ κορυθαίολος Ἕκτωρ, | ἐμβαδὸν ἵξεσθαι ἣν πατρίδα γαῖαν ἕκαστος; Wielius quidem haec opponit: 'neque vero quae sic existit sententia per se quidem aptissima hoc loco satis apta videbitur cuiquam, qui antecedentia et subsequentia accurate comparaverit.' quibus verbis argumenta non continentur, immo ostenditur argumenta Wielio defuisse. sed antequam ad Wielii ipsius coniecturam accedamus, conveniat inter nos necesse est, quid pro κεν reponamus. Hermannus suo more οἱ scripsit, Sitzler τάχ' legendum esse censet, ut inde illud ἀδήριτον explicetur. mihi quidem locos consideranti, quibus κεν ex καί corruptum est (cf. v. 824 et Apollonii locos a Wellauero in nota ad I 663 collectos), simplicissimum esse videtur: ὡς καί, quod Huschkius proposuit. ὡς ab ἔλπεσθε pendere posse supra demonstrabam. versus inde a 846 usque ad 849 parenthesis loco accipiendos esse duco; recte enim Schubertius inter se opponi dicit: εἰ μὲν δὴ Κόλχοισιν . . . ἐπιθεῖσθον et εἰ δέ κέ μοι πείθοισθε. quae oppositio turbaretur, si v. 846 sq. (ἔλπεσθ'—γαῖαν) post 850 (κέρδιόν ἐστι) cum Wielio transponeremus, qui in v. 845 ἀποφθίσει probat. nam nisi praecedit enuntiatum: 'nolite sperare vos sine certamine pretium esse ablaturos', illud εἰ δέ νυ παῦροι ἐόντες ὑποκλίνοιτε φάλαγγι non habet quo referatur. quare reicienda est transpositio illa, quae primo obtutu valde placet, cum ea probata apodosis (v. 850), quae nunc deest, existat commodissima. accedit quod verba εἰ δέ κέ μοι πείθοισθε, τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστι, | ἔλπεσθ', ὡς καὶ ἀδήριτον γέρας ἔσσεται ὑμῖν | κῶας ἀειρομένους ἰέναι πρὸς πατρίδα γαῖαν haud apte excipiuntur his κρίναντες τὸν ἄριστον ἢ ὃς βασιλεύτερός ἐστιν (τὸν ἄριστον enim esse reponendum inde a Schneidero omnes consentiunt). in v. 848 non est, cur cum Hermanno νύ κε pro δέ νυ scribamus; neque necessaria est eiusdem coniectura ὑποκλινθῆτε, cum teste Wielio 'activa huius verbi forma significatione non rara sit'.[1]) deinde ad verbum κεάσσαι Schneider supplendum esse putat ἔλπεσθε haec

[1]) In eo enim, quod neque Wielius exemplum adfert neque mihi tale praesto est, offendendum non esse puto. nam compositum perrarum est; de simplici autem verbo dubitatio eximitur his exemplis: Xen. Comm. III 5, 13, Apoll. I 453; ex Aristotele Bonitzius adfert Φ 6, 812ᵇ 3; saepius id recurrit apud Polybium: III 93, 7; 115, 9, VI 40, 12.

adnotans: 'duram orationem in poeta semibarbaro non aegre feres'. contra Hermannus, qui scripsit *κεάσσω*, suo iure: 'at ista', inquit, 'nimis barbara sunt'. simplicior est Wielii medela *κεάσσαι* 'ad *φάλαγγι* pertinens'. Schneideri autem coniecturam *ἡμέτερα τότε νῆα . . κεάξαι* non est cur amplius refutem. duobus igitur locis optativus nonnullis codicibus firmatus melius quadrare visus est quam coniunctivus. in v. 850 coniunctivus per se explicari potest ac dubito sane, num uno cod. S nisis, ut ter eadem enuntiati condicionalis forma repetatur, nobis optativus *πείθοισθε* restituendus sit. sed quae est apodosis? Schubertius quidem iure exposuisse mihi videtur verba *τὸ καὶ πολὺ κέρδιον οἴω* (sic scribit e cod. S scriptura *οἶμαι*) eius vice non fungi; tum enim verba inde a *κρίναντες* post apodosim posita ad enuntiatum secundarium pertinere nequeunt et vix ita explicari possunt, ut praedicatum supplendum esse dicamus.[1]) Schneideri coniectura *κρίνατε νῦν* minimam habet probabilitatem. meo quidem iudicio locus conformatus est ad exemplum loci homerici *Α* 581, ubi eodem modo in oratione commota ('in bewegter leidenschaftlicher Rede' Kuehner II § 577, 3 b) apodosis omittitur eiusque loco posita sunt verba *ὃ γὰρ πολὺ φέρτατός ἐστιν*, quibuscum comparari possunt: *ὃ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν*. totum igitur locum quinque vocabulis mutatis unoque addito sic scribendum esse censeo:

*εἰ μὲν δὴ Κόλχοισιν ἀρηιφάτοισιν ἐσάντα*
*μαρναμένοις ἐπιθεῖσθον, ἀποφθίσει μένος ἄνδρας.*
*ἢ ἔλπεσθ', ὡς καὶ ἀδήριτον γέρας ἔσσεται ὑμῖν*
*κῶας ἀειρομένους ἰέναι εἰς πατρίδα γαῖαν;* —
*εἰ δέ νυ παῦροι ἐόντες ὑποκλίνοιτε φάλαγγι*
*ἡμετέρῃ, τότε νῆα καταφθιμένοισι κεάσσει* —
*εἰ δέ κέ μοι πείθοισθε*(?) — *τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστι* —
*κρίναντες τὸν ἄριστον ἢ ὃς βασιλεύτερός ἐστιν,*
*ὄφρα κε πειρηθεὶς ἀέθλων, οὓς αὐτὸς ἐνίσπω,*
*κῶας ἕλῃ χρύσειον· ὃ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν.*

et, quamquam de singulis, in primis de modo in v. 850 dubitari potest, cetera tamen recte constituisse nobis videmur.[2])

Omnino quattuordecim enuntiata condicionalia leguntur, e quo numero tria ad primam, sex ad alteram, duo vel tria ad tertiam, item duo vel tria ad quartam formam referenda sunt. *ἄν* et *εἴ κε* singulis locis habemus

---

[1]) Cf. praeterea, quae Langius p. 358 sq. de *Η* 28 et *υ* 381 disputat.

[2]) Sitzleri coniecturae, quas nondum tetigimus, ita sunt comparatae, ut refutatione opus non esse putem. proponit ille haec: *εἰ δέ νυ παῦροι ἐόντες ὑποκλίνοιτε φάλαγγι* | *ἡμετέρῃ, τό* (sc. *τὸ ὑποκλίνειν*) *κε νῆα καταφθιμένοισι κεάσσαι·* | *εἰ δ' ἐπί μοι πείθοισθε* — *τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστι* — | *κρίναντες τὸν ἄριστον ἢ ὃς βασιλεύτερός ἐστιν,* | *ὄφρα κε πειρηθεὶς ἀέθλων, οὓς αὐτὸς ἐνίσπω,* | *κῶας ἕλῃ χρύσεον· τῷ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν.*

in enuntiato primario semel coniunctivus futuri feri vices gerens, bis imperativus, reliquis locis indicativus solus usurpatur. praecedunt enuntiata condicionalia, si incipiunt ab *εἰ*, postposita sunt, si initium capiunt ab *εἰ μή*. quod congruit cum iis, quae Langius p. 150 optativum tantum tractans de Homero observavit, *εἰ μή* undeoctogies inveniri et quidem septuagies quater ita, ut enuntiatum primarium praecedat. quod ad *εἰ* in interrogationibus, quas vocant indirectas, adhibitum adtinet, particulas interrogativas una cum illo genere pronominum tractabo, ad quae coniunctionibus absolutis[1]) iam transeundum est.

## V. De pronominibus personalibus et possessivis primae et secundae personae.[2])

Pauca, quae de ea re exponenda sunt, hac tabella comprehensa exhibeo:

| | Ἐγώ | Ἡμεῖς | Σύ | Ὑμεῖς |
|---|---|---|---|---|
| Apoll. | ἐγώ, ἐγών (αὐτὰρ ἐ. III 177, 788), ἔγωγε | ἡμεῖς II 1152 | σύ, σύγε, τύνη | ὑμεῖς (ter), ὔμμες IIII 195 |
| Callim. | ἐγώ (αὐτὰρ ἐ. II 71), ἔγωγε (IIII 122) | ἡμεῖς e. 19, 1. ἁμές VI 128 | σύ, τύ, τύνη | |
| Quint. | ἐγώ (αὐτὰρ ἐ. III 611), ἐγών, ἔγωγε (II 10, 18) | ἡμεῖς I 196 | σύ, σύγε (III 480) | |
| Hom. Argon. | ἐγώ 81 (post verbum; raro ap. Hom. Eb. 336[b] I A 2), 96, 331, 443, 732, 1001, 1366, 1370; ἀλλ' ἐ. 409, 690. αὐτὰρ ἐ. 251, 310, 704 (initio versus ut in hymn. hom. Eb. 336[a]; ap. Hom. haud raro in medio versu), ἐγών 1159, 1197. αὐτὰρ ἐ. 605, 988. ἔγωγε 407 (in exit.), αὐτὰρ ἔ. (in init.) 419, (in | ἡμεῖς 626<br>ἄμμες | σύ 3<br>τύνη | ὑμεῖς 283<br>ὔμμες |

[1]) Ὥστε in Argonauticis non legitur. Gesneri coniectura in v. 299 ὥστ' ὅγε κ' αὐτός — codd. optimi habent ὅς ῥά οἱ αὐτός — inutilis est. quod ad Homerum adtinet, de nonnullis locis dubitatur; cf. Ebel. II 506[b] 3; apud Callimachum unum invenitur exemplum (fr. 134). ex Apollonio Wellauer duos locos adfert I 346, II 1220, e Quinto Koechly p. LXXXVIII § 42 unum: XIIII 528. apud Nicandrum ne unum quidem indagavi exemplum.

[2]) Cf. P. Cauer, Quaest. de pronom. pers. formis in Curtii Stud. z. griech. u. lat. Gramm. VII 101 sqq., E. Ekedahl, De pronom. pers. et reflex. usu Herod. Lund. 1885. — quae ad Apollonium pertinent e Rzachio l. c. p. 532 sqq. hausi, Quinti, cum quae Koechly p. LXIIII habet non sufficerent, libros quattuor ipse perscrutatus sum.

| | Ἐγώ | Ἡμεῖς | Σύ | Ὑμεῖς |
|---|---|---|---|---|
| | exit. 572, 945); ap. Hom. ἔ. numquam fere in init. nisi post αὐτάρ. Eb. 340[b] | | | |
| Apoll. | ἐμέθεν, ἐμεῖο, ἐμεῦ (ter), μευ (IIII 1654) | ἡμέων, ἡμείων | σέθεν, σεῖο, σέο, σεῦ | ὑμέων, ὑμείων |
| Callim. | ἐμεῖο, ἐμέθεν, ἐμεῦ (fr. 165) | | σεῖο, σέο, σεῦ, σοῦ, σέθεν, τεοῦ, τεῦ | ὑμέων, ὑμείων |
| Quint. | ἐμέθεν, ἐμεῖο, ἐμεῦ (III 346), μευ (I 69 a.) | ἡμέων | σέθεν (IIII 99) σεῖο, σέο, σεῦ | ὑμέων, ὑμείων (II 171) |
| Hom. Argon. | ἐμεῦ, ἐμεῖο, ἐμέθεν (γε), μευ 281 (κέκλυτέ μευ = Γ 86, Apoll. IIII 1654 init.) | ἡμέων 891 (cum synizesi) ἡμείων | σεῖο, σέο, σεῦ, σοῦ, σέθεν 91 (νόσφι σ. = h. Merc. 446 init.) | ὑμέων, ὑμείων |
| Apoll. | ἐμοί (αὐτὰρ ἐ. I 443), ἔμοιγε IIII 2, μοι | ἡμῖν, ἧμιν, ἄμμι | σοί (orthot.), σοίγε, τοι | ὑμῖν I 440, ὗμιν III 314, ὔμμι |
| Callim. | ἐμοί, μοι, ἐμίν | ἡμῖν, ἄμμιν, ἁμῖν | σοί (IIII 36, 39 enclit; quater orthot.), τοι, τίν, τείν | ὑμῖν, ὔμμι |
| Quint. | ἐμοί (αὐτὰρ II 621), ἔμοιγε III 465, μοι | ἡμῖν, ἧμιν, ἄμμι(ν); cf. Zimmermann p. 28 | σοί, σοίγε I 648, τοι | ὑμῖν (bis; cf. Zimmermann p. 28), ὔμμιν |
| Hom. Argon. | ἐμοί 288 (σὺν), 836 (αὐτὰρ ἐ. 448, 592, 949 in introitu), ἔμοιγε 281 (αὐτὰρ ἔ. 248[1]), μοι | ἡμῖν, ἥμιν, ἧμιν, ἄμμι | σοι (encl.) 7, 40, 73 (dett. τοι), 476, 858, 1226, 1347, σοίγε. τοι 82 (R SV Vo marg.; σοι Vo dett.) | ὑμῖν 846, 853 ὗμιν, ὔμμι |
| Apoll. | ἐμέ (quinquies), με | ἡμέας, ἄμμε | σε, σέγε (IIII 1598) | ὑμέας, ὔμμε |
| Callim. | ἐμέ, με | | σε | ὑμέας |
| Quint. | ἐμέ, με | ἡμέας | σε, σέγε | ὑμέας |
| Hom. Argon. | ἐμέ 943 (ὄφρ'), (αὐτὰρ ἐ. 616, 998 in introitu), με | ἡμέας, ἧμας, ἄμμε | σε | ὑμέας, ὔμμε 1230 (ὔμμ' e.g. Δ 781[2]) |

[1]) ἔμοιγε RSV in rasura (quam notare praetermisit Wessely) Vo mg.: ἔπειτα Vo in textu. itaque ἔμοιγε non sensu tantum — Orphei persona premenda est — sed etiam auctoritate codicum magis commendatur quam ἔπειτα ab Hermanno receptum.

[2]) In v. 820 Hermannus pro ὑμᾶς, quod in codd. legitur, dedit ὔμμας, quae forma alibi legi non videtur. ad analogiam formae homericae ἧμας melius quadrat ὗμας; an scribendum ὔμμ' ἵκανεν? — cf. etiam quae p. 291 de v. 1236 disputantur.

Dualis in Argonauticis non legitur neque apud Callimachum is invenitur. apud Apollonium extant *νῶν*, *νῶιν*, quae formae a Quinto Zimmermanno teste (p. 28) pro plurali usurpantur. adparet ex hac tabella, quam paucae omnino formae in hoc carmine occurrant. dativi sing. alterius personae unam tantum formam habemus: *σοι*; verba enim in v. 82 *ξεῖνος δέ τοι εὔχομαι εἶναι* desumpta sunt ex Homero *ω* 114. reliquis locis *τοι* particula est affirmativa: 233, 308, 732, 1068, 1148, 1164, 1227 (cf. Call. IIII 296, Apoll. III 404, 427). de locis, ubi, utrum *τοι* an *οἱ* scribendum sit, ambigitur, infra agam.

Quod ad enclisim formae *σοι* adtinet, quae apud Homerum semper accentu instruitur, tenendum est de nonnullis locis homericis a grammaticis esse dubitatum (cf. Ludwich, Aristarchs hom. Textkritik I 475, 15 (X 83); 528, 22 (*γ* 50)[1]) et in hymnis homericis extare locos, quibus pro codd. *σοι* enclitico Hermannus *τοι* restituit: h. Merc. 368, Ven. 283, Cer. 407.

De pronominibus possessivis breviori etiam esse mihi licet hac tabella proposita:

| | Persona prima | | Persona altera | |
|---|---|---|---|---|
| | sing. | plur. | sing. | plur. |
| Apollonius...... | *ἐμός* | *ἡμέτερος* | *σός* 13ies<br>*τεός* 24ies | *ὑμέτερος* 8ies<br>*ὑμός* II 1181 |
| Callimachus..... | *ἐμός* | *ἡμέτερος* | *σός* 7ies, *τεός* 5ies | *ὑμέτερος* |
| Quintus........ | *ἐμός* | *ἡμέτερος* | *σός*, *τεός* | *ὑμέτερος* |
| Homerus........ | *ἐμός* | *ἡμέτερος* | *σός* v. 3 (ap. Hom. 218ies) | *ὑμέτερος* |
| Argonautica .. | | *ἁμός* (v. 104?) | *τεός* v. 88 (ap. Hom. 40ies) | *ὑμός* |

*Ἡμέτερος* paucis locis exceptis: 385, 849, 888, 1228 idem valet atque *ἐμός*: 42, 48, 49, 104, 250, 265, 432, 482, 682, 704, 707, 823, 1234, qui usus apud omnes scriptores inde ab Homero invenitur; cf. Apoll. I 412, 664, II 324, III 265, Quint. VII 668, XIII 363, 369. apud Callimachum nihil tale offendi.

De forma *ἁμός* dubitari potest. Ruhnkenius in v. 104 *καί ῥά μ' ἀλητείης τε καὶ ἐξ οἴστρου ἐσάωσε | μήτηρ ἡμετέρη καί ῥ' ἐς δόμον ἤγαγεν ἄλλον* coniecit *δόμον . . ἁμόν*, quod sententiam efficere minus aptam et displicere propter *ἡμετέρη* Wielius contendit (I 25). tamen cum *ἁμόν* explicari

[1]) Item de Herodoto dubitatur; cf. F. I. Bredow, De dialecto Herodotea p. 281, Ekedahl p. 24—28. Quinti quoque locis sat multis (velut I 102, II 272) Koechly accentum contra codd. posuit; cf. Spitzner p. 114.

possit et, si codices litteris minusculis scriptos respicias, ad scripturam traditam proxime accedat, nescio an id praeferendum sit Wielii coniecturae Abelio probatae: *δόμον . . . ἁγνόν* (cf. Aesch. Sept. 260 *ἁγνοῖς δόμοις*).

Pronomina possessiva modo praecedere, modo sequi ac nonnumquam praepositionem intercedere inter pronomen et substantivum (1003; cf. Ap. II 786) vel plura verba (822; cf. *δ* 387) vix est quod moneam. paulo memorabilius est formam iambicam pronominis *ἐμός* substantivo postpositam in quinta arsi, ubi semel talem formam in Homeri carminibus legi B. Gisekius observavit (Homer. Forschung. p. 27, § 34), non inveniri. item pronominis *ἐγώ* formae iambicae, quae in quinta, aut trochaicae, quae in quarta arsi perrarae sunt apud Homerum (Eb. I 341[a]), in Argonauticis his locis non leguntur.

## VI. De pronominibus tertiae personae.[1])

Quod Brugmano plerique obiecerunt, qui de libello ab eo conscripto iudicium fecerunt[2]), cupidius eum codicibus invitis usum liberiorem pronominis tertiae personae in poetas intulisse, in Hermanno quoque reprehendi poterit, qui duodeseptuaginta Argonauticorum locis, ubi *οἱ* codicibus traditur, septuaginta fere coniectura immutatos addidit. nam quod inter 68 illos locos 20 sunt, quibus libri dett. vel *δή* vel *ἄρα* vel *γάρ* vel aliud quid pro *οἱ* exhibent[3]), inde veri simile meo quidem iudicio non fit in mell. aliis locis *οἱ* oblitteratum esse. immo cum mell. *οἱ* fideliter servarint, ubi mutatum est in dett., id ipsum nos docebit summam cautionem adhiberi oportere in pronomine illo contra codicum mell. auctoritatem reponendo.

Sed antequam de Hermanni coniecturis, quas Brugmanus tractare noluit (cf. p. 36), verba fiant, notandum est formae *οἱ* ad pluralem sive

---

1) Cf. F. Miklosich, Ueber d. reflex. Gebrauch d. Pronomens *οὗ* etc., Sitz.-Ber. d. Wiener Akad., Phil.-hist. Cl. I (1848), p. 119—127, Beyer, De notione mutata pronom. *ἕ σφέ σφίν* cet. progr. Neostettin. 1871, C. Brugman, Ein Problem d. homer. Textkritik u. d. vergleich. Sprachwiss., Lipsiae 1876, I. Rappold, Das Reflexivpronomen bei Aeschylos, Sophokles, Euripides. progr. Klagenfurt 1873.

2) Nomina eorum collecta invenies in Huebneri libro s. c. p. 47, ubi Hartelii censuram (cf. Ann. gymn. Austr. 1876, p. 735 sq.) omissam esse eo magis miror, quod ea affertur a Bambergio ibi citato (cf. Eph. gymn. Berol. 1877, p. 359).

3) En habes eos locos ita descriptos, ut viginti illi asteriscis adiectis notentur: 56, 58, 67, 173, 226, 231, 245, 249, 253, 267, 270, 271, 275, *283, *291, 296, 298, 299, *394, 495, 503, *530, 533, *534, 546, 578, 589, 656 (bis), *675, 684, 693, 731, *734, *761, *773, *775, 788, 807, 813, 818, *836, *838, 868, *889, 926, 936, *1026, *1028, *1035, *1102, 1136, 1141, 1181, 1200, *1201, *1209, *1256, 1264, 1272, 1277, 1309, 1311, 1331, 1333, 1352, 1360. Cf. Hillmann l. c. p. 19 adn. 21.

aliam personam translatae apud poetas Argonauticorum scriptore antiquiores nulla fere exempla extare. nam quod Brugmanus p. 18 sq. Hes. op. 532 pro *οἳ σκέπα μαιόμενοι* scripsit *οἷ . . μαιόμενοι* (sibi quaerentes), Peppmueller Philol. XXXVIIII 393 recte negavit sensum, qui ea scriptura efficitur, sufficere proposuitque *ὡς . . . . ἔχωσι* a Rzachio in textum editionis a. 1884 Pragae emissae receptum. *ἑοί* sane apud Apollonium III 99 pro *ἐμοί*, I 893 pro *σοί* usurpatur, *οἷ* autem, quod III 5 pro *σοι* adhibitum esse Wellauer in indice observavit, a Merkelio melioribus codicibus uso sublatum est. Quinti locos, quibus Hermannus *οἱ* pro plurali positum putavit (p. 799 sq.): III 674, 736, VII 364, VIII 354, aliter esse explicandos concedit Brugman p. 34, sed p. 82 *οἱ αὐτῷ* V 533 pro *σεαυτῷ* adhibitum defendit a Spitzneri coniectura, quam Koechly recepit: *σοὶ αὐτῷ*. et de hoc quidem loco dubitari posse concedo.

Iam Hermanni coniecturas enumerabo ita, ut quae contra facere mihi videntur statim adiungam, ne ad eos locos quaestio redire cogatur. nonnullis sane locis, in primis quindecim illis, quibus Abelius Hermannum secutus est, repetitionem effugere vix licebit. ceterum vv. 303, 474, 731, 770, 778, 805, 816, 861, 866, 927, 938, 1140, 1174, 1194, 1236, 1252, 1282, 1292, 1372 infra tractabo.[1])

In v. 68 Hermannus aeque atque in vv. 692, 1161, 1259 offendit in particula *καί*. de hoc loco non cum Wielio faciam, qui I 20 dicit illo *καί* 'universam sententiae rationem leniter adaugendo accuratius definiri', sed ita hunc locum explicare malo: 'quae primam fabricavit navem, quae prima quoque mare transvecta est.' reliquos autem locos recte Wielius explicasse videtur: 692 ('Orpheus qui solus sciebat, quanto in periculo versarentur Argonautae, soli navis gubernatori de eo dixerat; deinde commode procedit oratio: hic etiam ea cum audiret, horrore percussus est'), 1161 *καὶ νῦν* ('nunc etiam [iam perfecto labore]'), 1259 ('et profecto vel peritura erat Argo.'). — v. 223 *αὐτὰρ δή* in *αὐτάρ οἱ* mutandi causa nulla erat. Guttmanno sane teste R *οἱ* praebet (haec enim adnotat ad Hermanni scripturam: '*αὐτὰρ δή* VoWL'). quod si recte se habet, difficile sane est de huius loci scriptura iudicare, praesertim cum post hunc versum lacuna unius versus statuenda esse videatur. in V *δή* legitur. — v. 285 Hermannus aeque atque in vv. 473, 816, 846, 927 pro *κεν* reposuit *οἱ*. hoc loco pro *ὅτι κεν ῥέξαι* dedit *ὅ τι οἱ ῥέξει*, 'quod et ipsum si legeretur obscurum esset . . . . . itaque legendum est *ὅ τι δεῖ ῥέξαι*

---

[1]) De vv. 184, 324, 677, 680 egi supra p. 267, de v. 649 p. 263, de v. 717 p. 243, de v. 846 p. 278, de v. 1162 p. 268. — de v. 518 cf. v. 414, de v. 692 cf. v. 68, de 1025 cf. 977, de 1116 cf. 522, de 1161 cf. 68, de 1177, 1203, 1225 cf. 414, de 1259 cf. 68, de 1312 cf. 522.

sive ὅ δοκεῖ.' sic Wielius (II 32), cuius priorem coniecturam cum Abelio probo. — v. 409 codd. πέρι γάρ μ' ἐπήλυθεν. Hermannus scripsit: γάρ μέ οἱ ἤλυθεν, leniore mutatione Vossius et Wielius (I 24): γάρ μοι ἐπήλ. — v. 414 Hermannus (itemque in vv. 518, 1177, 1203, 1225) τότε mutavit in οἱ. Abelius eum duobus tantum locis (414, 1177) secutus est, quibus τότε eodem iure defendi posse mihi videtur atque ceteris; cf. praeterea vv. 237 (ubi Hermannus Schneideri coniecturam τότε pro πότε probavit), 803, 856, 1070. — de v. 473 cf. 285; propius ad codd. scripturam accedit αἶ γὰρ μέν, quam coniecturam Schenkelius benigne mecum communicavit; de usu particularum μέν .... καί cf. v. 12 sqq., 336 sqq., Α 267, Ι 53, γ 351, ι 49, Soph. Ai. 1 sqq., Quint. X 86 sqq., XIIII 125 sqq. (Zimmerm. p. 84). — v. 507 Abelius scripsit δῶκεν δ' ἔπι οἶνον et adnotavit: 'ἐπὶ codd.' quare Guttmanno fidem habere non possum, qui e codd. cum Hermanni editione (δῶκεν δέ οἱ) collatis haec tantum affert δῶκε δ' ἐπὶ RL, unde Vo solum οἱ exhibere suspicari licet. cf. v. 961 et 1283, ubi Hermannus ἔπι intactum reliquit. — v. 522 Hermannus pro τοι 'non apto' dedit οἱ, item in vv. 1116, 1312; in v. 177 Schneideri coniecturam οἱ (pro τοι) probavit. Abelius v. 522 excepto eum secutus est. equidem ne uno quidem loco, cur particula affirmativa apta non sit intellego. — v. 581 Hermannus pro codd. scriptura θάσσοντι σταδίοισι reposuit θάσσονί οἱ στ., quod respectis iis quae sequuntur: ποδωκείης ἕνεκα σφῆς tautologia laborat; melior est Wielii medela (I 46) Abelio quoque probata: ᾄσσοντι σταδίοισι. — v. 588 cod. exhibent αὐτὸς δ' εὐκαμπὲς λάβε τόξον ἠδ' (ἰδ' R) ἄρ' διστούς, dett. τόξον λάβεν. Hermannus offensus in ἄρα 'ineptissime posito' dedit λάβε οἱ τόξον καὶ δ. ἠδ' ἄρα fortasse eodem modo dici potuit, quo τ' ἄρα dictum est ab Homero (cf. Α 465, γ 462, μ 365), sed laborat metrum, cui leniore mutatione succurrimus Ludwichii[1]) coniectura accepta: σὺν δ' ἄρ' δ. — v. 603 num in verbis, quae Abelio teste in optimis codd. leguntur: ὄφρα κε μειλίξαιντο εὐοινίστοις ἐπιλοιβαῖς, offensio sit, si modo μειλίξαιντ' scripseris, dubito. εὐοίνιστος certe defendi mihi videtur vocabulo οἰνιστήρια, cuius testimonia vide in Stephani thesauro, neque ullius momenti est, quod Guttmanno teste R ἑοινίσταις, Vo εὐνοΐσταις (οις superscr.) corr. ab altera manu in εὐοινοίστοις praebet (S ἐυνοΐσταις). quam ob rem neque Rosenboomii coniectura (p. 108 sq.) ἐυσπείστοις opus esse puto, quam leniorem esse Hermanniana ab Abelio recepta μειλίξαιντό οἱ εὐοίνοις concedo. — quod ad v. 685 adtinet: ἀλλὰ κατειρύμεναι ἀνέμων ἀργῆσσιν ἀέλλαις | ξυμβλῆτες πίπτουσιν ἐπ' ἀλλήλῃσιν ἰοῦσαι, Wielio quoque (I 19)

---

[1]) 'Streifzuege in entlegenere Gebiete d. griech. Literaturgesch.' Koenigsberger Studien I (1887) p. 65 n. 1.

*κατειρύμεναι* — R Guttmanno teste habet *κατευρόμεναι* — 'minus apte dici videtur de impetu ventorum, quippe qui scopulos illos non tam in inferiorem locum detraherent quam funditus concuterent.' Hermanni coniectura *ἀλλά οἱ εἰδόμεναι* omni probabilitate destituta est; Wielius coll. vv. 698 et 996 proposuit *κραδαινόμεναι*. propius ad scripturam traditam accedit Schenkelii coniectura: *μετεσσύμεναι*; cf. Ap. IIII 1270, Quint. VII 141. — v. 691, locum difficillimum, pertractare longum est. Hermanni certe coniectura: *πρύμνην οἱ θραύειν* propter duritiem et obscuritatem (Wiel. I 24) reicienda est; cf. praeterea Th. Bergkium Philol. XVI 584. — v. 711 nulla offensio est in codd. lectione *οὕτω γὰρ Μοῖραι τάδ' ἐπεκλώσαντο βαρεῖαι*, pro qua Hermannus legit *Μοῖραί οἱ ἐπεκλ.* — v. 722 scripturae traditae *ἔνθα καὶ αἶσα παρέσχε καταφθίσθαι δύο φῶτας* patronus extitit unus Rosenboomius (p. 119 sq.), qui vim verbi *παρέχειν* 'facultatem dare' hoc loco in universum magis prolatam esse putat: 'sors secum tulit'. sed ea res nisi gradatim hanc significationis extensionem factam esse exemplis ostendi potest, plane incerta est et, ubi ea vi, quam Rosenboomius statuit, *παρέχειν* adhibitum est, dativus aut adest aut facile suppleri potest, id quod secus se habet hoc quem tractamus loco. itaque ad coniecturam confugiendum esse puto. atque Hermanni commento *οἱ ἔσχε* longe praestat Schneideri *κατέσχεν* ab Abelio receptum. sed ne hoc quidem verbum cum *αἶσα* similibusve substantivis coniunctum inveniri Rosenboomius contendit. meo quidem iudicio conferri possunt Soph. Oed. Col. 370 . . . *τὴν πάλαι γένους φθοράν, οἵα κατέσχε τὸν σὸν ἄθλιον δόμον* et, cum posteriores scriptores in Argonauticis tractandis neglegendi non sint, Herodian. II 5, 1 (*εὐμοιρία . . τὸν βίον*); adde tituli cuiusdam (Dittenb. syll. 271) verba: *τῆς κατασχούσης ὑμᾶς τύχης*. — v. 768 *μερμήριζε* in *οἱ μέρμηρε* mutandi nulla omnino causa erat. — v. 784 pro codd. scriptura *ἀστέρα δ' αἰὲν ἀναρπάξαντα ῥεέθρῳ οἴχεσθαι πόντοιο δι' Ἀξείνοιο φέροντα* Hermannus dedit *ἀστέρα δ' αὖ οἱ*; probabilior et melior Wielii est coniectura (II 22): *ἀστέρα δ' αἰνόν*. Herwerdenus (l. c.) si coniecturam suam *αὖ μιν* (sc. Phasidem) probaturus erat, antea refellere debebat ea quae Hermannus rectissime adnotavit: '*Ἀστήρ*, Iason, Medeam flumine auferre dicitur'. — v. 829 in codd. lectione *οὔτε τιν' ἄλλην* non est cur offendamus; cf. Wiel. I 43. neque in v. 843 *ὀψὲ δὲ δή* offensioni esse potest, ut cum Hermanno *δέ οἱ* scribamus; tale versus initium saepius apud Homerum legitur, veluti *I* 31, *γ* 168. — v. 943 verbis quae codd. traduntur *ἐπιστείβωσι δὲ ἔργον* orationem turbari recte Hermannus vidit; quare proposuit: *ὄφρ' ἐμὲ γουνάσσωνται ἐπιστείβουσί οἱ ἔργον Ἄρτεμιν ἱλεῖσθαι θέλξαι θ' ὑπερήνορα θῆρα*. lenior est mutatio, in quam incidit Schenkelius: *ἐπιστείβουσί τε ἔργον*. — v. 977 aeque atque in vv. 1025, 1296, 1307 Hermannus sine causa vexavit *δ' ἄρα*. — v. 1014 verba *δολιχὴν δ' ἀμφ' αὐχένι δειρὴν θῆκε καρηβαρέων φολίσιν* recte explicat

Wielius (I 26 sq.) his verbis: '*δειρή* . . et *αὐχήν* sic plerumque inter se differunt, ut illud collum, hoc posteriorem partem colli significet; bestias autem somno captas ita fere iacere, ut caput cervici imponere soleant, collo adeo retorto, ut hoc ipsum in cervice recumbere videatur, omnibus constat'. coniectura igitur opus non est. Hermannus *δ. δὲ τέ οἱ χθονὶ δ.* scripsit; Sitzleri, qui pro *φολίσιν* proposuit *χθονίην*, coniectura accepta quomodo *ἀμφ' αὐχένι* explicari possit non video. — v. 1065 Wielii coniectura (I 13) *αὐτὰρ ἐπειγομένοισι* (codd. praebent *αὐτὰρ ἐπεὶ μὲν τοῖσιν*) longe praestat Hermanni commento: *αὐτάρ οἱ Μινύησι*. — v. 1124 pro codd. scriptura *ἀντολίας εἴργουσ'· ἐπικέκλιται δὲ πελώρη* Hermannus, ut metrum restitueret, scripsit: *ἔπι οἷ κέκλιται*. Wielius I 27 proposuit *ἐπικρέμαται*, quod ut sensu aptum ita utpote longius recedens a librorum apicibus nequaquam probabile est. proxime ad codd. memoriam accedit Schenkelii coniectura: *εἴργουσιν· ἐπεγκέκλιται δέ*; in eo enim, quod hoc verbum apud poetas non legi videtur (extat apud Galenum vol. IIII p. 38, 15), haerendum non esse puto, praesertim cum Argonauticorum scriptor satis adamaverit verba bis composita.[1]) v. 1223 *ἄμπισχε* — ita Schenkelius correxit Wielii (II 8) coniecturam *ἄμφισχε* — praestat Hermanni commento *δέ οἱ ἔσχε* (codd. *δ' ἔσχε*). — v. 1245 pro codd. scriptura *δαιτὸς δ' ἐδεύετο θυμός* Hermannus dedit *δαιτὸς δέ οἱ ἵετο θ.*; melior est scriptura vulgata *δαιτὸς γὰρ ἐδεύετο*. — v. 1270 Hermannus pro *δὴ τότε δή* reposuit *δὴ τότε οἱ*; possis etiam temptare *καὶ τότε δή*. *καὶ* enim facile abire potuit in *η*, unde coniectura ortum est *δή*. — v. 1281 Schraderi *καί ῥα καταΐγδην* praefero Hermanni coniecturae *καί ῥά οἱ ἀίγδην* (codd. *ῥ' ἀίγδην*); Rosenboom p. 96 confert Apoll. I 64, Orph. Lith. 508. — de v. 1296 cf. 977; in addendis Hermannus *δ' ἄρ'* retinendum esse censuit. — de v. 1307 cf. 977 et Wielium I 29, qui apodosim incipere a verbo *Μηδείης* recte docuit. — praeterea Hermannus duobus locis Schneiderum *οἱ* proponentem secutus est: 63 *ἡ δέ οἱ εὐχωλῇσι* (codd. *ἡ δὲ παρ'*; sed longe praestat Wielii coniectura *ἣ δ' ἄφαρ* I 20) et 177 (cf. v. 522).

Cum magna, ut Hermanni utar verbis (p. 792), 'huius pronominis ambiguitas sit multis in Orphei locis', primum locos in singula genera distributos proponam ita, ut eos, qui ad quod genus pertineant incertum est, uncis includam, deinde iis, quae ad universa genera pertinent, expositis versuum ordinem secutus de singulis locis agam. versus, de quorum scriptura dubitatur — sunt ii, quibus Hermanni coniecturae probandae esse videntur — asteriscis adpositis significabo.

---

[1]) Cf. *ἀποπροθορόντες* 450, 545, *ἀποπρολιποῦσαι* 263 (e coni.), *ἀποπροέηκε* 1211, *εἰσαναβάντες* 553, *ἐκπροθορόντα* 346, *ἐκπρολιπών* 48, 153, 206, *ἐκπροφυγόντος* 701, *ἐκ δ' ἀνέφηνε* 1357, (*ἐξυπάλυξις* 684), *ἐπαμπήξασθαι* 319, *ἐπαντείνας* 61, 332, *ἐπιπροέηκε* 361, *ἐπιπροθέουσα* 1080,. *προπροθέειν* 1257, *συμπροχέων* 575, *ὑπεγκλίνας* 1205, *ὑπεξεπέρησε* 69.

I. Pronomen est tertiae personae. refertur A) ad subiectum eiusdem enuntiati, quod a) numeri singularis: 173, (231), 270, 283, 296, 394, 533, 534, 589, 734, (761), *778, *816, (818), *927, 1026, (1028), (1181), 1256, *1292, 1352. b) numeri pluralis est: 526, 836, (838), 1035, (1141), 1272, 1277, *1282. B) ad subiectum enuntiati primarii (numeri singularis): 56, (249), 775, 788, 1309. C) pronomen demonstrativum est. refertur a) ad nomen numeri singularis: 58, 67, 226, (253), 267, 271, 275, 298, 503, (530), 546, 578, 656, 675, (693), 807, 813, (818), 868, 926, (1028), 1102, 1136, 1200, 1311, 1331, 1360. b) ad numerum pluralem: (231), 245, (249), (253), 299, 495, (530), 684, (693), 773, (818), (1141), (1181). II. pronomen est primae aut alterius personae. refertur A) ad subiectum eiusdem enuntiati, positum a) pro *ἐμοί*: (253), *(1236). b) pro *ἡμῖν*: (838), 889, 1209, 1264. B) ad aliud nomen, positum a) pro *ἡμῖν*: (761), 936. b) pro *ὑμῖν*: *(1236).

Generibus, quae notis I A et II A significavimus, continetur abundantia illa pronominis, de qua Hermannus p. 795 sq. verba facit. nonnumquam enim *οἱ* plane superfluum est, ita ut saepius verti nequeat. unde Herwerdenus Mnem. n. s. XIIII 20 adeo id pronomen pro particula affirmativa usurpari contendit.

Quam rem ut explicemus, proficiscendum nobis est ab iis locis, quibus vertendo vim pronominis adsequi possumus: 533 *οἱ ἧκε χερῶν οἰήια* (liess sich entgleiten; cf. 589, 1272), 889 *οἱ ἐμηδόμεθα* (nobiscum considerabamus), 927 *οἱ ἀμφιδοκεύει* (sibi custodit), 1026 *οἱ ἔπειγε* (sibi festinavit), 1277 *οἱ δήρισαν* (inter se certarunt), 1352 *οἱ οὐκ εἴα λιμένων ἐντόσθεν ἱκέσθαι* (sibi passus non est). aliis locis certe dativi vim illam ethicam[1]) sentire possumus, sed latine vel vernacule exprimere nequimus: 173 *καί οἱ ἀνατλῆναι*, 270 *οἱ ἐπειγομένῃ* (de navi; de eadem 734 *οἱ παράμειψε*, 1292 *οἱ ἵκανε*), 296 *οἱ ἤδη*, 526 *οἱ Μινύαι ἐντόσθεν ἔβησαν νηός*, 816 *οἱ ἀγαλλόμενος πεφόρητο*, 1035 *οἱ οὔτι λάθον Δία*, 1209 *οἱ αἰγιαλοῖσιν ἐκέλσαμεν*, 1264 *οἱ ἐπέσχομεν*, 1282 *τάς οἱ ὀνόμηναν*.

Pauci sunt loci, quibus vis dativi pronominis propria prorsus evanuisse videtur: 394 *καί οἱ κεκλιμένος . . κεῖτο*, 836 *οὐδέ τί οἱ νώνυμνοι ἐμοὶ ἐρίηρες ἑταῖροι* (cf. v. 838), 1256 *νῆα δ' ἄρ' αὐτόθι οἱ κατέχεν ῥόος*.

---

[1]) Cf. H. Huebschmanni verba (Zur Casuslehre. Monach. 1875, p. 71): 'Recht deutlich tritt das Wesen des Dativs in dem sogenannten Dativus ethicus hervor. Durch diesen wird ganz allgemein eine Beziehung des Nomens zum Satze ausgedrueckt, die specielle Färbung, die er im besonderen Falle erhaelt, gibt ihm allein der Zusammenhang.' ceterum pronomina tertiae personae a vetustioribus poetis rarissime ita usurpari, ut re vera ad dativum qui vocatur ethicum referri possint, haud ignoro; sed cum inter dativos commodi relationis ethicum certi fines constitui non possint, haec tria genera nomine dativi ethici comprehendere malo.

Quinti locos, quos Hermannus p. 805 sq. comparat, aliter explicari posse ipse concedit. ego in tribus primis libris, quos perlegi, unum saltem qui huc pertinet locum invenisse mihi videor: I 362 *ὅς ῥά οἱ εὔχεται εἶναι ἀφ᾽ αἵματος ἀθανάτοιο.* deinde fortuito incidi in alterum VII 50 *ἀλλά οἱ εἶθαρ ἀποκταμένοιο πάσασθαι σῖτον ἔτλην.*

Nescio autem an mirus ille usus explicari possit e locis homericis male intellectis. veluti *β* 92 *νόος δέ οἱ ἄλλα μενοινᾷ* ad Penelopam refertur *οἱ;* sed Argonauticorum scriptor *οἱ* pro reflexivo accipere atque ad hanc rationem v. 283 *ὅντινά οἱ κραδίη θυμός τε μενοινᾷ* conformare potuit. simili modo v. 534 *οὐ γάρ οἱ ἐέλπετο κῦμα περῆσαι* (er erhoffte sich nicht) compositus esse potest ad exemplum versus *M* 407 *ἐπεί οἱ θυμὸς ἐέλπετο κῦδος ἀρέσθαι* et quod *N* 394 legitur *ἐκ δέ οἱ ἡνίοχος πλήγη φρένας*, pronomen *οἱ*, quod est 'ei', sane pro reflexivo habere in promptu erat.

Pronomen ad subiectum enuntiati primarii relatum non abundat; talis enim dativus, qualis in vv. 249, 775 conspicitur, apud omnes poetas occurrit; cf. *ι* 443, *O* 156, *Σ* 376, Call. III 89. sed uno loco huius generis (I B) et pluribus, ubi pronomen pro demonstrativo est (I C), pleonasmus quidam cernitur. adiungitur enim pronomen illud substantivo ita, ut aut sequatur (cf. 675 *Φινεῖ δέ οἱ ὤπασαν ἄτην*) aut praecedat (cf. 267 *ἥν οἱ ὑποτροπίην . . . θέτο νηὶ μελαίνῃ*, 773 *οἱ Μινύῃσι*). quo in usu praeivit Homerus (*N* 600, *Ω* 452(?), *π* 371, *υ* 106); cf. hymn. Apoll. 275, Herod. II 175 (*τῇ Ἀθηναίῃ προπύλαια . . . οἱ* [codd.] *ἐξεποίησαν*), VI 68, Quint. III 529. praeterea quod abundat pronomen alio casu ponitur atque substantivum: 656 *μολεῖν γάρ οἱ οὔτι πέπρωτο* | *Φᾶσιν καλλίροον μένος ὄβριμον Ἡρακλῆος* et 1309 *μή οἱ ἑλὼν ἀέκουσαν ἑὸν πέμψειε δόμονδε . . .* non enim accusativus est *οἱ*, ut visum est Hermanno p. 795, sed *πλεοναστικῶς* ponitur dativus, ut vernacule vertere possis: 'es war ihm (Herculi) nicht bestimmt, dass Herakles an den Phasis komme'. quodam modo comparari potest *ρ* 555 *μεταλλῆσαί τί ἑ θυμὸς κέλεται καὶ κήδεά περ πεπαθυίῃ*; cf. quae de hoc loco I. Classenus exposuit[1]) et locos a Vogrinzio p. 305 sq. adlatos. simili modo explicandus esse videtur v. 291, quem supra, ne in quattuor simul genera referrem, omisi: *ἀλλ᾽ οὔ οἱ κάρτιστον ἀρειότερόν τε*

[1]) Beobacht. üb. d. hom. Sprachgebrauch, Francofurt. 1879, p. 158 sq. ceterum cur cum Wielio (II 7) scribamus *μολεῖν δ᾽ ἄρα οὔτι*, causa non esse videtur. item his duobus Argonauticorum locis collatis dubito, num in Quinti loco III 57 *ὢ πόποι, ὡς ὅγε μαίνετ᾽ ἀνὰ φρένας· ἀλλά οἱ οὔτι* | *οὐδ᾽ αὐτὸς Κρονίδης ἔτ᾽ ἀνέξεται οὔτε τις ἄλλος* | *οὕτω μαργαίνοντα καὶ ἀντιόωντα θεοῖσιν*, quo Hermannus p. 802 *οἱ* pro accusativo accepit, cum Koechlyo propter *οἱ*, quod cum sequentibus accusativis conciliari nequeat (eodem modo Zimmermannus p. 67 iudicat), lacuna statuenda sit post v. 57. quod si hunc locum ad verbum nostro sermone reddere licet, sensus hic est: 'Zu seinen Gunsten wird ihn der Kronide nicht ertragen, wie er den Göttern entgegentritt' vel 'der Kronide wird ihn nicht zum Glück für ihn ertragen'; cf. *Π* 531 *ὅττι οἱ ὦκ᾽ ἤκουσε μέγας θεὸς εὐξαμένοιο.*

γενέσθαι | Ἡρακλῆος ἄνακτος δίομαι; potest sane οἱ esse pronomen reflexivum abundans ac forsitan putet aliquis huic loco adhibendas esse interpretationes 'nobis' aut 'vobis', quas minus probabiles esse infra videbimus. οἱ sane semper dativus est aeque atque locis quibusdam homericis, velut χ 17 δέπας δέ οἱ ἔκπεσε χειρὸς βλημένου (cf. Π 531, δ 767, ξ 326, ϱ 231), cuius loci similes habes apud Quintum II 245, III 84, 131 et Apoll. III 371. verissime autem Koechly prolegg. p. LXIIII dixit: 'patet autem suam manere et pronomini et participio potestatem'.

Iam accedamus ad singulos locos. v. 58 καί οἱ ὑπὸ πραπίδεσσι δόλον τρίβον ἠπερόπευε explicatio: 'ei dolum intendit' simplicior videtur quam Hermanniana (cf. ind. p. 900ᵃ): 'animo suo'. extant enim loci (cf. 271 et 1331), ubi inter dativum cum verbo coniunctum et genetivum ad nomen relatum non multum interest. veluti ut duos tantum locos proferam ex iis, qui apud Ebelingium p. 104ᵇ β praesto sunt: Α 321 τώ οἱ ἔσαν κήρυκε (eius praecones), α 88 ὄφρα οἱ υἱὸν μᾶλλον ἐποτρύνω (eius filium). cf. omnino exempla in Stephani thesauro [1]) proposita, velut Pind. Ol. I 57, Pyth. IIII 48, Quint. V 616, XI 447, Opp. Hal. II 66. adde Call. IIII 64, Quint. I 289, 570, III 35. — vv. 226, 813, 868, 926, 1136 οἱ post praepositionem legitur intercedente particula δέ; cf. locos homericos ab Ebel. II p. 105ᵇ in. et 106ᵃ β collectos, Quint. I 33, 597, II 255. — v. 231 καί ῥά οἱ ἄλλοθεν ἄλλος ἐκέκλετο ἠδ' ἀγόρευε ita explicare, ut οἱ pronomen reflexivum abundans esse statuatur, artificiosius esse videtur quam ut probetur. fortasse autem οἱ explicari potest ad exemplum locutionum homericarum: τοῖσι δ' ἀνέστη, τοῖσι δ' ἔπειτ' ἀγόρευε. — v. 249 Hermannus οἱ cum κεκμηόσιν coniungit; mihi dativus ethicus esse videtur ad Iasonem referendus. — v. 253 Hermanni interpretatione — 'mihi abundans' dicit — opus non est, cum οἱ et ad Iasonem et, quod magis placet, ad omnes Argonautas referri possit. — v. 495 additur participium (πλώουσιν), ut saepius apud Homerum; cf. Γ 387 et Eb. II 105ᵇ. — in uno versu 526 αἶψα δέ οἱ Μινύαι — nisi forte quid me fugit — οἱ pro articulo accipi potest, dum sumamus Argonauticorum scriptorem licentiam prosodiacam a pronomine reflexivo ad articulum transtulisse. saepius eam interpretationem adhiberi posse contendit Heidenhainius in censura editionis Abelianae; [2]) sed probabilis ea ne hoc quidem loco est, cum nusquam alibi huic gentis nomini articulus addatur. — v. 530 propter ἐσφίγγοντο, quod sequitur, οἱ melius ad Argonautas quam ad navem referemus. — v. 684

---

[1]) Editionis ab Haasio et Dindorfio curatae vol. V p. 2355 sq. cf. praeterea, quae Steinius in Herodoti editione commentario instructa ad I 34 (v. 16) adnotavit et Ekedahl p. 36. Apollonii locos dabit O. Linsenbarth, De Apoll. Rhod. casuum syntaxi. Lipsiae 1887, p. 57.

[2]) Cf. Berl. Wochenschr. f. class. Philolog. 1887, p. 201.

*οἱ* referendum esse videtur ad rupes Cyaneas. — v. 693 potius ad omnes Argonautas spectat *οἱ* quam ad unum Tiphym. — v. 761 *αὐτίκα οἱ στέφανος καὶ τεῖχος ἐρυμνὸν Αἰήτεω κατέφαινε.* Hermannus in indice commemorat interpretationem 'nobis'; sed *οἱ*, ubi reflexivum non est, rarissime hanc significationem induere adparet e conspectu locorum. neque vero cum Wielio faciam, qui II 36 a dett. scriptura *αὐτίκ' ἄρα* profectus commendavit *ἀντιπέρα*, quamquam hoc loco et v. 1256 excepto (*νῆα δ' ἄρ' αὐτόθι οἱ κατέχεν ῥόος*) pronomen reflexivum abundans semper ad personas refertur; Argo enim navis animata fingitur. — quid de v. 778 statuendum sit, difficile est dictu. Hermanni coniectura *ὅς οἱ ἔδοξε* (codd. *ὅς νιν*) sane ad sensum optime quadrat et melior certe est, quam Abelii *ὅς ῥά τ' ἔδοξε*; sed corruptelae ratio explicari vix potest. — v. 816 pro codd. scriptura *ταῖς γάρ κεν ἀγαλλόμενος πεφόρητο* quod melius sit, nondum inventum est Hermanni coniectura *γάρ οἱ.* — v. 818 *καί οἱ ἀπὸ στηθέων βριαρὴν ἀνενείκατο φωνήν* Hermannus de pronomine reflexivo abundante vel de interpretatione 'e pectore suo' cogitavit; simplicius esse puto *οἱ* pro demonstrativo accipere. ac propter verba quae sequuntur: *φράζετον, οἵτινές ἐστε* verto 'eis' (Argonautis), non 'ei' (Iasoni). — v. 838 supplendum esse censeo *εἰσίν*, ita ut opus non sit confugere ad explicationem, qua *οἱ* idem esse ac nobis statuitur. — v. 927 codd. scripturae vitiosae *τό κεν αἶψα δοκεύει* melior nondum inventa est medela Hermanni coniectura *τό οἱ ἀμφιδοκεύει.* certe ad deam, de qua in v. 909 verba fiunt, *οἱ* referri vix potest. — v. 936 *οἱ* ad primam personam translatum non refertur ad subiectum enuntiati, quod rarissimum esse et apud Homerum Hesiodumque et apud posteriores e Brugmani libro (p. 107 sqq.) cognosci potest. quid quod omnino id fieri potuisse negavit Rzachius (Sitz.-Ber. d. Wien. Akad. phil.-hist. Cl. 89, p. 536). sed ipse p. 544 ex Apollonio adtulit exemplum pronominis possessivi ita usurpati, quod quomodo hac in re a personali differat non video, dico versum IIII 1015 *μή δέ με Κόλχοις | ἐκδῴης ᾧ πατρὶ κομίζεμεν.* hoc loco *οἱ* pro pronomine tertiae personae abundante. quod ad Medeam referatur, accipi non posse videtur. — v. 1028 melius opinor *οἱ* ad Absyrtum quam ad noctem referemus. — v. 1141 *οἱ* pertinere mihi videtur ad homines, de quibus inde a v. 1138 verba fiunt, non ad enuntiati subiecta *Ἀίδαο πύλαι καὶ δῆμος Ὀνείρων.* — v. 1181 *καί οἱ ὄπισθεν ἷκτο . . . θύελλα* ad Argonautas *οἱ* spectare puto, non ad ventum. — v. 1236 codd. lectio *ἀλλά μιν αὐτίκ' ἐγὼ πρόφρων ξεινήια πέμψω* retineri nequit neque quisquam opinor iam Schneiderum sequetur scribentem *ἀλλὰ μέν*, quod ille idem valere dicit atque *ἀλλὰ μήν.* quod si cum Hermanno *οἱ* reponendum est, pro *ὑμῖν* accipere malo quam pro *ἐμοί* abundante, quamquam ea respicias quaeso, quae ad v. 936 monui. nescio tamen an scribi possit *ἀλλ' ὔμμ' αὐτίκ' ἐγώ*; *ὔμμ'* idem est quod *ὔμμι* *K* 551,

ϱ 241, χ 62. — v. 1282 pro codd. lectione *τάς ῥ' ὀνόμηναν* melius nondum inventum est Hermanni coniectura *τάς οἱ ὀ.*; quod in libris deterioribus legitur *τάς ῥ' ἐξονό.* amplecti non ausim. — neque de v. 1292 habeo quod opponam Hermanno pro codd. scriptura aperte corrupta *κῦμα δὲ πόντου καὶ κόλπον ἵκανε* reponenti *κῦμα δέ οἱ π.*

Iam accedamus ad formam *σφιν*. refertur ea ad pluralem tertiae personae A) sensu reflexivo: 646 *αἳ δέ σφιν ἐσαθρήσασαι ἰόντα | κοῦρον ἔτ' ἠΐθεον κατερύκακον* (pertinere videtur ad *κατερύκακον*, non ad *ἐσαθρήσασαι*, ut Hermannus voluit), 700 *περὶ δέ σφιν ἐτώσιον ἠρείσαντο* (cf. locos homericos apud Eb. II 307[b], 308[a]. Call. III 163, Ap. I 455, Quint. I 50, 310, 546), 1271 *οὐδέ σφι παραπλώσεσθαι ἔμελλον | φθογγὴν οὐλομένην* (abundat; Gesner sane in ind. p. 921 *σφι* ad *οὐλομένην* refert), 1294 *τήν σφιν ἔναιον* (abundat). B) ita, ut reflexivum indirectum sit: 1212 *διζομένους, εἴ τίς σφι* (codd. *σφε*) *βροτῶν . . ναιετάει.* C) sensu demonstrativo: fortasse in v. 1271; pleonasticum: 169 *(σφιν . . . ἡρώεσσι)*, 469 *(σφιν . . πλωτῆρσιν*; verba enim *μετὰ γάρ σφιν ὀφέλσιμον ἀνθρώποισι | τῆσδε θυηπολίης ἀβολεῖν* (sic Hermannus; codd. *ἄμοτον) πλωτῆρσιν ἑκάστοις* aeque atque Hermannus, qui *μέγα* pro *μετὰ* scripsit (*μέγα* R, marg. Vo.), interpretor: 'inter homines utilis est nautis horum sacrorum communitas'), 1323 *(σφι . . ἀνδράσι ἠδὲ γυναιξίν).*

Singularis abundans esse videtur Hermanno in v. 911 *ἐν δέ σφιν πυμάτῳ μυχῷ ἕρκεος ἄλσος ἀμείβει | δένδρεσιν εὐθαλέεσσι κατάσκιον.* quo loco id agitur, ut quae sit significatio verbi *ἀμείβειν* exploretur. certe quae plerumque obtinet in hoc carmine notio transeundi sive praetereundi sive perveniendi[1]) non quadrat hoc loco. convenire autem videtur excipiendi verbum, quam interpretationem a Gesnero prolatam num vocabulo *ἀμείβειν* tribuere liceat, dubitat Schneider. sed loco Orestis Euripideae, quem Hermannus adtulit 1511 *καὶ μὴν ἀμείβει καινὸν ἐκ καινῶν τόδε*, doceri videmur *ἀμείβειν*, ut transitive adhibitum significat: mutare aliquid aliquo ('an die Stelle setzen'), ita intransitive dici posse eodem sensu, quo nostrum 'an die Stelle treten', latinum 'succedere' (Euripidis scholiasta interpretatur: *διαδέχεται).* Sitzleri igitur coniectura *ἄλσος ἀνεῖται* opus non est. iam si vertimus: 'in extremo angulo saepis nemus succedit', *σφιν* vix aliud esse potest quam singularis abundans referendum ad *ἄλσος*; cf. 761 *αὐτίκα οἱ . . . κατέφαινε . . . ἄλσεα.* quod autem Gesnerus *σφιν* pertinere posse putat ad *ἕρκος* eiusque partes, ita ut haec fere evadat

---

[1]) Vv. 264, 632, 709, 821, 908, 1011, 1181; cf. Apoll. III 280, IIII 964. similiter 792 *ἐπὶ ῥεῖθρον ἄμειβον* ('per flumen oberrant' vertit Cribellius). mutare locum sive relinquere designat in v. 124. de vv. 855, ubi dubito num recte Abelius *ἐπειγόμενοι* pro *ἀμειβόμενοι* reposuerit, et 931, cuius interpretatio dubia est, disputare non huius loci esse puto. respondendi significationem *ἀμείβειν* non habet nisi in v. 96.

structura: ἐν πυμάτῳ μυχῷ ἕρκεος ἄλσος σφιν ἀμείβει ('Im aeussersten Winkel des Geheges wechselt mit demselben ein Hain ab'), talis dativus sane inauditus non est (cf. Aesch. Pers. 315), sed verborum collocatio contra facere videtur. pronomen enim abundans quovis sententiae loco poni potest; si autem vocula σφιν oratio ad ἕρκεος redit, pronomen ante id positum esse vix veri simile est. de praepositione ἐν duobus verbis a πυμάτῳ μυχῷ seiuncta cf. v. 469, de quo modo disputavi, 929 ἐν δ' ἄρα πρέμνον | ἀπλήτοις ὁλκοῖσιν φορεύμενος ἀμφιπολεύει, 1170 ἐν δ' ἄρα θυμὸς παχνώθη Μινύῃσι (quo loco sane ἐν pro adverbio esse potest; cf. 293, 490, 612 al.).[1] Sitzleri coniectura ἐν δ' ἄρα τῷ πυμάτῳ μυχῷ omni probabilitate destituta est; alia autem, qua removeantur huius versus difficultates, nondum prolata est.

Singularis abundans nescio an item statui possit in v. 1252 Ἐγκελάδοιο, | Αἰτναίῃ τὸν φλόξ σφιν ἐρητύει μεμαῶτα (σφιν refero ad μεμαῶτα). sensum oportet esse illum, quem Schneider efficit coniectura sua: φλὸξ κατερητύει μεμαῶτα 'quem surgere conantem retinet impositus mons Aetna ignibus exaestuans'. si re vera graviore opus est coniectura — ἄρ' quod post σφιν codd. tradunt utique omittendum est et μεμαῶτας in μεμαῶτα corrigendum — Schneideri commentum praefero Hermanni coniecturae, qui scripsit φλόξ οἱ ἐρ.; p. 793 autem μιν proposuit. de σφιν pro singulari usurpato cf. hymn. hom. XVIII 19, XXVIIII 9, Soph. Oed. Col. 1490.[2]) quod si Hermannus in v. 1235 pro codd. τοίῳ κε λύθρῳ restituit τοίῳ σφι ('vobis' abundans) λύθρῳ, melior est Abelii coniectura τοιῷδε λύθρῳ. forma σφισιν non legitur; Gesneri coniectura ad v. 865 prolata sine dubio reicienda est.

Genetivus non invenitur (cf. Krueger II 51, 1, 3 et 15). accusativum ἕ habemus sensu demonstrativo adhibitum in vv. 878, 1081, 1216, 1358. fortasse collato loco homerico *Α* 236 περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε retinendum est in v. 805 περὶ γάρ ἑ τεύχεα λάμπε adscito e codd. dett. ῥα (post γάρ), quod sane coniectura nasci potuisse, si οἱ, quod Hermannus reponit, in ἑ abierat, non nego. tum ἑ pro σφε est ut h. Ven. 268. num coniectura Wielii (II 12) in v. 618 pro ἀλλ' ὅτε δὴ θυέεσσι λιτῇσί τε γουνασάμεσθα scribentis λιταῖς τέ ἑ necessaria sit, dubito.

*Μίν*, ut locos aperte corruptos 739, 770, 1236 omittam, codicibus exhibetur: 731, 1044, 1174, 1194, 1256. praeterea recte in v. 938 Abelius pro νιν, quae forma epicorum non est — cf. Schneideri notam ad Call.

---

1) Addendus est v. 1288, si cum Hermanno codd. scripturam: μοιρίδιον θανάτοιο· σφέας δ' ἀπὸ ῥωγάδος ἄκρης sic corrigimus: μ. θανάτου· ἀπὸ δὲ σφέας ῥ. ἄ. neque alia sane praesto est coniectura, qua metro succurramus laboranti.

2) An in v. 778, quem p. 291 tractavi, quoque scribendum est ὅς σφιν, quod pro οἱ acceptum loco convenit? certe ad codd. scripturam ὅς νιν proxime id accedit.

I 4 — *μιν* reposuisse videtur, in v. 1328 Schneider *αὖ μιν* pro *ἄμμιν.*[1]) semper demonstrativum est. abundat in vv. 938 *(μιν . . Ἀγροτέρην)*, 1174 *(μιν . . Μήδειαν)*, 1194 *(μιν . . κούρην)*; cf. locos homericos ab Ameisio ad ζ 48 adscriptos.

In vv. 938, 1174, 1194 Hermannus reposuit *οἱ*, de qua coniectura ipse postea (p. 793) dubitavit. de v. 731 sententia mihi non constat. Hermannus pro codicum scriptura *ὃν δὴ Καλλίχορόν μιν ἐπώνυμόν οἱ καλέουσιν* dedit *ὃν δὴ Καλλίχορόν οἱ ἐπωνυμίην καλέουσιν.* atque *ἐπωνυμίην* commendatur Apollonii loco II 909 *ἐξ οὗ Καλλίχορον ποταμὸν περιναιετάοντες | ἠδὲ καὶ Αὐλίον ἄντρον ἐπωνυμίην καλέουσιν.* sed Rzachio (Neue Beitraege p. 371) displicet syllaba finalis substantivi *(Καλλίχορον)* ante *οἱ* producta, cuius rei exemplum apud posteriores epicos nullum inveniatur. placet ei, quod miror, Gesneri coniectura *κατ' ἐπωνυμίην* ac magis etiam Ruhnkenii sententia vv. 731 sq. ab interpolatore esse profectos, quam refutasse mihi videtur Schneider. Hermannus ipse p. 793: 'fortasse' ait 'servare debebam *μίν*'. iis locis, ubi *αὐτὸς* relativo subiungitur (cf. Herm. ad Viger. p. 709), nisi textum editores recentiores secuti mutamus, *αὐτὸς* cum Bernhardyo (Wissensch. Synt. p. 288, n. 60) vertendum est: ipse; cf. Thuc. VI 10, 5, Soph. Phil. 315, Arist. Av. 1237. quae explicatio non valere videtur de Callimachi loco ep. 43, 3 (= A. P. XII 118): *ὧν ὁ μὲν αὐτῶν* Nonni imitatione velut I 187, XV 2, 132 firmato; cf. A. P. VII 721 *ὧν ὁ μὲν ὑμῶν.* utrum igitur ad horum exemplorum analogiam Argonauticorum loco *μιν* positum esse est sumendum an hoc quoque loco scribendum *σφιν*? cf. Hermanni coniecturam in v. 1282 *τάς οἱ ὀνόμηναν.*

*Σφε* excepto v. 1212, ubi *σφι* legendum esse adparet, codicibus non traditur. in v. 1042 Hermanni coniectura *δνοφερὴ δέ σφ' ἄμπεχεν* (libri *δνοφερὴ δέ τε ἄ.*) inutilis est; contra recipienda videtur eiusdem emendatio in v. 1321 *οὐ μὲν δὴ φίλον ἐστὶν ἀπό σφ' ὤσασθαι ὁμεύνου* (codd. *ἀπό ῥ' ὤσασθαι ὅμιλον*), dum melior inventa erit. quae enim mihi in mentem venerunt: *ἐστ' ἀπὸ μίν τ' ὤσασθαι ὁμεύνου* vel *ἐστιν ἀπό τ' ὤσ.* (cf. 184 *αὐτὰρ ἐπὶ Τελαμών* et 324 *αἷμα δ' ἐπὶ ταύροιο*), non minus audaces sunt. *σφε* tum est pro *ἕ*; cf. Call. III 197, IV 15. in v. 1288 habemus *σφέας* reflexive positum.

Nusquam pronomen personale cum *αὐτός* coniunctum pro reflexivo est; uno loco (647) *αὐταῖς* est pro reflexivo, quod vocant indirectum (cf. locos homericos apud Eb. I 204ᵇ d).[2])

---

[1]) De v. 784 p. 286 dixi.

[2]) Ut hoc loco absolvam usum pronominis *αὐτός*, nominativus idem significat quod 'ipse': 292 (*καί*; cf. e. c. *Η* 191), 299 (Sitzleri coniectura *αὐτόν* plane otiosa est), 411 (additur nomen *Χείρων*; cf. e. c. *Β* 309), 576 *(Αἰσονίδης)*, 588, 636, 852, semel casus obliquus: 1313 *αὐτῷ τε κρείοντι.* in v. 1140 *(καὶ δ' αὖ αἱ ψυχαὶ μετεκίαθον εἰς Ἀχέροντα)*

De pronominibus possessivis mihi brevi esse licebit. aliorum poetarum locos, quibus ea ad alterum numerum aliamve personam translata sunt, dabit Brugmanus; cf. p. 117 sq. cum indice locorum, p. 33 sqq., 78 sqq. *ὅς* habes Arg. 1320 sensu reflexivo usurpatum, 891 in formula *φρεσὶν ᾗσι* ad primam personam translatum. — *ἑός* ad pluralem refertur 356 ('non debebam mutare *ἑῆς*' ait Hermannus p. 815), 439, 1285, ad primam personam 349, 940 (poetam imitatum esse Homerum *I* 414 Brugmanus contendit p. 71). praeterea legitur sensu reflexivo: 52, 448, 779, 1309; demonstrativo: 1328. — *σφός* extat 474 *σφῇσιν ἀτασθαλίῃσι* (versus initium ex Homero desumptum; cf. *α* 34); idem transfertur ad singularem 865 (*σφ. ἀ. Αἰήταο*; similis hoc loco est pleonasmus atque in pronomine *οἱ*) et 1305, *ἀτασθαλίης ἕνεκα σφῆς* 416, *ὁμηλικίης ἕνεκα σφῆς* 510 (cf. *Π* 18), item translatum ad numerum singularem 581. praeterea refertur ad singularem 942, ad primam personam 1144. — *σφέτερος* bis legitur: 728, 832, ac priore loco pro singulari est.

## VII. De pronominibus *ὁ, ἡ, τό, ὅδε, οὗτος, κεῖνος* et de articulo.[1])

Pronomen *ὁ, ἡ, τό* usurpatur sensu demonstrativo saepissime coniunctum cum particula *δέ* *α)* iuxta nomen: 227, 245, 280, 589, 799, 1099, 1296. *β)* remotum a nomine: 60, 63, 241, 376, 444, 525, 539, 562, 595 (*τοῦ δ' ὣς κλύε* cf. 1094 *οἱ δ' ἐπεὶ οὖν κτλ.*), 643 al. *γ)* sermone finito is, ad quem verba facta sunt, significatur: 293, 353, 392 (*ὣς εἰπὼν ἐξῖκεν ἀταρπιτόν· οἱ δ' ἑπόμεσθα*, quae locutio unum habet exemplum homericum

---

Ruhnkenius scripsit *καὶ δ' αὐταί*, quod esse vult 'sponte'. atque hoc sensu *αὐτός* sane nonnullis locis homericis de personis usurpatur (cf. Eb. I 202ª e). melior profecto est haec coniectura quam quod Hermannus proposuit *αὖ*, probabilior etiam quam Wielii *αἶψα* (I 27 sq., coll. Strabon. VIII 12 p. 373 C, qui dicit 'Hermionenses propterea portorium non solvere, quod brevi itinere ad inferos perveniant.'). — *αὐτῇ σὺν φόρμιγγι* 111 formula homerica est; cf. *I* 194, *Ξ* 498, *ν* 118, h. Ap. 148, Quint. VI 248, 270, 300. Apoll. III 1288, IIII 1230, 1591. reliquis locis casus obliqui extant respondentes latino 'eius': 150, 317 (*ἐπ' αὐτῷ*), 419 (*μετ' αὐτόν*). in v. 866 *ἠδ' ὡς παρθενίοις αὐτοῦ φίλτροισι δαμάσθη αἰνόγαμος Μήδεια* cum Wielio (I 25 sq.) *αὐτοῦ* pro adverbio ('ibi') accipio, cum praecedant haec: *ὥς τ' ἄψορρος ὄρουσ' ἐκ δώματος Αἰήταο Ἄργος*. coniecturis igitur opus non est. Hermannus proposuerat: *οἷ ὑπαί.*

[1]) Cf. A. Funk, Ueb. d. Gebrauch d. Pronomina *οὗτος* und *ὅδε* b. Homer. progr. Neobrandenburg. 1860, 1870 (partem alteram inspicere mihi non licuit; cf. censuras ab Hentzio actas Philol. XXVII 507 sqq., Ind. Philol. III 241 sq.), Ph. Braun, Beitr. zur Lehre von den griech. Pron. *ὅδε* und *οὗτος* bei Aeschyl. progr. Marburg. 1879, idem, Der Gebrauch von *οὗτος* in der Ilias. Festschr. d. Gymn. Marburg f. Collmann. 1883 (II), A. Stummer, Ueber den Artikel bei Homer. progr. Muennerstad. 1886, qui p. 3 adfert commentationes ante eum de eadem re conscriptas. libri qui apud Huebnerum p. 48, § 18, 2 commemorantur, mihi praesto non erant.

*T* 324: *πατρὸς . . . . ὃς δάκρυον εἴβει χήτει τοιοῦδ' υἷος· ὃ δ' . . πολεμίζω)*, 557, 653, 826, 840, 854. haud raro ut apud Homerum additur *ἄρα*, velut 293, 806, 826, 840, 854, 1296 (cf. 898 *ἐν δ' ἄρα τῇσιν* et 1112 *οὐδ' ἄρα τοῖσι* et Apoll. I 86, 1084, 1109; Quint. IIII 366, 369, 373). contra *αὐτὰρ ὅ* et Homero et Apollonio (cf. I 265, 293, 325, 553) sat tritum uno illo loco, quo id codicibus exhibetur, v. 725, ferri nequit, ita ut Schneideri coniectura in v. 729 *ὅ* post *αὐτὰρ* inserentis *ἅπαξ λεγόμενον* quod dicunt intrudatur. nescio an collatis versibus 117 [1]) et 1043 *αὐτάρ* absque illo *ὅ* retineri possit. quod ad usum voculae *γε* pertinet — tribus locis exceptis: 709 *(αὐτίκ' ἄρ' αἴγε*; cf. *φ* 46 et Apoll. I 656, II 1081), 770 [2]), 1147 legitur *δ' ὅγε*: 123, 777, 1007, 1032 — Argonautica ab Homero non differunt. [3]) idem valet de reliquis coniunctionibus pronomini additis, quarum usum tabella simili modo atque in particulis subiunctivis tractandis illustrabo.

*τὸν μέν* 96 (cf. Apoll. I 128)
*τοὺς μὲν ἄρ'* 664 (cf. Apoll. I 193, Quint. I 256)
*τοῦ μὲν δή* 724 (cf. *ψ* 49)
*ὅ μέν τε O* 273, *Δ* 485
*ἣ μὲν γάρ* 974 (cf. 473, *N* 279, Quint. I 426)
*ὅ γάρ* 587, 727, 816, 862, 1188
*ὅ γάρ τ'* 942 (cf. *α* 152 cum Ameisianae editionis appendice, *φ* 430, Apoll. I 666, III 209)
*ὅ γάρ ῥα P* 554, *E* 511
*ὅ γὰρ δή ε* 276, *M* 332
*οὐδ' ὅγε Δ* 97
*ἄρ' ὅγε Δ* 93, *O* 730

*ὁ' ὅγε Ψ* 875, *Ξ* 175
*ὣς οἵ μέν* 767, 1022, 1155
*ὣς αἵ γε χ* 471
*ἀλλ' οἵ μέν* 568 (cf. *N* 404)
*ἀλλ' ὅγε B* 420, *σ* 325
*καὶ μὲν ὅ η* 325
*καὶ τοὺς μέν ὁ'* 1119 (cf. *Θ* 119, *Φ* 171, Apoll. I 753)
*καί ὁ' αἵ μέν* 435, 1369 (cf. *K* 541)
*ἤ τοι ὅ μέν Z* 404
*νῦν δ' ὅ μέν χ* 54
*καὶ γὰρ ὅ N* 11 *T* 52
*ἀλλ' ἄρα καὶ ὅ T* 96
*ὅ περ δή Z* 398

addendum est *τῷ* pro adverbio ('propterea') posito adiungi *ῥα* in v. 385 (cf. *E* 209, *τ* 259); de vv. 237, 803 *(τήν ῥα)*, 1053 *(τόν ῥα)*, 1070 *(τῇ ῥα)* postea agemus.

---

[1]) *ἀσπασίως ἤγερθεν· ἐγήθεε δ' ἦτορ ἑκάστῳ.*
*αὐτὰρ ἐμυθεόμην ἐρεείνων ἄνδρας ἀρίστους.*

Ludwichio sane (cf. Ann. philol. CXXXV p. 648) iure Hermannus, cuius coniecturam *αὐτὰρ ἐθηεύμην* ille non probat, offendisse videtur in eo, quod Orphei verba non sequantur. ipse proponit *αὐτὰρ ἐγὼ πυθόμην*, quod neque ratione palaeographica commendatur neque aptum sensum praebet. quod autem verba, quae Orpheus fecit, non proponuntur, corrigendi ansam non dabit, si consideraverimus eundem poetam, postquam vv. 894—933 de nemore, in quo vellus aureum a dracone custodiebatur, fusius exposuit, tum demum (936) addere haec omnia a Medea narrata esse.

[2]) Recte enim Gesnerus, non Wielius, ut adnotat Abelius, pro codd. scriptura *ἤ μιν*, quae ferri nequit, reposuisse videtur *ἢ ὅγ'*, de qua formula cf. *Δ* 190, *K* 504.

[3]) In v. 725 pro *ἂν δ' ἄρα τοῖσγε (ἂν δ' ἄρα* Sanctamandi coniectúra est; codd. praebent *αὐτὰρ ὅ)* Wielius (I 60) reponit *ἂν δ' ἄρα τοῖσι*; edoceri enim nos a Lehrsio (Quaest. epic. p. 267) neque apud Homerum neque apud Apollonium illam dativi formam in exitu versus legi; cf. Arg. 709 *αὐτίκ' ἄρ' αἴγε* et 898 *ἐν δ' ἄρα τῇσι.*

Iam pergamus ad pronomen demonstrativum, quod 'sine nomine positum bis repetitum efficere potest partitionem: *ὃ μὲν . . . ὃ δέ* alius . . . alius'. verum ut apud Homerum sunt, quae partitionem efficere posse videantur, sed non efficiant (cf. Ebel. II 12ᵇ *Γ*), sic v. 724 sq. legimus *τοῦ μὲν δή—τοῦ δέ*, quae referenda sunt ad Idmona et Tiphym. sed re vera partitio est in vv. 520 *(καί ῥ' οἳ μὲν . . οἳ δέ)*, 1286 *(καί ῥ' ἣ μὲν . . ἣ δέ* cf. *I* 634), 837 *(οἳ μὲν γὰρ μακάρων, οἳ δ' ἡρώων γένος ἐσμέν*; de prima persona cf. *γ* 153 *οἳ μὲν ἕλκομεν, ἡμισέες δ' ἐλαύνομεν)*. e recentioribus conferri possunt Apoll. I 72, 186, Quint. I 400, 482.

In vv. 363 *(οἳ δ' ἄρ' ἐπ' εἰρεσίην ἔπεχον χεῖράς τε νόον τε | ἄκμητοι βασιλῆες)*, 563 *(ἣ δὲ κατ' ὀρφναίοιο πόλου χρυσήνιος Ἠὼς | ἀντολίην ἤνοιγεν)*, 840 *(τοῦ δ' ἄρα θυμὸς ὀρίνετο ἶσος ἀέλλῃ | Αἰήτεω)*, 966 *(αἳ δ' ὀτραλέως ὑπάκουσαν . . . Τισιφόνῃ τε καὶ Ἀληκτὼ καὶ δῖα Μέγαιρα)* demonstrativa, ut saepius apud Homerum, ad sequentia spectant (cf. Call. VI 120, Quint. I 400)[1]), quo genere ad articulum transducimur, de quo iam quae memorabilia esse videntur breviter exponemus.

Intercedit particula inter articulum et nomen: 209 *τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμεν'*; cf. *A* 70, 1202 *τὰ δὲ (δὲ* Schneider; codd. *τε) καλὰ φύει μενοεικέα δῶρα*; cf. *ρ* 203, *Γ* 54. articulus ante nomen adiectus est: *τὸν ὅρκον* 355 (versus totus ex Homero desumptus est; cf. *μ* 304, *ο* 438, *σ* 59), *ὁ γέρων* 451 (quod fere moris est apud Homerum; cf. Stummer p. 17 sqq.), *τὸν μόχθον* 1148 (ubi sentiri potest vis demonstrativa). articuli ope fiunt substantiva ex adiectivo: *τὸν ἄριστον* 851 — ex Schneideri coni., codd. *τιν'*; cf. *ξ* 19, *Z* 435 quodque certe simile est *τὰ ἕκαστα* 767, 1155 (cf. *A* 706, *μ* 16, 165, *ξ* 375) — et e participio, quod haud frequens est apud Homerum (cf. *Φ* 262, *Ψ* 325): *τὸ πεπρωμένον* 1110; 209. adiungitur articulus adverbio: *τὸ πρόσθεν* 19 (cf. *Ψ* 583). articulus ante adiectivum cum substantivo consociatum ponitur: 303 *τὸν ἀπείριτον αἰθέρα τέμνων* (Hermannus articulum 'ab epicorum consuetudine abhorrentem' in *οἱ* mutavit, Rzachius (Neue Beitr. p. 370) proposuit *ὃς . . τέμνει*. sed articulus defendi posse videtur locis homericis a Wielio I 23 adlatis, velut *ε* 185 *τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ)*, 474 *καὶ ἡ κλυτὴ Ὑψιπύλεια* (Hermannus eodem modo *ἡ* in *οἱ* mutavit; sed cf. *Υ* 320 *ἦδ' ὁ κλυτὸς ἦεν Ἀχιλλεύς*, *K* 536), 1320 *τὸν ὃν πόσιν* (uno tantum loco articulum cum pronomine possessivo coniungi mirum non est, cum apud Homerum Stummero teste p. 47 sq. articulus duodequadragies ponatur, plus nongenties omittatur). adparet omnino, quod

---

[1]) Eodem modo explicanda est Wielii (II 29) coniectura ad v. 503 prolata *Αἰνῆος φίλος υἱός, ὃν ἡ τέκε δῖα γυναικῶν*; sed respectis iis, quae p. 244 de re metrica exposui, nihil inest offensionis in verbis traditis *ὅν οἱ*. improbabilius etiam Hermanni *Αἰνῆος υἱός, τόν οἱ* (vocem *φίλος* ex Homeri recordatione ortam esse putat).

ad articuli usum adtinet, scriptorem Argonauticorum non solum non excedere extra fines, sed ne explere quidem fines usus homericorum carminum, in quibus adverbia intercedant inter articulum et nomen (*I* 524, *Ξ* 274), articulus coniungatur cum pronominibus *ὅδε*, *οὗτος*, *ἐκεῖνος* [1]) (*β* 351, *σ* 114, *τ* 372), non ipsi nomini addatur sed iis, quae ad nomen explicandum subiunguntur, velut *ξ* 61 *ἄνακτες οἱ νέοι*.

Restat, ut de pronomine demonstrativo sine coniunctione posito agam, qua quaestione instituta delabimur ad locos, ubi utrum pronomen demonstrativum intellegendum sit an relativum, dubitatur.

In v. 850 *τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστι* collatis locis homericis, velut *Γ* 41, *τὸ* pro demonstrativo accipio, ita ut haec verba parenthesis loco sint, neque in v. 1147 de vi demonstrativa pronominis *τούς* dubitari posse puto. contra cur in v. 1047 Hermannus *οἵ* demonstrativum esse voluerit *οἱ* scribens, non adsequor. quod ad v. 190 adtinet:

*Ἴδμων,*
*τόν ῥ' ὑποκυσαμένη τέκεν Ἀπόλλωνι ἄνακτι*
*Ἀμφρύσου παρὰ χεῦμα Φερητιὰς Ἀντιάνειρα·*
*τῷ καὶ μαντοσύνην ἔπορεν καὶ θέσφατον ὀμφὴν*
*Φοῖβος, ἵν' ἀνθρώποισιν ἀρηρότα μυθίζοιτο*

cogitari potest de duobus relativis, quae ad idem nomen referenda iuxta collocantur. sed quamquam talia, ut videbimus, saepius leguntur, formas a littera *τ* incipientes ita usurpatas non inveni; quare praestat ad exem-

[1]) *Οὗτος* semel legitur in interrogatione indignantis (97), cf. Braun II p. 6 sq. *Π* 627. in v. 351 praecedit enuntiatum relativum, quod apud Homerum non invenitur (cf. Eb. II 115 b), saepius occurrit apud Callimachum: II 10, V 54, 102 (sequitur enuntiatum relativum IIII 203, V 36, VI 17). de vv. 200, 230, 786 valent Braunii verba (p. 25): 'Ich finde im anaphorischen *οὗτος* vielfach eine semotorische Bedeutung, d. h. es entrückt das Object der Sphaere des Redenden, in welche sie durch *ὅ δε* oder *ὁ* eingetreten sind'; cf. etiam Braunii cap. XI et Funk. p. 15, 5). digni, quos attendamus, sunt vv. 711 et 1330, ubi coniunctum cum adverbio *οὕτω* pronomen *ὅδε* legimus: *οὕτω γὰρ Μοῖραι τάδ' ἐπεκλώσαντο*, *καί ῥ' οὕτω τάδε πάντα τελευτήσεσθαι ἔμελλεν*. — *ὅδε* ad superiora refertur (Eb. III B): 62, 470 (*θνηπολίης*), 934, 1143, 1291 (*πότμον*), 1311, 1324 (*ἔργα*). (cf. Call. IIII 291); tribus igitur locis cum substantivo coniungitur. demonstrat sequentia (Eb. II): 942 (cf. *B* 301; 'universe e sequentibus adparet, quid significetur'), 332 (*ὧδε* 541, 1158) (sequitur enuntiatum primarium; cf. Call. III 5, 80, IIII 162, V 96), 476, 690 (sequitur enuntiatum secundarium). apud Callimachum primi quoque generis, quod Ebel. statuit, exempla leguntur: V 56, VI 99; cum substantivis consociatur IIII 151, 244, VI 135; cf. Quint. I 219. — *ἐκεῖνος*, nisi quid me fugit, non legitur. idem valet de Apollonio hac in re Zenodoto obsecuto; cf. Rzach, Gramm. Stud. p. 548. apud Quintum Zimmermanno iudice (p. 19) duobus tantum locis (VIIII 195, XIIII 575) *ἐκεῖνος* retinendum est; *κεῖνος* habemus 802, 907, 1127 (quo in versu vereor ne Wielius eo, quod I 58 pro *κείνοισιν* proposuit *δειλοῖσιν*, poetam ipsum correxerit).

plum locorum velut *B* 22 *Νέστορι, τόν ῥα μάλιστα γερόντων τῖ' Ἀγαμέμνων· | τῷ μιν ἐεισάμενος προσεφώνεε θεῖος ὄνειρος* (cf. *Z* 398) illud *τῷ* pro demonstrativo habere. de v. 546 infra agam. accedo ad v. 762

*αὐτίκα οἱ στέφανος καὶ τεῖχος ἐρυμνὸν*
762 *Αἰήτεω κατέφαινε καὶ ἄλσεα· τοῖς ἔνι κῶας*
*χρύσεον ἠώρητο χαλαζαίῃ ἐπὶ φηγῷ.*

quod ad praepositiones cum pronomine demonstrativo coniunctas adtinet, legimus *αὖ μετὰ τοῖσιν* (146, 192), *τ' ἐπὶ τοῖσι* (756), *ἐν δ' ἄρα τῇσι* (898), *τοῖσι δ' ἄρ' ἐν πάντεσσιν* (806). uno igitur loco, illum dico, quem tractamus, praepositio postposita est; sed haec causa non sufficit ad vim demonstrativam reiciendam; relativum enim praepositio semper sequitur.[1]) apud Homerum quoque raro post demonstrativum anastrophe admittitur (*ζ* 46, *ο* 147, *Λ* 36, *P* 459) et apud Apollonium aequant fere inter se numeri locorum, quibus praepositio praecedit, veluti I 40, 115, 656, quibusque sequitur, veluti I 53, 90, 95; vides igitur, quam difficile sit hanc rem diiudicare.

Venimus ad locos supra commemoratos, ubi particula *ῥα* addita est. in vv. 237 *(τήν ῥα)* et 1070 *(τῇ ῥα)* pronomen demonstrative adhibitum esse propter sententiarum conexum mihi videtur. idem valet de v. 803, si cum Ruhnkenio pro *καί ῥα τότ'* scribimus *(Ἀργώ) τήν ῥα τότ' Αἰήτης ἐσέδρακεν.* et cum verbum *εἰσδέρκομαι* absolute non usurpetur et iis quae sequuntur *(ἐν δ' ἄρα πολλοὺς ἐξείης ἥρωας)* navis mentio exigatur, in Ruhnkenii coniectura quamvis violenta adquiesco. v. 1053 p. 249 de re metrica agens tetigi et dixi aut *τὸν δ' ἄρα* aut *τόν ῥά τε* reponendum mihi videri. quorum hoc magis placet, quod enuntiatum relativum requiri puto ad Sarangem describendum. ceterum non multum interest, num hoc vel illo loco pronomen relativum esse statuatur;[2]) nam saepius formae pro-

---

[1]) 45, 54, 94, 614, 714, 718, 736, 912, 1191. item apud Homerum (Eb. II 87ᵇ III, Otto I, 4 sqq.) exceptis his: *εἰς ὅ κεν, ἐξ οὗ, ἐξ ἧς. ἐξ οὗ* in Argonauticis quoque legitur: 750. eundem morem servarunt Callimachus (cf. II 78, III 138, 206, VI 39, 55, 64), Apollonius (cf. I 286, II 396), Quintus (cf. I 145).

[2]) Eadem dubitatio de nonnullis adverbiis est. 472 Abelius sic interpungit:

*Σιντιακαῖς δ' ὀφρύσσιν ἐκέλσαμεν ὠκύαλον νηῦν*
472 *Λήμνῳ ἐν ἠγαθέῃ· τόθι περ κακὰ ἔργα μεμήλει*
*θηλυτέραις· αἳ γάρ οἱ ἀιστώσαντο συνεύνους.*

meo quidem iudicio comma ponendum est, ita ut aeque atque in v. 628 *τόθι* relative adhibeatur. pluribus locis de significatione adverbii *ἔνθα* agitur. *ἔνθα* saepius — particula *δέ* plerumque addita — demonstrative adhibetur et sensu locali 113, 1268 *(δ')* et translato 499 *(δέ)*, 667 et 1128 *ἔνθα δ' ἀφορμηθέντες*, 722, 1300 (Gesneri coniectura pro *ἐν δ' ἄρ'* scribentis *ἔνθ' ἄρ'* probanda esse videtur; cf. *τ* 50), 1347. relativum est — locis, quos postea commemoraturus sum, omissis — 154, 659, 993, 1375 et ea significatione, ut

nominis *ὁ*, *ἡ*, *τό* pro relativis adhibentur. cum autem formas *ἥ*, *οἵ*, *αἵ*, quae ad utrumque pronomen pertinere possunt, ad *ὅς* referam, *ὅ* — masculinum dico — sensu relativo non legatur,[1]) formae tantum a littera *τ* incipientes tractandae sunt. quae apud Homerum Lammertio teste, cuius librum statim adferam, ita usurpantur, ut aut exigantur ratione metrica aut hiatum licitum tollant, praeterea in initio versus aut post caesuram semiquinariam, septies post caesuram semiternariam *E* 747, *H* 239, *Ω* 449, *ε* 369, *ϑ* 373, *λ* 422, *τ* 82, ter post primum pedem *ϑ* 23, 74, *τ* 393, semel post quartum *χ* 159. apud Callimachum et Apollonium eas metrica ratione non intercedente non inveni nisi in initio versus; cf. Call. III 138, 161, 224, Apoll. I 180, 848. contra in Argonauticis, ubi item plerumque propter rationem metricam positae sunt, sine illa causa non solum in versus initio (188, fortasse 1053), sed semel etiam post caesuram semiquinariam: 734, semel post primum pedem: 159 usurpantur, quod accurata usus homerici observatione explicandum esse duco.

## VIII. De pronominibus et adverbiis relativis.[2])

Pronominis demonstrativi instar nominativus *ὅς* est: 125, 415 (*ὃς δ' ἄρ'*),[3]) quod tricies fere fit apud Homerum; cf. Apoll. IIII 278, 1054,

---

respondeat latino 'quo', usurpatur in v. 1199. num v. 671 ad verba v. 668 *βαϑείῃ κέλσαμεν ἀκτῇ* sat multis interpositis relative referri possit: *ἔνϑα ποτ' αἰνόγαμος Φινεὺς ὑπερήνορι ϑυμῷ | δοιοὺς ἐξαλάωσε γόνους*, sane dubitari potest. melius certe videtur puncto cum omnibus editoribus post v. 670 posito sumere ab *ἔνϑα* enuntiatum primarium incipere. in vv. 378, 493, 746, 1050 recte viri docti — 746 Schenkelius, reliquis locis Hermannus — *ἔνϑα τε*, quod saepius legitur reposuisse videntur pro codicum scripturis *ἐνϑάδε* vel *ἔνϑα δέ*. in v. 493 ante *ἔνϑα τε* comma ponendum esse Sitzler animadvertit. addere mihi liceat locos, ubi formula *ἔνϑα καὶ ἔνϑα* legitur: 315, 365, 559, 926, 981, 996, 1072. *ἔνϑεν* demonstrative tantum adhibetur: 484, 733, 1373 (*δ'*).

[1]) Nisi forte quis Aristarchi praecepti memor (cf. La Roche, Hom. Textkr. p. 326) in v. 169 *ὅ σφιν* scribere mavolt ex cod. R, qui Guttmanno teste *ὅς φιν* exhibet. — apud Homerum *ὅς* 1440ies, *ὅ* 420ies legitur. invenitur *ὅ* pro *ὅς* apud Call. IIII 7, Apoll. I 621, IIII 254, Quint. I 113, rarissime apud tragicos (cf. Kuehner II p. 511 § 460 adn.).

[2]) Cf. E. Windisch, Untersuchungen ueber den Ursprung des Relativpron. in den indogerm. Sprachen in Curtii Stud. z. griech. u. lat. Gramm. II 201 sqq., I. Frenzel, Die Entwickelung d. relat. Satzbaues im Griech., Paderborn. 1889, F. Otto, Beiträge zur Lehre vom Relat. bei Hom. progr. Weilburg. 1859, Wiesbad. 1864, C. Hentze, De pronom. relat. linguae Graecae origine atque usu hom. Gottingae 1863, E. Lammert, De pronom. relat. hom. Lipsiae 1874, R. Roehreke, Ueber d. Gebrauch d. Pron. *ὅς* und *ὅστις* bei Soph. progr. Geestenmuend. 1885, R. Grosser, Der parataktische Uebergang aus d. Relativsatze in den Demonstrativ- oder Hauptsatz. Eph. gymn. Berol. XXXVIII pp. 513—533. commentationes, quae ad adtractionis usum spectant, consulto omisi. ceterum hoc statim loco moneo me in pronomine relativo tractando formas pronominis *ὁ*, *ἡ*, *τό* et *ὅς*, *ἥ*, *ὅ* non distinxisse, sed tantum formas a littera *τ* incipientes asteriscis insignivisse.

[3]) De vv. 299 et 505 infra agam.

Quint. I 245; de Call. V 38 dubitare licet. casus obliqui quinquies hoc modo usurpantur in Odyssia: *δ* 97, *ε* 481, *ξ* 7, *σ* 27, *γ* 408; sextum locum nescio an iure addiderit Ebelingius: *φ* 303 *ἐξ οὗ*, quod explicat ille: 'inde ab eo tempore' (cf. Soph. Oed. R. 1202). exemplum autem, quod unum ex Iliade Lammertius p. 3 non sine dubitatione adfert: *E* 172, cur ita accipiamus esse non videtur. neque Callimachi (cf. III 190, IIII 166, 284) aut Apollonii loci (I 1047, 1307, II 397, IIII 279), qui huc trahi possunt (Schneider omnibus locis, Merkelius primo tantum colon posuit), ita sunt comparati, ut vim demonstrativam statuere cogamur. de Quinto id tantum adfirmare possum me in primo libro talis usus exemplum non invenisse. contra in Argonauticis habemus: *ὃν δή* (389), *οὕς* (518), *οὕς τοι* (522), *ὅν* (752), *ὧν πέρι* (1191). collato Apollonii v. IIII 1054, ubi *ὅς* pro demonstrativo est in enuntiato primario, cui praecedit relativum, dubitari potest, utrum in v. 1225

*αὐτὰρ ἐπεὶ Μήδειαν ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσι*
*λῖτι καλυπτομένην, ἑανῷ δ' ἄμπισχε παρειὰς*
*αἰδομένη· χλωρὸν γὰρ ὑπὸ στέρνοις ἀκάχητο·*
*ἣν τότ' ἐποικτείρουσα προσηύδα καὶ φάτο Κίρκη*

codicum *ἣν* retineri possit an cum Hermanno et Abelio Sanctamandi *τὴν* recipiendum sit. Schneideri *δὴ τότ'*, quod Sitzler denuo proposuit, utique reiciendum esse videtur. quod ad v. 550 adtinet, cum in v. 546 *τῷ* propter *οἱ* pronomen vix esse possit — immo adverbium est — neque illud *ὅν ῥα* pro pronomine accipiemus relativo. itaque carminis ambitu respecto in Argonauticis latius hunc usum casuum obliquorum patere videmus. de scriptoribus atticis cf. Kuehner II § 561, 2 et quos exempli causa addo locos Oedipi Colonei, quibus Dindorfius in lexico Sophocleo eam rem illustrat: 275 *(ἀνθ' ὧν*, cf. 953, 1010), 636, 950, 1032, 1298, 1340. alios locos congessit Roehrekius p. 5 sq. quod ad v. 853 attinet, ubi anacoluthia quadam enuntiati primarii loco esse verba *ὃ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν* supra p. 279 disputavi, illud *ὅ* sensu demonstrativo positum ab Homero non alienum est; cf. *Ψ* 9, *ω* 190 *ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.*

Ad alterum genus, quod Ebelingius (II p. 82[a]) statuit ('pronomen' ait 'non est iuxta nomen . . propius accedit ad relativum . . *α)* nam is, is nempe'), referendus esse videtur locus, qui legitur in vv. 1214 sqq.:

*τοῖς δ' ἄφαρ ὡμάρτησε . . κούρη . . . Αἰήταο,*
*Ἠελίου θυγάτηρ — Κίρκην δέ ἑ κικλήσκουσι*
*μήτηρ Ἀστεροπὴ καὶ τηλεφανὴς Ὑπερίων —*
*ἥ ῥα θοῶς ἐπὶ νῆα κατήλυθεν,*

cum parenthesis illa, quominus enuntiatum re vera relativum statuatur, obstet. simile collocationis exemplum apud alium poetam non inveni.

ceteris locis, si collocationem respicis, Argonauticorum scriptor non differt ab Homero (cf. Ebel. 87ᵇ extr. s. l. c., Otto I 11). 'solet nomen, ad quod refertur pronomen relativum, in fine enuntiati primarii locum obtinere, aliquando interponitur verbum': *170, *184, 219 (cf. Call. III 206, 224, Apoll. I 23, 77, Quint. I 30), saepius adiectivo additur relativum (*μῆνιν . . οὐλομένην, ἣ . . .*): 194, 296 (cf. Ap. I 30, 761, Quint. I 135), nonnumquam a nomine iisque, quae ad id pertinent, pluribus verbis seiungitur: 607, 778, 901, 974, 1121, 1352 (cf. Apoll. I 162, 286, Quint. X 301).[1]

In reliquis quoque rebus explicandis Ebelingii ordinem sequor, ut facilior sit comparatio cum usu homerico, quamquam non ubique rationes probo, quibus usus est in singulis generibus discribendis. correlatio perfecta sat rara est: 40 (*ἄλλα—ἅπερ*[2]), 974 (*ἣ . . . ἥν*; cf. Call. II 106, IIII 203, Ap. I 421, 988, II 195); 936 (*πάνθ' ὅσα*). quod in v. *886 legitur *ἄλλα τε καὶ μάλα πολλά, τά θ' ὕστερον αὖτις ἀκούσῃ* Hermanni coniecturae satis probabili debetur. saepius in enuntiato primario pronomen positum non est, veluti in vv. *578, 852, *871,[3]) in vv. 628 (*τόθι*) et 905 (*ὅσσα*). relativum, cui deest nomen ad quod referatur, est pars enuntiati primarii: *8, 106,[4]) 693 (cf. 864), *775, 851 (*κρίναντες τὸν ἄριστον ἢ ὃς βασιλεύτερός ἐστιν*; cf. ψ 84, Ω 202, Η 401, Call. IIII 168), 35 (*ἠδ' ὅσα*), 49 (*ὅσα*), 334 (*μάκαρες καὶ ὅσοι . . ἀκτὰς ναίεθ'*), 283 (*ὅντινα*), 285 (*ὅ τι*).[5]) porro huc trahendi esse videntur vv. 22 et 1010. nam quocumque modo verba v. 22 *ὀρεσσιδρόμου τε λατρείην | μητρός, ἅ τ' ἐν Κυβέλοις ὄρεσιν μητίσατο*

---

[1]) Sed numquam tot verba intercedunt, ut probabilis fiat Sitzleri coniectura, qui eo offensus, quod inter membra accusativo cum infinitivo, quem vocant, expressa vv. 778—781 et 784 sq. indicativus intercedit, pro *ἣ δ'* proposuit *ἥ ῥ'*. nonne enim haec structurae mutatio, quae sane primo obtutu miros nos habet, ferri potest?

[2]) Praeterea illud *περ* apud alios quoque poetas satis tritum additur: *8, *775, *1227; *472 (*τόθι*), 800 (*ἔνθα*), 859 (*οἷα*), 905 (*ὅσα*), 1130 (*ἔνθα*).

[3]) *ὅς ῥα* ut apud omnes epicos in Argonauticis usitatum est (e. c. 15, 147, *159, *184), *ὅς ῥά τε* codd. exhibent *170, 1121 (cf. Call. III 91, 94, 253; Apoll. I 775, 1122, 1244, Quint. II 478, 560). probabili coniectura Abelius in v. 861 *τε* post *ὅς ῥα* inseruit; de vv. 778 et 1053 supra disputavimus. libenter scriberem *οἵ ῥά τε*, si in v. 1372 codicum scripturam *οἵ τ' ἄρα* offendendi ansam praebere censerem, pro qua Hermannus *οἵ οἱ*, Abelius *οἳ καί* dedit; sed mutandi causam non video. praeterea *τ' ἄρα* habemus in v. 1350 (*ὅσσα τ' ἄρ'*), ubi particula *τε* *ὅσσα* praecedentibus adiungi tenendum est; de usu homerico cf. Ebel. I p. 164, 6 d. et Θ 251 (*τ' ἄρ*).

[4]) Habemus *δή*, quod ut apud Homerum coniungitur cum relativo: 142, 731, 831, 864, 1107; de v. 221 infra disputabimus. loci Apollonii collecti sunt in indice Wellaueriano s. v. *δή* e. g.: I 172, 621, II 210; cf. Quint. I 812, II 589. apud Callimachum, nisi quid in Schneideri indice omissum est, relativo *δή* non additur.

[5]) Notandum est pronomen *ὅστις* semper — legitur praeterea 662 et 1324 (ubi *ὅτις* Gesnerus probabiliter restituit pro eo quod est in libris *ὅστις*) — ad genus referri, ut respondeat latino 'quicumque', non ad unam rem; apud Homerum de paucis locis dubitatur. e Callimacho Aulinius p. 72 adfert II 23, IIII 156, 229, VI 47.

κούρην | Περσεφόνην περὶ πατρὸς ἀμαιμακέτου Κρονίωνος· explicanda aut corrigenda sunt — Wielius I 35, ut structurae impeditissimae μητίεσθαί τί τινα περί τινος mederetur, initio proximi versus μηχανόωσα reponere voluit; Schenkelio in mentem venit: κούρῃ Περσεφόνῃ — restat certe enuntiatum relativum pari iure coniunctum cum substantivis, quae antecedunt et sequuntur. de v. *1010 θῆράς τ' οἰωνούς τε, τά τε ζώει τε καὶ ἕρπει adsentior Schneidero poetam, cum dicere vellet καὶ ζῷα, ἃ ἕρπει, simili modo atque auctorem hymni in Cererem 366 haud apte usum esse loco homerico P 447 οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν διζυρώτερον ἀνδρὸς | πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει. qua in re discrepat Argonauticorum scriptor ab Homero, qui numquam enuntiata relativa cum nominibus particula τε coniungit (cf. Ebel. s. v. ὅστε I B p. 91), sed adhibet καὶ vel ἠδέ (cf. Arg. 35, 334, 391). apud Apollonium fortuito unum locum I 21 (πόρους ἁλός, ὅσσα τ' ἔρεξαν), apud Callimachum et Nicandrum talem particulae τε usum non inveni. ceterum ὅς τε satis frequenter apud eos legitur; cf. Call. I 51, III 16, 133, 140, IIII 229, VI 8, Apoll. I 799, 803, 1027, II 5, 26, 498, III 868, 892, IIII 133, 628, 829, 1376, Nic. Ther. 68, 283, 568, 672, Quint. I 169, 207, 249. in Argonauticis, ut id hoc loco absolvam, ὅς τε occurrit 311, 660 (ubi sine dubio ante oculos erat Apollonii locus de eadem re conscriptus II 5 ὅς τ' ἐπὶ καὶ ξείνοισιν ἀεικέα θεσμὸν ἔθηκεν), 901.[1]) in v. 607 pro eo quod est in libris ὥς κε scribendum esse ὅς τε Schenkelius me edocuit; Hermannus et Abelius ὅς ῥα scribunt. praeterea addas vv. 846, de quo ab Hermanno emendato supra verba fecimus, et 425, quem sic scribit Wielius III 4 ὥς θ' ἅτ' ἔφυσεν ἅπαντα, διέκριθεν ἄλλο πρὸς ἄλλον; codd. habent ὅσσα τ' ἔφυσεν ἅπαντα διέκριθεν δ' ἄλλο (vel ἄλλον) ἀπ' ἄλλου.[2]) qua coniectura simul aliud infertur, quod satis rarum est, correlationem inversam dico, cuius unum exemplum habemus codicum auctoritate firmatum in v. 350 ὃς δέ κε συνθεσίας δηλήσεται οὐκ ἀλεγίζων | ὅρκον ὑπερβασίῃ, τούτου δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων. satis frequens haec enuntiati relativi forma apud Callimachum est; cf. II 10, 26, 40, V 35, 131, VI 138. denique significationem 'talis, qualis', quae apud Homerum invenitur, praebet v. 831 ἔργ' ἄδικ' ἀνθρώπων, ἃ δὴ πολέες μεμάασιν | τετλάμεν ἐν βιοτῇ κέρδους ἕνεκα σφετέροιο, cf. Apoll. I 479 ἄλλοι

---

[1]) Ἔνθα τε traditur 236, 749 et coniectura restitutum est quattuor locis, quos p. 299 n. 2 tractavi. ἧχί τε habemus 744. omnino de ὅςτε cf. praeter Ottonem II 21 sqq., 25 sq. G. Christium in Sitz.-Ber. d. bayer. Akad., phil.-hist. Cl., a. 1880 p. 50 sqq. ('Der Gebrauch d. griech. Partikel τέ').

[2]) Guttmanno teste R exhibet διέκριθεν ἄλλο; quod si verum est, illud δ', cui, si bonorum codicum consensu traderetur, aliquid tribuendum esset, non obstat Wielii coniecturae. ceterum nescio an propius accedamus ad codicum memoriam scribendo: ὡς ἅτ' ἔφυσεν, ita ut prolepsis statuatur vocis Ἔρωτα.

μῦθοι ἔασι παρηγόροι, οἷσί περ ἀνὴρ θαρσύνοι ἕταρον, Quint. I 93 ὑπέσχετο ἔργον, ὃ οὔποτε θνητὸς ἐώλπει, denique locos Sophocleos, quos congessit Roehrekius p. 8, n. 4.[1])

Iam transeamus ad alterum genus enuntiatorum relativorum, in quo non fit correlatio. aeque atque apud Homerum pronomen additur nominibus propriis veluti 15, *135, 147,[2]) *159, 164, *170, 175, 219,[3]) *714, *1294, explicatur eo, quare quid sit aut esse putetur aut fiat: 88, 289, 296, fit descriptio: 20, 45, 271, *322, 912, novi quid additur, ut fiat narratio: 67, 607, 614, 778. huius generis exempla adtendenda sunt, si dubitabimus, utrum enuntiatum aliquod pro primario an pro relativo habeamus. atque idem tenendum erit in tractandis locis, quibus plura relativa se excipiunt. pauca dicam de iis relativis, quae alterum alteri subiunguntur: 67 sq., 660 sqq. (ὥστε — ὅστις), 718 sq., 749 sqq. (ἔνθα . . ἐξ οὗ), 778 sq. exempla homerica nonnulla composuerunt Otto I p. 11 sq. et Ebel. II 88[a] init. d.; cf. Apoll. I 126, 643, Call. V 37.

Venimus ad relativa, quae alterum alteri pari ordine adiunguntur copula non addita, quod homericum non esse credat aliquis fide habita Kruegeri verbis II 51, 12: ‘Die Verbindung mehrerer Relativa ohne Copula ist dem Homer noch fremd’. sed haec falsissima esse adparet e locis ab Ebelingio l. c. sub litt. e, ab Ottone I, 14 sqq. congestis.

In Argonauticis haec exempla leguntur:

218 sqq. *διοσὸν δ' αὖ Βορέου καλὸν σταχὺν εἰσενόησα*
*οὓς τέκ' Ἐρεχθῆος κούρη κλυτὴ Ὠρείθυια*
*Ἰλισσοῦ παρὰ χεῦμα θεοῦ φιλότητι μιγεῖσα,*
*οἳ δὴ καὶ ταρσοῖσιν ὑποναταίοις πεπότηντο,*
*Ζήτης καὶ Κάλαϊς, δέμας εἴκελοι ἀθανάτοισιν.*

nam cur οἳ δή demonstrative positum esse sumamus — Hermannus et Abelius colon ante haec verba posuerunt — causam non video.

---

[1]) Οἷος uno tantum loco 859, quem postea tangam, legi satis memorabile est.

[2]) Habemus relativum altero enuntiati loco — item 159, 164, 1034, 1252 (ex probabili Hermanni coniectura), 1057 (hoc loco legitur adv. οὗ) — quod rarissime apud Homerum inveniri Ebelingius adnotat 87[b] III b. in Apollonii quidem libro primo unum inveni exemplum, quod v. 147 simillimum est: I 398 Ἀγκαίῳ, Τεγέης ὃς ῥα πτολίεθρον ἔναιεν; cf. Call. V 37. contra genetivus partitivus saepe collocatus est ante relativum apud Homerum (cf. Ameisii appendicem ad ε 448, Otto I p. 10). quare nescio an in v. 661 sic interpungendum sit: ὅς τε Πανομφαίου Ζηνὸς θέμιν οὐκ ἀλεγίζων | ἆθλον ἐπὶ ξείνοισι, περικτιόνων ἀνθρώπων | ὅστις ἐπὶ σταθμοὺς ἠδ' ἀστεμφῆ δόμον ἵξοι (θήκατο) ‘qui iure divino neglecto advenis, quicumque finitimorum ad domum eius venerat, certamen imponebat’. nam quid sibi vult ξένοι περικτιόνων ἀνθρώπων?

[3]) Constructio ad sensum extat: 219 Βορέου σταχύν, οὕς; simili modo 731 Παρθενίοιο ῥέεθρα, ὅν. cf. Π 369 λαόν, οὕς, ψ 121 ἕρμα πόληος, οἳ μέγ' ἄριστοι, Χ 87 φίλον θάλος, ὃν τέκεν αὐτή et locos Nicandreos, quos O. Schneider collegit ad Ther. 201.

296 *ἀλλ᾽ οὐ πεῖθον ἄνακτα πεπνυμένον, ὅς ῥά οἱ ἤδη*
*Ἥρης ἐννεσίῃσι τετιμένον Αἴσονος υἱόν,*
*ὡς δή οἱ κλέος ἐσθλὸν ἐπ᾽ ἐσσομένοισιν ὄπαζεν,*
*ὅς ῥά οἱ αὐτὸς ἔνισπεν Ἰήσονα κοίρανον εἶναι.*
501 *ἐπήλυθε Κύζικος ἥρως,*
*ὃς Δολιέων ἤνασσε περικτιόνων ἀνθρώπων*
*Αἰνῆος φίλος υἱός, ὃν οἱ τέκε δῖα γυναικῶν*
*Εὐσώρου θυγάτηρ, Αἰνήτη καλλιπάρῃος,*
*ὅς ῥα φιλοξενίῃ Μινύας ἐγέρηρεν ἅπαντας κτλ.*

pertinent vv. 299 et 505 ad illud genus, quod Windischius (p. 416) significat hoc nomine: 'nicht nothwendige Relativsaetze'. necessaria sane talia non sunt, sed subiungi possunt, velut in vv. 607 et 719, ubi Abelius comma retinuit. cf. praeterea vv. 730 sqq. et 749 sqq. (quo loco modo *ἔνθα*, modo *οὗ* legitur). quod ad v. 381 adtinet:

*ἔνθα τε Χείρων*
*ναίει ἐνὶ σπήλυγγι δικαιότατος Κενταύρων,*
*οὗ τράφεν ἂν Φολόην Πίνδου τ᾽ αἰπεινὰ κάρηνα,*
*ὅς ῥα δικασπολίῃ γάνυται καὶ ἀκέσμασι νούσων,*

ubi enuntiatum relativum a nomine disiungitur altero eiusmodi enuntiato, mihi non contigit, ut simile quid apud ceteros poetas invenirem.

His de relativis, quae inter se excipiunt, expositis ad Ebelingii ordinem reversi rem absolvamus. coniungitur relativum cum altera verbi persona 2, 289; 334 *(ὅσοι)*; cf. Quint. I 583. omittitur verbum *εἶναι*: 775; 748, 751 (adv. *οὗ*); 744 *(ἧχι)*; 467, 749 *(ἔνθα)*; cf. Apoll. I 284 (?), 822, Call. IIII 203, 293, VI 117. inseritur pronomen in alias partes sententiae: 169, 289, 779, 852; 662 *(ὅστις)*; 467 *(ἔνθα)* et innectuntur enuntiato relativo quae ad primarium pertinent: 824 *Κόλχοι, οἳ καὶ Ἄρηι δορυσσόῳ εἰσὶν ἀτειρεῖς | ἐς μόθον ἱεμένοις εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι*, 901 *τηλῶπις ἄνασσα ἱστάνει αἰθύσσουσα πυρὸς σέλας, ἥν τέ νυ Κόλχοι Ἄρτεμιν ἐμπυλίην . . . ἱλάσκονται | δεινὴν ἀνθρώποισιν ἰδεῖν.* cf. 502 sq., 927; 285 *(ὅ τι)*. huc refero v. 221 sq., quos supra exscripsi; cf. Apoll. I 163, 733, Call. IIII 156. cum his cohaeret adtractio, quam vocant, inversa (cf. Ebel. 88ᵃ i), cuius exemplum extat in v. 391 *ἴδωμεν | ἕξιν παιδὸς ἐμοῖο καὶ ἤθεσιν οἷσι κέκασται.*

Pronomen casum nominis adsumere, quod perpaucis locis homericis statui potest, Gesner putavit in v. 101 *ἅλις ἔπλετο μόχθων, | ὧν ἱκόμην ἐπὶ γαῖαν ἀπείριτον ἠδὲ πόληας | Αἰγύπτῳ Λιβύῃ τε βροτοῖς ἀνὰ θέσφατα φαίνων.* sed meo quidem iudicio nullus pronominis relativi casus in hoc enuntiato cum *ἱκόμην* coniungi potest — ne *οἷς* quidem vel *ξὺν οἷς*, quod requiri Gesner dicit — neque igitur pro casu, qui non est, genetivus poni. quare *ὧν*, quod omnes editores retinuerunt, corruptum esse censeo et cum

Slothouwero scribo ὥς, quod Herwerdenus (l. s. c.) coniecturae illius ignarus commendavit.

Quoniam de particulis, quae pronominibus relativis adduntur et de collocatione egimus et una reliqua pronomina relativa (ὅστις, οἷος, ὅσος) et adverbia (ἔνθα, ἧχι, οὗ, τόθι) tractavimus,[1]) modis antea absolutis nihil restat nisi ut transitum, qui fit ad demonstrativa, adtingamus, priusquam disputemus, num relativum inveniatur in quaestionibus indirectis. transitus autem ille particula δέ significatur: 69, 142, 719, 1076.

Ut in unum comprehendam quae de pronominibus demonstrativis et relativis disputavi, vides Argonauticorum scriptorem fines usus homerici fere explevisse; multo rarius inveniri ea pronomina quam apud Homerum carminis ambitu respecto nos miros non habebit. memorabile est αὐτὰρ ὅ et ὅ pro ὅς usurpatum non legi. contra extra fines illos excessit poeta in usu demonstrativo casuum obliquorum pronominis relativi et enuntiatis relativis cum nominibus particula τε coniunctis. propter collocationem singulares esse videntur vv. 381, 1218 simulque notandum est saepius relativum altero poni enuntiati loco.

## IX. De enuntiatorum relativorum et interrogativorum confinio.[2])

Inveniuntur nonnumquam pronomina relativa in quaestionibus, quae ab altero enuntiato dependent. qui usus cum inde ab Homero apud scriptores inveniatur, non accuratius eam rem persequerer, nisi Kuehner II § 562, 4 praefracte negasset relativum usquam re vera pro pronomine interrogativo positum esse. Hentzius olim (l. c. p. 27 sqq.) vim principalem pronominis ὅς, ἥ, ὅ interrogativam fuisse contenderat, quam sententiam postea (cf. append. edit. Ameis. ad *H* 171) a Windischio et Curtio de iis, quae linguarum comparatione evincuntur, edoctus abiecit. sed inde, quod ea non erat vis principalis, non sequitur numquam factum esse, ut falsa quam dicunt analogia[3]) simplex pronomen relativum in interrogationibus indirectis pro relativis, ut ita dicam, compositis, quae ibi locum obtine-

---

[1]) Id unum addam valde mihi adridere Ludwichii coniecturam (Ann. phil. CXXXV p. 648), qui in v. 1184 pro codd. scriptura οὐ δή τις ἐσαῦθις ἀναπλεύσεσθαι ὄλεθρον ἤλπετο proposuit: οὐδ' ἦν τις, ὅς αὖτις κτλ. Hermannus et Abelius scribunt οὐδ' ἄρ τις ἔτ' αὖτις.

[2]) Cf. C. Burchardi, Ueber d. Gebr. des Pron. οἷος bei Hom. progr. Duderstad. 1881, E. Goebel, De interrogativorum relativorumque enunt. confinio apud Herod. progr. Fuld. 1864, P. Polack, De enunt. interrog. apud Antiphontem et Andocidem usu. Halae 1886, p. 64 sq. cf. addenda.

[3]) Cf. quae G. Deeckius in progr. Buchsweiler. a. 1887, cui libello inscripsit: 'Die griech. und lat. Nebensätze auf wissenschaftl. Grundlage neu geordnet' ait p. 33: 'Die Verwendung des blossen Relativs im indirecten Fragesatz, die bisweilen, besonders dichterisch vorkommt, beruht auf einer Verwechslung mit dem Relativsatz'.

bant, usurparetur, veluti *ὅς* pro *ὅστις*, *οἷος* pro *ὁποῖος* e. s. quam ad rem diiudicandam singuli scriptorum loci examinandi sunt.

Incipiamus igitur ab Homero et omissis locis, quibus condicionalem potius sensum relativum praebet, ut respondeat latino: 'si quis, sive quis', veluti *B* 365, *Ψ* 498, *χ* 66[1]), et loco Υ 21 *(ἔγνως ἐμὴν βουλήν, ὧν ἕνεκα ξυνάγειρα)*, ubi pluralis pronominis relativi constructione ad sensum quam vocant explicandus esse videtur, consideremus talia:

ϑ 576 *ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον,*
*ὅππῃ ἀπεπλάγχϑης τε καὶ ἅς τινας ἵκεο χώρας*
*ἀνϑρώπων, αὐτούς τε πόλιάς τ' εὖ ναιετοώσας*
*ἠμὲν ὅσοι χαλεποί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,*
*οἵ τε φιλόξεινοι καί σφι νόος ἐστὶ ϑεουδής.*

propter membra, quae praecedunt, dubium non esse videtur, quin *οἵ τε* sensu interrogativo accipiendum sit. quod autem Ameisius confert *τ* 219 *εἰπέ μοι, ὁποῖ' ἄσσα .. εἵματα ἕστο, αὐτός ϑ' οἷος ἔην καὶ ἑταίρους, οἵ οἱ ἕποντο*, quem locum fortasse usu interrogativo explicandum esse Windischius (l. c. p. 211 n. 3) concedit, ego hunc sic verto: 'et dic amicos, qui eum secuti sunt.' sic enim Latini quoque dicere possunt; cf. exemplum a Kuehnero allatum: Cic. Cat. M. 4, 12 'nihil admirabilius est quam quo modo mortem filii tulit' i. e. quam modus quo tulit. et Verg. Aen. VI 614 'ne quaere doceri, | quam poenam aut quae forma viros fortunave mersit'.

*N* 278[2]) *ἔνϑα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν,*
*ἔνϑ' ὅ τε δειλὸς ἀνήρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνϑη.*
*Φ* 609 *(οὐ δ' ἄρα .. ἔτλαν) γνώμεναι, ὅς τε πεφεύγοι*
*ὅς τ' ἔϑαν' ἐν πολέμῳ*; cf. *γ* 185, *ϱ* 363.

cognoscunt Troiani et eos, qui mortem fugerunt, et eos, qui mortui sunt; sed cogituri sunt, qui fugerint quique mortui sint.[3])

*H* 171 *κλήρῳ πεπάλασϑε, ὅς κε λάχῃσι* collato *ι* 331 *κλήρῳ πεπαλάσϑαι ἄνωγον, ὅστις τολμήσειεν* sic explicare malo: 'sorte decernere, cui obtingat' quam hoc modo interpretari: 'sorte indicare eum, cui obtingit.'

*π* 317 *ἀλλ' ἦ τοί σε γυναῖκας ἐγὼ δεδάασϑαι ἄνωγα,*
*αἵ τέ σ' ἀτιμάζουσι καὶ αἳ νηλείτιδές εἰσιν.*

---

1) Quem locum Ebelingius non ita exhibere debebat: *ὑμῖν παράκειται, ὅς κεν ἀλύξῃ*; nam puto aliquid ad rem faciunt quae intercedunt: *παράκειται ἐναντίον ἠὲ μάχεσϑαι ἢ φεύγειν, ὅς κεν ...*

2) Ebelingius (II 85ᵃ c) hunc locum non adtulit.

3) Lammertii interpretationes (p. 11) non refutabo, sed eas hic adscripsisse satis habeo: 'und zu erkunden "den einen und den andern", der da ist entflohen, der da im Kampfe gefallen'. 'Da wird offenbar der eine und der andere, der da ist ein Feigling, der da ein tapferer Mann'.

hoc loco inspecto bene intellegas, quam facile enuntiatum relativum in interrogativum abire potuerit. quod Windischius dicit: 'Uebrigens steht im regierenden Satz ein Verbum des Wissens oder Nennens, nie z. B. ein Verbum des Fragens, und nach einem solchen kann der bestimmter auftretende Relativsatz gar nicht auffallend sein', unum habemus locum, ubi interrogandi verbum praecedit: *κ* 110 *ἔκ τ' ἐρέοντο | ὅςτις τῶνδ' εἴη βασιλεὺς καὶ οἷσιν ἀνάσσοι.* sed is locus valde dubius est. Aristarchus scripsit *τοῖσιν* (cf. schol. *Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ τ καὶ τοῖσιν ἀνάσσοι ἀντὶ τοῦ τίνων).* quae lectio si vera est, illud *τοῖσιν* pro pronomine interrogativo — *τέοισιν* reposuerunt Duentzer et Nauckius — accipiendum esse pro certo habeo; cf. *ζ* 119. versus *δ* 740, quo loco *ὅς* in interrogatione adhibitum esse Lammertius statuit p. 20, explicatio quam maxime dubia est; qua de re cf. Hentzii appendicem.

E lyricis unus locus praesto est Solon. 13, 65 sq. *οὐδέ τις οἶδεν, ᾗ μέλλει σχήσειν.* in Theogn. 586, ubi idem versus redit, cod. A *πῇ*, reliqui *ποῖ* exhibent. mihi quidem iure Bergkius in Solonis fragmento retinuisse videtur *ᾗ*. quod ad tragicos adtinet, ut Aeschylum (cf. Prom. 914, 995, Ag. 416, 1048) et Euripidem (Alc. 651, Iph. T. 755, Med. 1106) missos faciam, e Sophocle nonnullos locos Kuehner adtulit, alios adfert Wolffius ad Ant. 542 *ὧν τοὔργον Ἅιδης χοἱ κάτω ξυνίστορες.* quem locum Kuehnerum secutus sic explicet aliquis: 'sie sind Mitwisser derjenigen, denen die That zugehört'; Goebelius p. 28 *τούτοις* mente intellegendum esse putat. sed ad Ismenae verba *οὐκ αἰσχύνομαι ξύμπλουν ἐμαυτὴν τοῦ πάθους ποιουμένη* non decebat respondere: sie sind Mitwisser etc., sed hoc: 'sie wissen mit, wer es gethan.' contra neque Oed. Col. vv. 1274 et 1291 in hunc numerum referam neque in Oed. R. v. 1068 *μήποτε γνοίης, ὃς εἶ* (cf. Arist. Ach. 442) suppleri posse negem *σὲ τοῦτον ὄντα, ὃς εἶ,* coll. Oed. C. 556 *δηλοῦτον ἡμῖν ὄνθ' ὃς εἶ.* iam accedamus ad Ai. 1259 *οὐ μαθών, ὃς εἶ φύσιν* et Oed. Col. 1171 *ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ', ὅς ἐσθ' ὁ προστάτης,* ubi *ὅς* significationem pronominis *οἷος* induere Kuehner contendit.[1]) concedamus eandem in pronomine significationem inesse atque in latino 'qualis': nonne *οἷος* ipsum talibus locis — quos statim multos adferam — pronominis interrogativi potius quam relativi vices gerit?[2]) ita *οἷος* et *ὅσος* inde ab Homero usurpantur,

---

[1]) Qui haec ait l. c.: 'Keineswegs hat es alsdann die Bedeutung der Interrogativa, sondern die des relativen *οἷος*.' eadem fere habet Bernhardy, Wissensch. Synt. d. griech. Sprache, p. 291: 'Erwaehnung verdient der classische Gebrauch, der gewoehnlich auf Verwandtschaft mit *τίς* gedeutet wird, da doch der Sinn eher an *οἷος* grenzt'. plura exempla dabunt Goebelius p. 31 et Roehrekius p. 12.

[2]) Quod quodam modo Kuehner sentire videtur, qui nonnullis locis tractatis sic pergit: 'Mit Ausnahme dieses Gebrauches wird das Relativ nirgends in abhaengigen Fragesaetzen gebraucht'. Goebelium secum non constare (cf. p. 31 et 34) Karlowa (p. 15) monet,

velut *B* 192 *οὐ γάρ πω σάφα οἶσθ' οἷος νόος Ἀτρείωνος*, *Γ* 53, *E* 222, *H* 227, *Λ* 653, *N* 275, *δ* 689 *οὐδὲ . . . ἀκούετε . . οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε*, *ο* 20, *τ* 218, *υ* 237, *ψ* 175; *κ* 45 *θᾶσσον ἰδώμεθα, ὅττι τάδ' ἐστίν*, | *ὅσσος τις χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἀσκῷ ἔνεστιν.* adde Hes. Theog. 651 *μνησάμενοι φιλότητος ἐνηέος, ὅσσα παθόντες* | *ἐς φάος ἀφίκεσθε*, Pindar. Pyth. II 72 *οἷος ἐσσὶ μαθών*; cf. I 47, III 60, VIIII 113, Soph. Ant. 693 *ἐμοὶ δ' ἀκούειν ἔσθ' ὑπὸ σκότου τάδε*, | *τὴν παῖδα ταύτην οἷ' ὀδύρεται πόλις*; cf. Oed. Col. 1013. neque apud scriptores prosaicos desunt exempla relativi ita usurpati. Herodoti sat multos locos Steinius collegit[1]) ad I 56 *ἐφρόντιζε ἱστορέων, τοὺς ἂν προσκτήσαιτο φίλους*, quae verba Kuehner mirum in modum explicat: diejenigen, welche. similem explicationem haud scio an adhibeat loco, qui legitur III 51 *ἱστορέων . . τὰ διελέχθη . .* sed ita profecto explicari nequit VI 124 *ὃς μέντοι ἦν ὁ ἀναδέξας, οὐκ ἔχω προσοτέρω εἰπεῖν τούτων*, ubi nullo pacto suppleri potest *τοῦτον*; cf. VII 37, 11 *εἴρετο τοὺς μάγους, τὸ ἐθέλοι προφαίνειν τὸ φάσμα*, ubi modo ipso docemur enuntiatum esse interrogativum.[2]) adde de usu vocis *ὅσος* I 193 *(ὅσον τε δένδρον γίνεται, ἐξεπιστάμενος)*, VII 60, de *οἷος* VII 10 *θ*; 175. e Thucydide adferuntur haec exempla[3]): I 137, 2 *φράζει τῷ ναυκλήρῳ ὅστις ἐστὶ καὶ δι' ἃ φεύγει*, ubi sententiam relativam statui posse arbitror; recte enim, quamquam Polackius contrarium contendit, Kuehner hunc locum explicat: 'ostendit quis esset et causas fugae'. idem I 136, 4 *δηλοῖ τε* (sc. Themistocles Admeto) *ὅς ἐστι* vertit: 'qui sit'. sed cum Molossorum rex advenam non novisset, dicendum illi erat, quis, non qualis esset (cf. Elmsleii notam ad Eur. Med. 1086), V 9, 2 *τὴν δὲ ἐπιχείρησιν, ᾧ τρόπῳ διανοοῦμαι ποιεῖσθαι, διδάξω*, quod collato Ciceronis loco, quem supra adduximus, satis artificiose cum Kuehnero explicari potest: *τρόπον διδάξω, ᾧ διανοοῦμαι ποιεῖσθαι.* his adiungam Xenophontis locos Cyr. IIII 5, 29 *σκέψαι, οἵῳ ὄντι περὶ σέ οἷος ὢν περὶ ἐμὲ ἔπειτα μοι μέμφῃ.* VI, 1, 46 *πέμπει πρὸς τὸν Κῦρον εἰπὼν ὃς ἦν*, Comm. II 6, 29 *μὴ ἀποκρύπτου με, οἷς ἂν βούλοιο φίλος γενέσθαι*, Hist. graec. III 2, 9 *οὐκ εἶπεν, ἣν ἔχοι γνώμην.* quod ad

---

neque Frenzelio (cf. p. 50, 66, 69) melius res cessit. de singulorum locorum herodoteorum, quos tangam, explicationibus ab illis prolatis longus esse nolo.

[1]) I 89, 1; 93, 10, II 2, 7; 82, 2; 121 *β* 16; 134, 17, III 50, 12; 68, 2, IIII 53, 17, V 74, 5, VI 37, 10; 129, 3; 132, 5, VII 26, 6; 148, 10, VIII 26, 4; 40, 6, VIIII 54, 9; 71, 12. numeris tertio loco positis significantur versus editionis Steinianae commentario vernaculo instructae.

[2]) Quae enim Schmittius p. 72 habet de optativo ex enuntiatis relativis in declarativa translato, valde dubia sunt et, ut de Homero valeant, ad posteriores scriptores non pertinent. omnino Schm. quaestionem difficillimam in transcursu (cf. p. 14) diiudicare non debebat talibus locis adlatis, quos pro sua quisque sententia interpretatur.

[3]) Essenii indice Thucydideo (Berolini 1887) uti supersedi.

Platonem adtinet, locus, quem Madvigius[1]) adfert: Tim. 67 b. *δι' ἃς αἰτίας τὰ περὶ αὐτὸ ξυμβαίνει παθήματα, λεκτέον*, ita explicari potest, ut enuntiato relativo substantivum, ad quod referendum erat, interpositum esse sumamus: *λεκτέον αἰτίας, δι' ἃς* . . . num autem iure Stallbaumius et Kuehner Menonis locum: 80 c *περὶ ἀρετῆς ὅ ἐστιν ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα* explicent ita, ut *τοῦτο* ante *ὅ ἐστιν* intellegant, dubitare licet coll. Rep. V 504 a *συνεβιβάζομεν δικαιοσύνης τε πέρι καὶ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας, ὃ ἕκαστον εἴη*. iam iis quae modo disputavimus dubitatio eximi videtur de Phaedr. 271 b *διδάσκων, οἷα οὖσα ὑφ' οἵων λόγων δι' ἣν αἰτίαν ἡ μὲν πείθεται, ἡ δὲ ἀπειθεῖ*. cf. Men. 92 c, ubi verba *τούτους γοῦν οἶδα οἵ εἰσιν* paulo infra sequuntur haec: *τούτους ἐζητοῦμεν τίνες εἰσί*, praeterea Euthyphr. 10 a *καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα μανθάνεις, ὅτι ἕτερα ἀλλήλων ἐστὶ καὶ ᾗ ἕτερα*, Rep. VII 522 d. *οὐδ' ὅσους πόδας εἶχεν εἰδότος*, VIII 569 b *γνώσεται, οἷος οἷον θρέμμα γεννῶν ἠσπάζετο*, Menex. 244 b, Conv. 195 a, Phaedr. 238 b, 271 c. ex oratoribus haec habeo: Dem. III 2 *περὶ τοῦ τίνα τιμωρήσεταί τις καὶ ὃν τρόπον ἐξέσται σκοπεῖν*, IIII 33 *ἃ μὲν οὖν χρήσεται καὶ πότε τῇ δυνάμει . . . βουλεύσεται*, XVIII 98 *ὑπὲρ οἷα πεποιηκότων ἀνθρώπων κινδυνεύσετε, λογισάμενοι*, XVIIII 44 *καὶ ἀκριβῶς εἰδώς, ὅτι ψεύδεται — καὶ ὅθεν φράσω πρὸς ὑμᾶς*, 61 *ἵν' εἰδῆτε, οἵων ὑπαρχόντων αὐτοῖς παρ' ὑμῶν οἵων ἔτυχον*; cf. IIII 3; 9, XXIIII 39, Isocr. XII 44. Antiph. V 10: *ἔλασσον ἔνειμαν τῷ τεθνηκότι· οὗ δ' ἕνεκα, γνώσεσθε*, Andoc. I 117 *ἐγὼ δὲ ὑμῖν διηγήσομαι, ὧν ὑπ' αὐτοῦ ἕνεκα ἐπεβουλεύθην*, 134 *γνόντες τὸ πρᾶγμα οἷον εἴη*, II 17 *ὁρᾶν δὲ χρή, ὅσῳ τὰ τοιαῦτα τῶν ὑπουργημάτων διαφέρει*.[2]) (Lys.) II 72 *νεώτεροι* . . *ἢ ὥστε εἰδέναι, οἵων πατέρων ἐστέρηνται*; cf. XIII 62. in Aeschinis loco III 94: *τοὺς ἐκ τῶν πόλεων τούτων συνέδρους* . . *ἀνέστησαν, πάλιν δὲ εἰς Χαλκίδα συνήγαγον. ὃν δὲ τρόπον καὶ δι' οἵων κακουργημάτων, ταῦτ' ἤδη ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι* Kuehneri explicatio, quam in Timaei loco tractando admisimus, sane artificiosior esse videtur. ne vero posterioris aetatis exempla desiderentur, addam Aristotelis locum poet. c. 11 (1452ª 26) *δηλώσας ὃς ἦν*; cf. praeterea Kaelker de eloc. Polyb. p. 249. apud Apollonium uno loco excepto, quem ut dubium infra adferam, relativum ipsum hoc modo usurpatum non inveni, sed leguntur *οἷος* et *ὅσος*: II 762 sqq. *οὔνομ' ἑκάστου | σφωιτέρων μυθεῖθ' ἑτάρων, Πελίαό τ' ἐφετμάς, | ἠδ' ὡς Λημνιάδεσσιν ἐπιξεινοῦντο γυναιξίν, | ὅσσα τε Κύζικον ἀμφὶ Δολιονίην ἐτέλεσσαν*; cf. II 58, IIII 733, III 1161 *ὑγρὰ δ' ἐν βλεφάροις ἔχεν ὄμματα πορφύρουσα, | οἷον ἑῇ κακὸν ἔργον ἐπιξυνώσατο βουλῇ*, IIII 475 *ἴδεν, οἷον ἔρεξαν*, cf. IIII 784, 1499, 1590. e Callimacho conferri possunt: V 123 *γνωσεῖται δ' ὄρνιχας, ὃς αἴσιος οἵ τε πέτονται | ἤλιθα*

---

[1]) Griech. Syntax ed. II. a. 1884, § 198 b.

[2]) Plures Antiphontis et Andocidis locos dabit Polackius; cf. etiam Karlowa p. 15 sqq.

*καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες*, e. 2, 2 *ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι | ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν*; cf. fr. 445. e Quinto Koechly de membris interrogativis agens (p. LXXXXI) talia non adfert, p. 84 autem inter membra relativa habet VI 310 *ταῦτα μὲν ἀθανάτων ἐν γούνασιν ἐστήρικται, | ὅστε θάνῃ κατὰ δῆριν ὑπέρβιον ἠὲ σαωθῇ*; cf. I 559, 588, 711, II 94.

His igitur exemplis id effici mihi videtur, ut negari nequeat pronomen relativum in interrogationibus indirectis adhibitum esse.[1]) concedo quidem Kuehnero (ut Karlowa p. 16 et Polackius) cautione quadam opus esse in hoc usu statuendo. sunt enim loci, quibus Graecis correlatio adesse videbatur, nos autem latinorum ratione adsueti ('durch die lateinische Brille' recte dicit Windischius), non quod ait Goebelius p. 27 'vernaculae linguae consuetudinem Graecis quoque subdere natura perducti' interrogationem subesse putamus; cf. *Λ* 658 *οὐδέ τις οἶδεν | πένθεος, ὅσσον ὄρωρε.*[2]) Thucydidis locum I 137 supra tetigimus. atque eiusmodi est, quod in Arg. v. 1333 legitur: *Ἥρῃ . . φάτο καὶ κατένευσε — τά οἱ μήτιον ἄνακτες.* quod fit in primis, si substantivum enuntiato relativo interponitur;[3]) cf. *π* 92 *ἀκούοντος . . . οἷά φατε μνηστῆρας ἀτάσθαλα μηχανάασθαι* i. e. *ἀκούοντος ἀτάσθαλα, οἷά φατε κτλ.*, *Ν* 449, *Ψ* 589, *α* 298, *ι* 348, Soph. Phil. 939 *ἀνακλάομαι . . . οἷ' ἔργ' ὁ παῖς μ' ἔδρασεν.* de Plat. Tim. 67 a egimus. ex Argonauticis huc referam v. 34 *ἀμφὶ δὲ μαντείης ἑδάης πολυπείρονας οἴμους | θηρῶν τ' οἰωνῶν τε, καὶ ᾗ σπλάγχνων θέσις ἐστίν.* sed fieri profecto potuit, ut Argonauticorum scriptor hac in re Alexandrinorum praecepta sequeretur, quibus 'in hac formula ᾗ et ἧτε adverbia fuisse, quae componerent cum *ὡς* et *ὥστε*', probavit mihi Lehrsius (Quaest. epic. p. 44 sq.). verum etsi tales locos omittimus, restant sat multi, ubi ne artificiis quidem adhibitis significatio interrogativa, quae re vera subest, tolli potest. neque hercle, si locos, de quibus dubitare licet, respicimus, mirum est falsa quam dicunt analogia relativum ita usurpatum esse pro illo pronomine, cui in interrogationibus locus erat, dico *ὅς* pro *ὅστις* e. s.; cf. E. Schmolling, Ueber d. Gebrauch einiger Pron. auf att. Inschr. progr. Stettin. 1885, p. 13. nescio tamen an alia extet explicandi ratio, si consideramus *οἷος* et *ὅσος* saepius hoc modo usurpari quam *ὅς*, et si proficiscimur a locis velut *B* 320[4]) *θαυμάζομεν οἷον ἐτύχθη.* quod si Naegelsbachius ad h. l.

---

[1]) Rectissime igitur Vogrinzius p. 370 haec dicit: 'Bezueglich der Wortfragen ist noch zu bemerken, dass nicht blos *τίς* als Fragepronomen gelten darf, sondern auch *ὅς*, *ἥ*, *ὅ* als solches angenommen werden muss, wenn man die abhaengigen Fragen in Rechnung bringt.'

[2]) Interrogatio sane statuenda erit, si *πένθεος* cum *ὅσσον* coniunxerimus.

[3]) Vide Goebel. p. 26.

[4]) Cf. *Ω* 630, X 347, *ρ* 479, *σ* 389, *χ* 217, Pind. Pyth. I 27 *θαῦμα δὲ καὶ παρεόντων ἀκοῦσαι | οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς*, Soph. Ai. 304 *συντιθεὶς γέλων πολύν, ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών*, Ant. 847, Apoll. IIII 1065 *μυρομένη, οἵη μιν ἐπισμυγερὴ λάβεν αἶσα*, Call. e. 7, 2 *κλείω δ' Εὔρυτον, ὅσσ' ἔπαθε | καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν.*

dicit: 'Besser denkt man den Relativsatz, um seine begruendende Kraft zu erkennen, fuers erste demonstrativ: mirabamur, tale acciderat', hanc rationem non probo; sed recordatus *οἷος* saepe in exclamationibus usurpari[1]) puto exclamationem iuxta verbum mirandi vel simile aliquid (cf. *P* 173 *σεῦ ὠνοσάμην φρένας, οἷον ἔειπας)* positam, cum subiuncta esse videretur, ansam huius usus praebuisse indeque factum esse, ut non *οἷος* et *ὅσος* tantum, sed simplex quoque relativum in quaestionibus, quae ab altero enuntiato pendent, pronominis interrogativi loco usurparetur. raro id factum esse consentaneum est; sed de usu ipso dubitari nequit.

Altera nunc oritur quaestio, utrum labente aetate crebrius an rarius id admissum sit, utrum Argonauticorum scriptor e veterum in primis Homeri imitatione an e suorum temporum sermone eum usum hauserit.[2]) itaque accedamus ad Argonauticorum locos, qui huc pertinent, examinandos. nulla dubitatio esse videtur de v. 477 *ἀλλὰ τί σοι περὶ τῶνδε πολὺν λόγον ἀμφαδὸν εἰπεῖν, | ὅσσον ἐφ' ἵμερον ὦρσεν ἀγαναῖς Λημνιάδεσσι | Κύπρις.*[3]) in v. 859 *παραδρομάδην ἀγορεύσω, | οἷά περ αἰνομόροι πάθον ἠδ' ὅσ' ἔρεξαν | ὥς τ' ἄψορρος ὄρουσ'* et 1348 sqq. *τί σοι . . . ἐξαγορεύσω, οἷα πάθον Μινύῃσιν ὁμοῦ . . ἠδ' ὡς ἐξεσάωθεν . . ὅσσα τ' ἄρ' ἐν Κρήτῃ πάθον* interrogationem esse statuendam enuntiatis ab *ὡς* incipientibus evinci puto. neque aliter iudicare licet de v. 1227 *οὐ γάρ τοι λελάθεσθε, τάπερ*[4]) *ῥέξαντες ἱκνεῖσθε | νῆσον ἐφ' ἡμετέρην*, si Gesneri sequimur interpretationem: 'neque enim nos fugit' (intellegas: quibus rebus perpetratis ad me veniatis), ad quam stabiliendam afferri possunt: Apoll. III 737 *ὄφρα τοκῆας | λήσομαι ἐντύνουσα,*[5]) Hes. Theog. 471 *λελάθοιτο τεκοῦσα*, Herod. IIII 106, 16 *ἐδόκεες λήσειν τοὺς θεούς, οἷα ἐμηχάνεο τότε* (cf. Aristoph. Eq. 464). sed cum accusativus additus non sit (cf. v. 1035), nescio an praestet simplicior Hermanni explicatio: 'non, puto, obliti estis, quo perpetrato facinore meam ad insulam . . veneritis'. tum vero verbis graecis accurate respondent haec: 'non obliti estis (eorum), quibus perpetratis . . venitis', ita ut locus eiusdem generis sit, cui supra v. 1333 adscripsimus.[6]) contra interrogatio

---

[1]) Cf. *E* 601, *Θ* 152, *ν* 140, *ρ* 248 et locos a Kuehnero II p. 943 congestos; *ποῖος* quoque in exclamationibus usurpari Karlowa p. 15 n. monet: *α* 64, *β* 85, Call. V 107.

[2]) Vim interrogativam pronominis *ὅστις* priore parte compositionis constare, *τις* pronomen indefinitum esse Karlowa et Frenzelius (p. 69) contendunt.

[3]) Sitzleri coniectura *ὅσσον ὑφ' ἵμερον* opus non esse adparet collato Apollonii loco, qui de eadem re conscriptus est I 850 *Κύπρις γὰρ ἐπὶ γλυκὺν ἵμερον ὦρσεν*.

[4]) *τάπερ* recte Hermannus pro eo quod est in libris *ἅπερ* reposuit.

[5]) Hermannum ratum metri causa locum corrigendum esse opinio fefellit; quod proposuit (Orph. p. 734): *λήσομεν*, iis quae sequuntur *(εἴσομαι)* parum commendatur.

[6]) Ut Apollonii locum dubium adferam, legitur II 1180 *οὐ δέ μιν (Δία) ἄνδρες λήθομεν ἔμπεδον οἵ τε θεουδέες οὐδὲ δίκαιοι*; Brunckius voluit *ἠδὲ δ.*, Matthiaeus *οἵ τε θ. οἵ τ' ἀλιτηροί* (sive . . . sive).

statuenda est in v. 19, si cum Hermanno et Abelio scribimus: *ἠδ' ἔργ' ἀίδηλα | Γηγενέων, οἳ λυγρὸν ἀπ' Οὐρανοῦ ἐκμάξαντο | σπέρμα γονῆς, τό (τε) πρόσθεν ὅθεν γένος ἐξεγένοντο | θνητῶν.* quod Hermannus sic explicat: 'et quae prima fuisset hominum origo exposuisse se dicit'. V habet *ἐτάξαντο*, reliqui *ἐστάξαντο* (nisi quod in Vo id correctum est ex *ἐτάξαντο*), *τὸ πρόσθεν* extat in libris omnibus. accedit ad difficultates huius loci augendas, quod quaestio de genuina scriptura quodam modo cohaeret cum Orphicorum doctrina. Hermannus enim ut coniceret *τό τε πρόσθεν* commotus est fragm. inedito 20,[1]) quo e fuligine combustorum Titanum, non e Gigantibus homines ortos esse docemur. quare locum in medio relinquere tutius duxi; Wielius II 21 sq. proposuit: *οἳ λυγρὸν ἐπ' Οὐρανίους τάξαντο | σπέρμα γονῆς, τὸ πρόσθεν.*

## X. De pronominibus et particulis interrogativis.[2])

Enuntiata interrogativa pronominibus inducta, quae non ex altero enuntiato pendent, habemus in vv. 97 *(τί)*, 476,[3]) 1226 *(τί νυ)*, 1347 *(ἔνθα τί)*,[4]) quae pendent ex altero: 820 *φράζετον, οἵτινές ἐστε, τί δὲ χρέος ὕμμ' ἵκανε*, 1186 *ἔγνω, ὁππόθ'* (sic Stephanus, codd. *οὗ* vel *οὐ ποθ'*) *ἄρ' ἐσμέν.*[5]) praeter eiusmodi enuntiata unum habes primarium interrogativum, in cuius initio particula *ἦ* posita est, Hermanni coniectura *ἦ ἔλπεσθ'* in v. 846 probata, de qua p. 252 disputavi. mihi tam apta videtur ea interrogatio, ut si quis haereat in synizesi, cuius aliud exemplum ex hoc carmine adferre nequeo,[6]) ad violentam coniecturam *ἦ ἔλπεσθ', ὡς ἔσσετ' ἀδήριτον γέρας ὑμῖν* confugere malim quam eam abicere.

---

[1]) Edit. Hermanni; apud Abelium id neque inter certa neque inter dubia aut falsa receptum inveni.

[2]) Cf. H. Iordan, De pronominalium q. d. interrogationum usu Hom. Halis S. 1879. Ch. Praetorius, Der hom. Gebrauch von *ἦ (ἦε)* in Fragesaetzen. progr. gymn. Frid.-Guil. Cassel. 1873, Th. Ludwig, De enunt. interrog. apud Aristoph. usu. Regiomontii 1882.

[3]) *ἀλλὰ τί σοι περὶ τῶνδε πολὺν λόγον* (*χρόνον* Vo) *ἀμφαδὸν εἰπεῖν*; desideratur *δεῖ* vel *χρή*. e duobus exemplis infinitivi pro coniunctivi usurpati, quae Kuehner II § 474 d adfert, alterum dubium est, dico Herod. I 88, alterum *κ* 431 non huc pertinet; *ἴμεν* enim indicativus est (illo loco B habet *κότερον λέγειν πρός σε . . ἐν τῷ παρεόντι χρόνῳ*; A addit *χρή*, quod *β* pro *χρόνῳ* exhibet. Holder Schaeferi coniecturam *ἐν τῷ παρεόντι χρεόν* amplexus est). coniecturae *ἀλλὰ τί δεῖ* id obstat, quod vocula *σοι* aegre caremus.

[4]) Pronomen indefinitum, ut eam rem breviter absolvam, plerumque post negationem legitur: 829 *(οὔτε τι . . οὔτε τιν' ἄλλην)*, 836, 838 *(οὐδέ τι)*, 880, 883, 891 *(οὐδέ τις)*, 904 *(εἰ μή τις)*, 907, 1186, 1199 *(οὔ τις)*, 1206 *(μή τι)*; praeterea 1212 *(εἴ τις)*.

[5]) In v. 1349 Vossii *ἠδ' ὡς* melius est quam quod Hermannus inferre voluit *ὅππως τ'*. codd. praebent *ἦ πῶς*.

[6]) Exempla homerica — quindecim fere sunt — I. Menradius congessit (De contract. et syniz. usu hom. Monach. 1886, p. 177), qui numerum eorum Nauckium aliosque secutus imminuere studet; obloquitur Vogrinzius p. 56 sq.

In interrogationibus ab altero enuntiato pendentibus semel (1174) legitur ἤ, semel (1212) εἰ. nam Schneiderum, qui priore loco εἰ reponere voluit, recte opinor neque Hermannus neque Abelius secutus est. quod si apud Homerum ἤ in interrogationibus indirectis retinendum erit,[1]) ex Argonauticis profecto hanc voculam non expellemus; sin eam ex Homero removerimus, religiose in hoc carmine conservabimus eam, quippe ex quo, si alii loci accesserint,[2]) concludi possit, quali Homeri textu usus sit Argonauticorum scriptor. apud Apollonium et Quintum particulam ἤ ita usurpatam non inveni; de Call. IIII 83, ut de multis locis homericis (cf. Praetorium p. 9) dubitare licet, num enuntiatum secundarium statuendum sit: *εἴπατε Μοῦσαι* | *ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες, ἡνίκα νύμφαι.* cum interrogatione disiunctiva, quae legitur in vv. 770 sqq. *(διπλῆν ἀνενείκατο φωνήν, ἤ . . . μόλοι . . ἠὲ . . . λεύσσοι)*, conferri possunt Apoll. III 898, IIII 4, Quint. V 356. de modorum usu supra egimus (p. 253).

---

Sed iam rivulos claudamus. vidimus omnino Argonauticorum scriptorem satis diligenter Homeri vestigia secutum esse, quamquam hic illic quae recentioris aetatis propria sunt admisit. ubi Homero compluria vocabula, formae, structurae eiusdem significationis praesto erant, artioribus finibus se continuit. nonnumquam utpote in externa rerum specie versatus usum loquendi homericum male intellexit neque profecto, cum ad servilem saepius imitationem descendat atque in elocutione et verborum constructione eadem semper recoquat, magna arte poetica praeditus fuisse videtur. quae rationes — in textu quoque constituendo semper respiciendae — si viris doctis probatae erunt, mox animo confirmato ad reliquam syntaxis partem pertractandam adgrediar.

---

[1]) Cf. libellum Praetorii, qui id negat, et censuram in Bursiani Ann. I 935 sq. a Gisekio factam, qui eius sententiam impugnat.

[2]) Unum quod non exigui momenti est inveni. in Etym. M. 565, 27 habemus haec: *Ὅμηρος λιγνὺν αἰθαλόεσσαν* 'quod cum nunc non legatur, ad Σ 23 refertur a nonnullis' *(κόνιν αἰθαλόεσσαν)*. in Argonauticorum autem v. 971 legimus *λιγνὺς δ' αἰθαλόεσσα.* ceterum Rosenboomium de voce *αἰθαλόεις* verba non fecisse sane miror.

# Index rerum.

# Index locorum.[1])



[1]) Versuum ordinem secutus locos quosdam tractavi p. 290 sq. in explicando pronomine οἱ versatus, pp. 298 sq., 304 sq. utrum pronomina vel adverbia aliqua demonstrativa sint an relativa disputans. neque locos in indicem adscivi omnes, quos unus Hermannus οἱ illato mutavit. item omisi locos, quibus scripturas ab Abelio receptas argumentis non additis probavi.

## Addenda.

Cum haec dissertatio amplissimo philosophorum ordini Vindobonensi iam mense Ianuario a. h. s. LXXXVIIII proposita esset, factum est, ut libelli qui post id tempus prodierunt non omnes suo loco adferrentur, velut p. 291 adn. 4 desideratur: A. Gentsch, De enunt. condic. ap. Antiph. Andoc. Lysiam formis (Comm. Ienens. IV), p. 277 adn. 1: E. Hasse, Ueber d. Dual bei Xenoph. u. Thucyd. progr. Bartenstein. a. 1889. in primis vero est cur moneam scriptiunculam meam typothetae traditam esse, antequam legerem M. Dufourii commentationem inscriptam: De l'emploi des pronoms relatifs grecs dans les propositions interrogatives indirectes (Rev. de phil. XIV 57—60).

P. 263 adn. 2 adferre poteram C. Preussii commentationem de Oppianorum elocutione libello scholastico Liegniciensi a. 1883 insertam (p. 8). — p. 282 in tabula ad usum pronominum possessivorum illustranda proposita errore quodam *ὑμέτερος* quater legitur; nam in Quinti libris quattuor quos perscrutatus sum pronomen illud non extat.

# DE MEDIAE ET NOVAE

QUAE VOCATUR

# COMOEDIAE ATTICAE TRIMETRO IAMBICO

SCRIPSIT

FRANCISCUS PERSCHINKA.

Quod de hexametro dactylico G. Hermannus praedicavit obiter tantummodo legentibus ovum non ovo similius videri posse quam, si sex pedes habeat, hexametrum hexametro, idem de trimetro quoque iambico, qui, quod ad usum poetarum Graecorum adtinet, secundum post hexametrum obtinet locum et ad exemplum eius sine dubio conditus est, summo iure contendi potest. atqui discrimina, quae intercedunt inter singulas trimetrorum structuras, tam magna tamque insignia sunt, ut iam veteres quattuor praecipue trimetri iambici species statuerint. omnes autem scriptores antiqui, qui de his discriminibus verba fecerunt, ex uno eodemque hauserunt fonte, qui plenissimus servatus est in scholio Hephaestionis p. 152 W. *τοῦ δὲ ἰαμβικοῦ μέτρου χαρακτῆρές εἰσι τέσσαρες, τραγικὸς κωμικὸς σατυρικὸς καὶ οὕτω πως ἰδίως λεγόμενος ἰαμβικός. καὶ ἔστι τραγικοῦ μὲν ἴδιον τὸ ἐπὶ πλεῖστον μὲν ἐκ σπονδείων καὶ ἰάμβων συγκεῖσθαι, σπανίως δὲ καὶ ἕνα τρισύλλαβον ἐπιδέχεσθαι, . . . κωμικοῦ δὲ ἴδιον τὸ καὶ ἐκ τρισυλλάβων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον συγκεῖσθαι, . . . ἴδιον δὲ σατυρικοῦ τὸ μέσον εἶναι τραγικοῦ καὶ κωμικοῦ, . . . ἴδιον δὲ ἰαμβικοῦ τὸ δισυλλάβους μόνους ἐπιδέχεσθαι πόδας, καὶ μάλιστα ἴαμβον* . . . cum igitur iam veteres rei metricae scriptores haec discrimina bene sensissent, nostris temporibus viri docti quam diligentissime inquirere studuerunt in singulorum trimetri generum proprietates, ut certioribus quibusdam finibus circumscriberetur usus non solum singulorum generum, sed quoad fieri posset, etiam singulorum poetarum, quippe qua re haud aspernandum verborum crisis factitandae iaceretur fundamentum. quare postquam R. Porson in praefatione illa clarissima ad Euripidis Hecubam a. MDCCLXXXXVII conscripta p. XX. seqq. et C. Reisig in coniectaneis ad Aristophanem a. MDCCCXVI in lucem emissis singula quaedam ad hanc rem metricam spectantia eruere studuerunt, — ut omittam eos, qui de universa re metrica scripserunt libros — de tragicorum trimetris egerunt C. F. Mueller,[1]) I. Rumpel,[2])

[1]) De pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli Sophoclis Euripidis. Berol. 1866, De pedibus solutis in tragicorum minorum trimetris iambicis. progr. Kil. a. 1879.

[2]) Die Auflösungen im Trimeter des Euripides. Philol. XXIIII, p. 407 sqq., Die Auflösungen im Trimeter des Sophocles und Aeschylus. Philol. XXV, p. 54 sqq.

E. Szelinski,[1]) E. Philipp.[2]) in comicorum trimetros post Fritzschium[3]) inquisiverunt idem Rumpel[4]) et G. Widegren.[5]) sed de trimetris poetarum comicorum, qui Aristophanem secuti sunt, nemo dum disputavit. quae res quam molesta sit, ex iis maxime quaestionibus intelleges, quae de trimetro poetarum aetatis posterioris conscriptae sunt. veluti in Stoppelii dissertatione de Gregorii Nazianzeni trimetro id valde dolebis, si perlegeris eam scriptiunculam, quod omnibus fere locis comparatio instituitur cum trimetris tragicorum et Aristophanis, nusquam autem trimetri poetarum comicorum, qui post Aristophanem floruerunt, ad comparationem adhibentur. et quanta praesto est copia trimetrorum inter Aristophanem et Gregorium conditorum. recte igitur Mueller in libello Kiliensi p. 3 haec dicit: 'quamvis igitur Graecorum metrica doctrina nostra inprimis aetate egregiis virorum de litteris summopere meritorum studiis . . adaucta sit, tantum tamen abest, ut omni ex parte perfecta sit atque absoluta, ut permultae etiamnunc supersint singulae quaestiones, quae, qualis est ista disciplina, accuratissima indigeant . . pervestigatione.' quae cum ita sint, ut meis quoque viribus sat exiguis hanc rem adiuvem et adornem, C. Schenkelio magistro dilectissimo auctore in eorum comicorum trimetrum inquirere suscepi, quos mediae et novae comoediae Atticae dicere solemus, qui floruerunt inde a Ol. $94_2$ usque ad Ol. $129_2$.[6]) ne vero longus fiam, omittam hoc loco de indole huius comoediae verba facere; pauca tantum proferam ad viam et rationem, qua uti in hac quaestione mihi proposui, demonstrandam et comprobandam.

Atque ut primum de materia quae tractatur loquar, ita rem institui, ut tota in quaestione versus integros secernerem ab eis quorum fragmenta tantum nobis tradita sunt. quorum numerus est haud exiguus. quamquam enim persuasum habui versus integros maximi momenti esse atque fere solos fundamentum totius quaestionis, tamen, ne quid neglexisse viderer, etiam versuum mutilorum rationem habui. qua re ne fundamentum quo innitamur infirmum fieret, cautiones quaedam adhibendae

---

[1]) Die Auflösungen im Trimeter des Aeschylus und Sophocles. progr. Hohenstadt. a. 1868.

[2]) Der iambische Trimeter und sein Bau bei Sophocles. progr. Microprag. 1879.

[3]) De trimetro Graecorum comico. Rostoch. 1831.

[4]) Der Trimeter des Aristophanes. Philol. XXVIII, p. 599 sqq.

[5]) De numero et conformatione pedum solutorum in senariis Aristophanis. Upsalae 1868.

[6]) Hoc opusculo perfecto atque amplissimi philosophorum ordinis censurae submisso prodiit R. Klotzii liber qui inscribitur 'Grundzüge altrömischer Metrik'. cuius libri cum hanc dissertatiunculam typis eam mandaturus retractabam, rationem habui iis maxime locis, quibus eis quae exposuit Klotzius adsentiri non potui.

erant. et primum cum saepissime in initio vel in fine fragmentorum, quae compluribus versibus continentur, singula extent verba, quibus aut pes sextus, qui ad nos non pertinet, aut pes omnino non efficitur, haec omisimus. item ea fragmenta removenda erant, quae ex compluribus quidem verbis, sed non versu inter se cohaerentibus constant, ita ut, quo versus loco olim ea posita fuerint, erui iam non possit. denique versus lacunosos omnes omisimus, in quibus discerni non potest, quo versus loco verba tradita collocanda sint quoque loco lacuna sit statuenda. neglectis igitur omnibus versuum particulis, de quibus aliquo modo dubitari potuit, eas tantummodo recepimus, de quibus certi aliquid statui posse videbatur.

Deinde quod adtinet ad versus, quorum verba aliqua de causa non sana videntur, hoc modo statuendum mihi visum est, ut tales versus potius reicerem; nam in primis in quaestione metrica fundamentum certissimum atque sanissimum esse debere putavi. quare de paucis tantummodo locis agendum suscepi, de quibus meo quidem iudicio certi aliquid statui posse videbatur. sunt autem hi:[1]) in Antiphanis fr. 21, quod legitur apud Pollucem IIII, 125, versus alter *ὃ πρότερόν ποτ᾽ ἦν τοῖς ἐξ ἀγροῦ βουσὶ σταθμός* aperte una syllaba abundat; quae res ut tollatur, duae viae propositae sunt. etenim Salmasius scripsit *ὃ πρίν ποτ᾽*, Bekkerus *ὃ πρότερον* [*ποτ᾽*]. atque quamquam primo adspectu hae coniecturae parem prae se ferre videntur probabilitatis speciem, tamen, si rem palaeographicam respexeris, dubium non erit, quin una Bekkeri coniectura vera sit emendatio. cum enim *πρότερον* scriptum esset per compendium $\pi\varrho o^{\tau\varepsilon}$[2]), facile per dittographiam quam dicimus illud *ποτὲ* enasci potuit. accedit quod haec mendi explicatio optime comprobatur ipso loci sensu: *τὸ κλισίον πεποίηκεν ἐργαστήριον, ὃ πρότερον ἦν . . σταθμός*, 'die Hütte, welche früher ein Stall war', h. e. prius quam transformata est casa in officinam, non *ὃ πρότερόν ποτ᾽* vel *ὃ πρίν ποτ᾽ ἦν . . σταθμός*, 'welche früher einmal ein Stall war', ita ut cogitari possit casam deinde fortasse aliam ad rem usui fuisse, donec officina facta esset. idem fere valet de Menandri fr. $393_4$, ubi pro *τόν ποτε ἀβέλτερον* legendum est cum Cobeto *τὸν πρότερον ἀβέλτερον*. — de Antiphanis fr. $100_3$ certi aliquid proferri posse videtur, praesertim cum sententia, quae inesse debet huic versui, notissima atque planissima sit: 'Besser ist es 100 Stadien zu reisen, als eine Klafter zu segeln'. quod si hanc interpretationem tenemus, iam intellegimus nullo pacto sufficere verbum *ἐλθεῖν*, sed opus esse additamento, quo perfecta

---

[1]) Poetarum fragmenta citavi secundum Th. Kockii editionem.

[2]) Cf. Wattenbachii librum 'Anleitung zur griech. Paläographie' tab. 18 et Cobetum Mnem. IIII, 264 (Nov. lect. p. 80).

inter verba ἐλθεῖν et πλεῦσαι fiat oppositio. quod verbum ex που δὴ vel potius ex που — nam δή suo loco stat — sumendum est. Nauckius, qui Phil. VI, 416 ἐπ᾽ οὔδει scripsit, ipse profitetur in hac coniectura inesse quod offendat; numquam enim ἐπ᾽ οὔδει ita adhiberi, ut idem sit quod κατὰ γῆν. contra optimum videtur, quod Iacobsius excogitavit Add. animadv. in Ath. p. 186 ἐλθεῖν ποσὶν δή. — fr. $227_9$, cui versui deest una syllaba, cum Meinekio Anal. Ath. p. 32 lego τίς γὰρ κάτοιδ᾽ ἡμῶν τὸ μέλλον ὅ τι παθεῖν; — Eubuli fr. $119_5$ cum Porsono φίλον delevi, in versu 12 cum G. Hermanno verbis transpositis scripsi ἥκειν, παρόνθ᾽. — Anaxilae fr. 19 cum Athenaeus adferat propter voces πόδες ὠτία ῥύγχοι — haec enim dicit ποδῶν τε καὶ ὠτίων, ἔτι δὲ ῥύγχους (μνημονεύει) Ἀναξίλας Μαγείροις — neque vox ὠτία in hoc fragmento legatur, sine dubio ea in versus quarti lacuna inserenda est cum Kockio, ut legatur: ἀκροκώλι᾽ ἕψειν, ὠτία, ῥύγχη, πόδας. — Aristophont. fr. $7_3$ ad metrum restituendum cum Kockio lego θύννειοι μὲν οὖν; sat notum enim est κλεῖδας θυννείους in rebus ad epulandum exquisitissimis fuisse Atheniensibus. — cum in Ophel. fr. 1 v. 1 ὠρχοῦντο δ᾽ ὥσπερ καρῖδες ἀνθράκων ἔπι una syllaba abundet, Meinekius, ne ὥσπερ omnino tolleret, scripsit ὠρχοῦνθ᾽ ἅπερ καρῖδες. sed recte iam Dindorfius id intellexisse videtur, quod Kockius dixit περ ex prima syllaba vocis καρῖδες ortum videri. quare una Dindorfii coniectura ὠρχοῦντο δ᾽ ὡς καρῖδες vera emendatio esse videtur. — Alex. fr. 52, in quo versu arsis tertia desideratur, cum Meinekio restitui στεφάνων τε τούτων ⟨τῶν⟩ χύδην πεπλεγμένων. eiusdem fr. 172 initio cum οτι depravatum esse videatur ex ετι — perlucet enim paene haec vocula — legendum puto cum Meinekio προσέτι. fr. $267_4$, in quo verba ὁ πρῶτος aperte corrupta sunt, mihi quidem maxime adridet, quod Kockius coniecit ὅθεν Βροτέας ποτ᾽ conlato Paus. III, 22, 4 ἐπὶ Κοδδίνου πέτρᾳ Μητρός ἐστι θεῶν ἀρχαιότατον ἁπάντων ἄγαλμα· ποιῆσαι δὲ Μάγνητες αὐτὸ Βροτέαν λέγουσι τὸν Ταντάλου, quae verba miro fere modo ad hunc Alexidis locum quadrant. — Philem. 12 lego cum Meinekio γυμνῷ φυλακὴν ἐπίταττε, παῖ, καὶ διὰ τριῶν. fr. $90_9$, in quo οὗτος languet, verum mihi quidem repperisse videtur Kockius scribendo πρὸς τοῖς κακοῖς ⟨τοῖς⟩ οὖσιν. nam praeterquam quod ea coniectura sensui ex omni parte sufficit atque ex verborum sententia in primis voce ἕτερα quasi flagitatur, etiam e re palaeographica summam in se habet probabilitatem; restituto enim οὖσιν articulus τοῖς facile depromitur ex vocis antecedentis κακοῖς clausula. de aliquot Philemonis locis summatim agere possumus, quia eodem mendorum genere inquinati sunt, dico $102_6$ δοκεῖ τι φράζειν τοῖς ἀκούουσιν ἀσφαλές. $168_2$ μέγιστόν ἐστι μετ᾽ εὐνοίας διδόμενον. $169_1$ ἐὰν γυνὴ γυναικὶ κατ᾽ ἰδίαν ὁμιλεῖ. $179_2$ μηδ᾽ εἰς ὄνειδος ἕλκε τὴν σεμνὴν πολιάν. his enim locis, qui omnes insunt in Comparatione Menandri et

Philemonis quae dicitur,[1]) in versus exitu corruptela glossemate orta deprehenditur. atque luculentissime id conspicitur in fr. $179_2$, ubi pro glossemate scribendum est aut cum Meinekio *τρίχα* aut potius cum Kockio *κόμην*, et in fr. $169_1$, ubi facillime pro *ὁμιλεῖ* cum Meinekio *συνῇ* reponitur aut cum G. Hermanno Mus. Rhen. V, 611 *λαλῇ*. eodem modo $168_2$ glossemate *διδόμενον* adscripto vox genuina excidit, atque mihi quidem sententia condicionalis perisse videtur, quam restituendam puto ita, ut aut cum Grotio *ἂν μετ' εὐνοίας διδῷς* aut, in quod ipse incidi *δοθῇ* scribatur. iam cum his exemplis perlustratis viderimus saepius glossemata inrepsisse, etiam in fr. $102_6$ *ἀσφαλές* glossema esse puto, pro quo reponendum sit cum Dobraeo aut *σαφές* aut quod respondeat versui tertio *καλῶς*. minime autem pro *ἀκούουσιν* cum Meinekio *κλύουσιν* in poetae comici verba intrudam.

Ctesippum, Chabriae filium, de quo verba facit Diphilus in fr. 38, hominem luxuriosissimum fuisse etiam ex Timocl. fr. 5 et Menandri fr. 363 elucet. atque eo luxuriae processit ille, ut ipsius patris sui monumenti, cum extruebatur, venderet lapides.[2]) quod ne porro facere posset utque monumentum tandem conficeretur, iocose quidam apud Diphilum dicit se legem laturum fuisse, ut singulis annis unus lapis poneretur, sed is molaris, ne posset moveri, atque vilis, ne operae pretium esset eum venum dare. facillima enim atque certissima coniectura Kockius in v. 5 scripsit *κατ' ἐνιαυτὸν ἕνα ⟨θεῖναι⟩ λίθον*, primum quia facillime *θεῖναι* post *ἕνα* intercidere potuit propter apicum similitudinem, deinde quia optime in sensum quadrat, id quod de coniecturis Erfurdtii *ἕνα ⟨φαγεῖν⟩ λίθον* et Meinekii *ἕν' ⟨ἐρυγεῖν⟩ λίθον* minime praedicari potest. — Menandri fr. 644 verba tradita, quae sensum optimum praebent, retinui neque Kockii coniecturam *ἀτυχῇ τις* pro *τύχῃ τις* amplexus sum. — Hipparchi fr. $1_6$ ut restituatur, ex Meinekii sententia duae praesto sunt viae, ut aut *ψυκτηρίαν*, quod commendavit Iacobsius, vel *ψυκτήριον* pro *ψυκτῆρα* aut *κυμβίδιον* pro *κύμβιον* scribatur. sed si diligentius rem inspexeris, altera tantum remanet emendandi ratio. primum enim audacius videtur novum vocabulum *κυμβίδιον* hoc loco reponere, quod omnino non repperi, deinde *ψυκτηρίαν* commendatur Euphronis fr. $3_1$.[3]) de iis versibus, qui eorum quae hac quaestione efficientur ratione habita erunt emendandi, suis locis agemus. ubi autem vera lectio non tam facile erui poterat, sed coniectandi daba-

---

1) Cf. Studemund. ind. lect. univ. Vratislav. a. 1887 et Kock. in praef. vol. III.

2) Cf. Menandri $363_7$ *κᾆθ' ὡς ἐκεῖνος* (Ctesippus) *κατέδομαι καὶ τοὺς λίθους*.

3) Haec coniectura probabilior mihi esse videtur quam quod nuper proposuit Kaibelius in Athenaei editione *καί ⟨τι⟩ κύμβιον*.

tur spatium sat magnum, aspernatus sum infirmo niti fundamento. quo factum est ut secernendi mihi fuerint hi versus: Antiphan. fr. 39, 47, $122_{14}$, $137_1$, $147_7$, $159_{10}$, $184_3$, $184_4$, $188_1$, $190_3$, $190_5$, $190_{17}$.[1]) — Anaxandr. 51. — Eubul. $9_1$, 44, 78, 123, 135. — Ararot. 13. — Nicostrat. $5_7$, $29_2$. — Amphid. $30_{10}$, $37_4$. — Clearch. $5_2$. — Dionys. $2_{29}$, $2_{32}$, $4_4$. — Eriph. $3_1$. — Timocl. $12_4$. — Xenarch. $4_{20}$. — Alexid. $15_{10}$, $84_2$, $125_2$, $186_1$, $200_4$, $201_2$. — Philem. $32_1$, $96_6$, $109_3$, $109_4$, $115_2$, $116_1$, 118, $124_3$, 127, $129_1$, $129_2$, $140_1$, 172, $173_1$, $174_1$, 208, 246, 247 (118, 246, 247 Philemonis certe non sunt, sed poetae cuiusdam aetatis Christianae). — Diphil. $43_{29}$, $89_1$, $89_2$. — Menandri $74_2$, $102_1$, $146_1$, $175_2$, 186, 190, 231, 274, $319_9$, $338_2$, $355_3$, 384, $402_{16}$, 409, $425_2$, $425_4$, 474, $481_{13}$, 545, $557_4$, $560_3$, $563_3$, $580_1$, $666_2$, 709, 735, 849, 850, $1084_1$, 1085. — Apollodor. $13_4$. — Euphron. $11_{11}$. — Damoxen. $2_{14}$. — Epinic. $2_5$. — Philippid. 13.

His igitur remotis in quaestione instituenda remanent versus Antiphanis 815, Anaxandridis 153, Eubuli 334, Ararotis 10, Nicostrati 62, Philetaeri 34, Amphidis 109, Ephippi 86, Anaxilae 50, Aristophontis 55, Epicratis 48, Cratini iunioris 21, Ophelionis 3, Nausicratis 10, Alexidis 939, Clearchi 13, Antidoti 9, Axionici 32, Epigenis 13, Dromonis 8, Diodori 49, Dionysii 77, Eriphi 24, Eubulidis 2, Heniochi 35, Heraclidis 5, Mnesimachi 26, Philisci 6, Sophili 10, Sotadis 36, Timothei 6, Timoclis 153, Xenarchi 69, Theophili 40, Philemonis 576, Philemonis iunioris 13, Diphili 310, Menandri 1470, Hipparchi 13, Lyncei 22, Archedici 25, Apollodori Geloi 6, Apollodori Carystii 48, Apollodori 59, Anaxippi 66, Philippidis 66, Hegesippi 36, Sosipatri 57, Euphronis 90, Machonis 15, Batonis 56, Epinici 20, Phoenicidis 32, Posidippi 87, Damoxeni 80, Critonis 9, Timostrati 2, Demetrii 12, Dioxippi 6, Stephani 5, Stratonis 46, Theogneti 14.

Quos versus ita distribui, ut poetas qui dicuntur maiores, de quorum fabulis sat multi ad nos manserunt versus, singulos suis locis adferrem — sunt autem Antiphanes Anaxandrides Eubulus Alexis Timocles Philemo Diphilus Menander — de minoribus autem, quorum pauci tantum versus servati sunt, summatim agerem ita ut minores mediae quae vocatur comoediae poetas in unum quasi cogerem corpus itemque minores novae comoediae.[2])

---

[1]) In fragmento 276 Kock inscius quidem, ut videtur, atque Meinekii lapsum temere secutus trimetrum alterum septem pedibus constantem facit; Kaibel in Athenaei editione recte verba ita divisit: *ἓν νόσημα τοῦτ᾽ ἔχει | ἀεὶ γὰρ ὀξύπεινός ἐστι. Β. Θετταλὸν | λέγεις κομιδῇ τὸν ἄνδρα.*

[2]) Versuum igitur summae, quae ad computationes praesto erant, sunt hae: Antiph. 815, Anaxandr. 153, Eubul. 334, Alex. 939, Timocl. 153, poet. min. med. com. 948; Philem. 576, Diphil. 310, Menand. 1470, poet. min. nov. com. 885.

Itaque fundamento substructo iam ad singulos versus versuumque pedes illustrandos transgrediamur.

## I. De spondeis.

Spondei, quos trimetrum iambicum recipere in sedibus imparibus quas dicimus, prima, tertia, quinta, sat notum est, apud poetas, de quibus agimus, hoc schemate possunt illustrari:

| extant spondei apud | I | %[1] | III | % | V | % |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Antiphanem . . . . . | 460 + 26 | 56·4 | 427 + 19 | 52·3 | 440 + 29 | 53·9 |
| Anaxandridem . . . . | 86 + 3 | 56·3 | 78 + 1 | 51·3 | 82 + 4 | 53·4 |
| Eubulum. . . . . . . | 168 + 12 | 51·4 | 192 + 8 | 57·6 | 150 + 9 | 45·7 |
| Alexidem . . . . . . | 473 + 23 | 50·9 | 516 + 16 | 55 | 488 + 27 | 52 |
| Timoclem . . . . . . | 70 + 5 | 47 | 80 + 2 | 51 | 79 + 2 | 49·1 |
| poet. min. med. com. . | 457 + 22 | 48·1 | 495 + 17 | 51·9 | 441 + 30 | 47·3 |
| Philemonem . . . . . | 236 + 5 | 41 | 263 + 5 | 46 | 272 + 4 | 47·5 |
| Diphilum . . . . . . | 150 + 4 | 48·2 | 162 + 3 | 52 | 148 + 7 | 47·8 |
| Menandrum . . . . . | 705 + 41 | 48 | 810 + 44 | 55·4 | 790 + 59 | 54 |
| poet. min. nov. com. . | 365 + 10 | 41·4 | 450 + 5 | 50·6 | 472 + 6 | 53·3 |

qua ex tabula facile cognosces poetas spondeo his in sedibus saepius usos esse quam pedibus solutis et iambis summatim; quod num miros nos habere debeat, infra videbimus. utique autem notandum est primo in pede spondeum magis magisque numero decrevisse, quod ex hac tabula elucet, cum ceteris locis numeri omnino fere sibi constent. quod ut intellegamus, primum videamus de iambis; iambi leguntur in centenis versibus:

| apud | I | II | III | IV | V |
|---|---|---|---|---|---|
| Antiphanem . . . . . | 25·1 | 78 | 29·9 | 86·4 | 39·5 |
| Anaxandridem . . . . | 22·1 | 79·8 | 32·9 | 85·6 | 38·6 |
| Eubulum . . . . . . | 26·9 | 83·7 | 27·2 | 86·9 | 50·3 |
| Alexidem . . . . . . | 25·4 | 77·5 | 26·2 | 84·5 | 39·1 |
| Timoclem . . . . . . | 29·6 | 78·9 | 25·2 | 79·3 | 43·7 |
| poet. min. med. com. . | 27 | 77·8 | 29·7 | 83·7 | 41·8 |
| Philemonem . . . . . | 34·8 | 83·1 | 39·8 | 88·6 | 47·7 |
| Diphilum . . . . . . | 24·6 | 77·3 | 30 | 84 | 39·2 |
| Menandrum . . . . . | 29·2 | 81·2 | 28·1 | 84·8 | 38·5 |
| poet. min. nov. com. . | 27 | 77·8 | 30·6 | 83·2 | 38·3 |

[1]) Brevitatis causa signo illo notissimo % uti mihi liceat, ubi indicandum erit, quotiens quaeque forma in centenis versibus recurrat; signo + eorum spondeorum numeros adiunxi, qui redeunt ex versibus mutilis.

ex hac tabula id redundare videtur iamborum usum sibi fere constitisse, si excipias Eubuli[1]) et Philemonis reliquias, quas excellere simplici trimetrorum structura ex aliis quoque rebus intellegemus. cum autem iamborum numero non explicetur, cur spondei primi pedis rariores fiant, iam videamus de pedibus trisyllabis. primo in pede pedes trisyllabi leguntur in centenis versibus:

| apud | tribr. et dactyl. | tribr. dact. anap. |
|---|---|---|
| Antiphanem . . . . . | 7·5 | 18·5 |
| Anaxandridem . . . . | 7·6 | 21·6 |
| Eubulum . . . . . . | 9·1 | 21·7 |
| Alexidem . . . . . . | 14·4 | 26·7 |
| Timoclem . . . . . . | 10·4 | 23·4 |
| poet. min. med. com. . | 12·2 | 24·9 |
| Philemonem . . . . . | 14 | 24·2 |
| Diphilum . . . . . . | 14·7 | 27·2 |
| Menandrum . . . . . | 14·1 | 22·8 |
| poet. min. nov. com. . | 15·9 | 31·6 |

vides primo in pede spondeorum numerum decrescere, quia numerus pedum solutorum hoc in pede paulatim utique, sed constanter fere crescit. qua in re id unum premam ne apud comicos quidem poetas umquam pedem alterum aut quartum spondeum recipere. quae res tam nota tamque certa est, ut facere non possim, quin profitear me adtonitum fere fuisse, cum legissem, quod Chaignet[2]) sibi invenisse videtur, trimetrum spondeum admittere in sede quarta. haec enim dicit p. 181: ‘on trouve cependant un spondée au quatrième pied dans le vers (Eur. Iphig. Aul. 404)

*αἰαῖ· φίλους ἄρ᾽ οὐχὶ κεκτήμην τάλας*

– – | ◡ – | ◡ – | – – | – – | ◡ –

et paulo post: ‘aussi ce vers a-t-il subi toutes sortes de restitution, metro iubente, comme on dit’. quam rem equidem reperire non potui; nam quantum scio praeter Hartungium, qui scripsit *οὐκ ἐκεκτήμην*, nemo hoc in versu propter metrum aliquid mutandum esse censuit. immo spondeus omnino hoc loco non adest; nam vocis *οὐχί* vocalis *ι* non ut *ι*, quod dicitur *δεικτικόν*, longa, sed omnibus locis, qui sunt sescenti, brevis est. sed

---

[1]) Quod iam Bergk sensit, qui in hist. litt. Gr. IIII, p. 163 de ea re dixit: ‘der Trimeter ist nach der strengen Regel, wie bei keinem anderen Komiker gebaut’.

[2]) ‘Essais de métrique Grecque. Le vers iambique’, qui liber in lucem emissus est Parisiis MDCCCLXXXVII.

misso Chaignetio in viam nostram regrediamur. versus, qui solis iambis et spondeis constant, sunt in centenis:

| apud | iamb. et spond. | V iambi, I spond. |
|---|---|---|
| Antiphanem ....... | 37·4 | 9·3 |
| Anaxandridem...... | 43 | 14·3 |
| Eubulum ........ | 47·3 | 13·1 |
| Alexidem......... | 34 | 8·7 |
| Timoclem ........ | 34·6 | 11·7 |
| poet. min. med. com. . | 29 | 7·8 |
| Philemonem ....... | 47·9 | 12 |
| Diphilum......... | 30·3 | 7·4 |
| Menandrum ....... | 38·3 | 10·6 |
| poet. min. nov. com.. . | 28·6 | 11 |

denique trimetros integros quos dicimus, qui sex iambis conficiuntur, congessi hos: apud Antiphanem $55_{13}$, $56_3$, $129_2$, $144_3$, $145_3$, $148_2$, $194_9$, $195_{10}$, $207_4$, $211_2$, $232_3$, Anaxandridem $1_6$, $54_6$, Eubulum $15_{11}$, $16_1$, $36_3$, $56_4$, $72_5$, $75_3$, $94_4$, $94_5$, $116_5$, $121_1$, Amphidem $9_3$, $21_4$, Ephippum $20_3$, Anaxilam $20_2$, Aristophontem $5_4$, $9_3$, $12_5$, Epicratem $2_7$, $2_{23}$, $6_3$, $8_1$, $8_3$, Alexidem $46_7$, $85_4$, $110_2$, $125_{14}$, $133_6$, $135_{15}$, $204_1$, $205_1$, $246_1$, $266_5$, $270_3$, $270_4$, Clearchum $1_4$, Diodorum $2_{12}$, $2_{40}$, Dionysium $2_{14}$, $2_{26}$, $3_{18}$, Eriphum $2_4$, $3_3$, $6_1$, Eubulidem $1_1$, Heniochum $3_1$, Timotheum $2_2$, $2_3$, Timoclem $6_{17}$, $27_2$, Xenarchum $1_2$, $7_{14}$, Theophilum $2_3$, Philemonem $5_3$, $23_3$, $31_1$, $63_1$, $71_5$, 82, $89_4$, $91_1$, $94_1$, $99_6$, $104_3$, $105_4$, $115_4$, $124_1$, $126_2$, $176_1$, $228_4$, $232_2$, 235, Philemonem iun. $2_1$, Diphilum $17_1$, $32_{24}$, $43_{21}$, $43_{35}$, $64_2$, $79_1$, $98_1$, $104_1$, Menandrum $6_4$, 10, $11_2$, 31, $51_1$, 53, $89_3$, $149_2$, $160_1$, $307_1$, $319_2$, $335_2$, $348_3$, $402_{13}$, $405_3$, $438_3$, $481_4$, $531_{15}$, $532_9$, $532_{15}$, $534_6$, $535_8$, $559_3$, $573_3$, $597_1$, $598_3$, $619_2$, $644_1$, $647_2$, $687_1$, $693_1$, $701_2$, $706_1$, $716_1$, 763, 769, 804, 829, 842, 1106, Apollodorum Car. $5_{25}$, Apollodorum $4_2$, Anaxippum $1_{39}$, Philippidem $12_1$, Sosipatrum $1_6$, $1_{38}$, $1_{46}$, Euphronem $1_{21}$, $1_{35}$, $7_1$, $8_5$, $10_{12}$, Epinicum $1_{10}$, Damoxenum $1_2$, $2_{68}$.

Quos numeros si cum priorum poetarum usu comparas, habebis apud poetas iambographos 1:9,[1] Aeschylum 1:14, Sophoclem 1:17, Euripidem 1:22, Aristophanem 1:68, Antiphanem 1:74, Anaxandridem 1:76, Eubulum 1:30, Alexidem 1:78, Timoclem 1:76, poetas min. med. com. 1:31, Philemonem 1:30, Diphilum 1:38, Menandrum 1:36, poet. min. nov. com. 1:54. vides ex hac numerorum ratione facile intellegi — si poetas minores mittimus, quorum fragmenta in unum corpus coegimus,

[1]) Cf. Rumpel. Phil. XXV, 471 sqq.

quia in comparando usu singulorum poetarum non satis certum praebent fundamentum — hoc modo rem se habere. mediae comoediae poetae Aristophanis licentiam in condendis trimetris paululum egressi sunt. atque unus Eubulus etiam hac in re peculiarem obtinet locum. novae comoediae poetae autem multo frequentius utuntur primaria illa trimetri forma, ita ut ea re ab Aristophane et prioribus comicis discrepent et propius ad tragicorum consuetudinem accedant. neque id mirum tibi videbitur; nam etiam C. F. Mueller tragicos minores, qui Euripidem secuti sunt, perscrutatus ad eundem finem pervenit. haec enim dicit p. 22 'quae si spectamus, nos non fugit poetas illos Alexandrinos maxime id egisse, ut vitatis quantum fieri posset pedibus trisyllabis in dialogis pure plerumque procederet numerus iambicus'. ac paulo infra quae habebat explorata hunc in modum breviter complectitur: 'a. quamquam in universum recentiores Atheniensium poetae tragici, qui inde a bello Peloponnesiaco usque ad Alexandri aetatem fabulas condiderunt, Euripidem in primis imitati in metris tractandis neglegentiores fuerunt et dissolutiores, nonnulli tamen extitere, qui priscam metricae artis severitatem in tragoediis suis revocare studerent. b. maiorem etiam adhibuerunt diligentiam ad imitandam veteris tragoediae formam Alexandrinae aetatis poetae, qui eo usque progressi sunt, ut in trimetris condendis, quantum possent, evitare conarentur pedes trisyllabos. quamquam omnino eos abstinuisse longarum syllabarum solutionibus in senariis pronuntiari non licet'.

## II. De tribrachis.

### *a.* De tribrachis primi pedis.

#### 1. Tribrachus efficitur uno verbo.

A. Saepissime prioribus verbi alicuius syllabis continetur. hanc solutionis formam primo in pede cum poetis tragicis tum Aristophani usitatissimam esse pervulgatum est, ita ut nonaginta locos, quibus ea legitur in reliquiis poetarum mediae et novae comoediae, adferre supersedeam. id unum premam eam legem, quae numquam a Sophocle, numquam ab Euripide nisi semel in adverbio *ὀλιγάκις* neglecta est, ut in voce quadrisyllaba in initio versus posita accentus eius vocabuli et versus concidant, ab eis quoque quos tractamus poetis ita esse observatam, ut nisi quater ab ea non recesserint, dico Eubul. $121_3$ *Σικελικά*, Alex. $112_3$ *θυγατέρες*, Posidipp. $11_2$ *θυγατέρα*, Alex. $124_{19}$ *λογογράφος*.

B. Undequinquaginta locis tribrachus integro formatur verbo: Antiphan. $44_2$ *γέγονας*, *$107_2$ *ὀνόματ' ἔχουσα*,[1]) $125_1$ *ἄτοπα*, $228_6$ *ἔχομεν*,

---

[1]) Siglo * indicatur haec verba extare in versuum particulis.

$260_2$ *ἔρανον*, Nicostr. $6_4$ *ὁπόσα*, Aristophont. $13_1$ *λάχανα*, Amph. $20_3$ *ὁπότε*, Ephipp. $8_3$ *ἴτρια*, $24_1$ *κάρυα*, Dionys. $2_{12}$ *δύναμιν*, $3_7$ *τακερά*, Mnes. $3_3$ *μέτρια*, Xenarch. $4_{23}$ *ὁπόταν*, Alex. $110_3$ *ἔλαβον*, $127_5$ *μάραθρον*, $172_1$ *προσέτι*, $186_{10}$ *μυελόν*, $198_2$ *ὕδατος*, $201_5$ *Στράτιε*, $230_4$ *Θάσιος*, $244_2$ *χυτρίδι'*, $253_2$ *ἕτερα*, Diph. $17_{13}$ *κάθαλα*, $58_3$ *ὑδαρές*, $99_7$ *φύλακα*, Men. $70_2$ *ἱερόν*, $93_3$ *ἕνεκα*, $128_9$ *διόπερ*, *$157_2$ *πατέρα*, $169_2$ *ἀγαθόν*, $301_{11}$ *πάρεχε*, $325_6$ et $325_9$ *ἀγαθόν*, $397_2$ *κύλικα*, $403_4$ *ἔχομεν*, $481_{12}$ *ἐφόδι'*, $530_{23}$ *ὕδατι*, $531_{17}$ *ἀγαθά*, $533_3$, $535_4$, $554_4$ *ἀγαθόν*, $628_1$ *χαλεπόν*, $649_2$ *πατέρα*, Lync. $1_2$ *Ῥόδιος*, $1_{10}$ *ἕτερος*, Apoll. Car. $24_3$ *σπυρίδα*, Philippid. $6_1$ *ἔλεγον*, Euphron. $1_{17}$ *ἴδιον*, $1_{27}$ *ἔλεγον*, Phoenic. $4_6$ *ἔλεγεν*, Damox. $2_{59}$ *ἐνίοτ'*.[1]) constat apud poetas tragicos quoque et Aristophanem sat usitatam esse hanc tribrachi formam.

## 2. Tribrachi binis formantur verbis.

A. Thesis efficitur monosyllabo, arsis initio verbi viginti quattuor locis. qui loci omnes ita comparati sunt, ut verbum monosyllabum cum verbo sequenti trium vel adeo plurium syllabarum unum quasi corpus efficiat. monosyllaba eiusmodi sunt articulus: Antiph. $55_2$ *τὸ λυχνίον*, Anaxand. 63 *τὸ συνεχές*, (Eubul. $107_8$ *ἓν ὄνομα*), Amph. $6_1$ *τὸ δ' ἀγαθόν*, Antid. $2_4$ *τὸ τεχνίον*, Alex. $76_8$ *ὁ πριάμενος*, $84_3$ *τὰ πτερύγι'*, $227_1$ *ὁ Κόρυδος*, $236_2$ *ὁ παραμασήτης*, $266_6$ *ὁ τραγικός*, Philem. $2_2$ *τὸ σύνολον*, $174_2$ *ὁ θάνατος*, Men. $546_4$ *τὸ δ' ἐπιδιώκειν*, $634_1$ *ὁ φθονερός*, $636_1$ *ὁ προκαταγιγνώσκων*, $643_1$ *τὰ μεγάλα*, Philippid. $29_1$ *ὁ τραχύτατος*, Baton. $3_3$ *ὁ φρόνιμος*, praepositio: Nicostr. $21_2$ *πρὸς Ἀερόπην*, Alex. $33_3$ *ἐν ὕδατι*, Demetr. $1_6$ *παρ' Ἀγαθοκλεῖ*, pronomen: Antiph. $21_2$ *ὃ πρότερον ἦν*, $266_2$ *ὃς ἕνεκα*, Men. 255 *ὃ δ' ἀποκρινεῖται*, 821 *τί δ' ὄφελος*. quod dissolutionis genus ignorabat Aeschylus, admiserunt Sophocles et Euripides.

B. Locis duodeviginti tribrachus constat ex monosyllabo et bisyllabo arte inter se cohaerentibus. habes articulum: Antiph. $254_2$ *ὁ χρόνος*, Aristophont. $15_1$ *τὸ τέλος*, Philem. $31_5$ *ὁ θεός*, $90_{11}$ *τὸ κακόν*, $131_1$ *ὁ φθόνος*, Men. $404_8$ *τὸ μέρος*, $534_3$ *τὸν ὄνον*, $582_2$ et $583_2$ *τὰ μετὰ γυναικός*, 779 *ὁ πολύς*, $705_2$ *τὰ δάκρυ'*, Posidipp. $29_3$ *τὸ πολύ*, Damox. $2_{30}$ *ὁ χυμός*, praepositionem: Alex. $261_{13}$ *ἐπ' ἐμέ*, pronomen: Philem. $89_1$ *τί ποτε*, Hegesipp. $2_3$ *ὃ διὰ τέλους*, Euphron. $11_2$ *ὃς ἀπὸ θαλάττης*, praeterea: Philem. $44_4$ *μὰ Δία*. talis tribrachus apud Sophoclem quinquies (semper in verbis *τί πότε*), saepius apud Euripidem occurrit.

C. Quindecim locis tribrachus ex bisyllabo et monosyllabo constat. monosyllabum est articulus: Antiph. $26_{22}$ *ἐπὶ τὸ τάριχος*, Alex. $110_{12}$ et $187_6$ *ἐπὶ τὸ τάγηνον*, Men. $178_2$ *ἐπὶ τὸ τάριχος*, $518_{11}$ *μετὰ τὸ τάριχος*,

[1]) Cf. Klotz. p. 269.

Euphron. $1_2$ *διὰ τὸ νοεῖν*, pronomen praepositioni adiunctum: Alex. $135_8$ *ἐπὶ τί*, Diph. $64_5$ *ὑπό τι*, particula: Eubul. $82_1$ *ἅμα δὲ λαβοῦσ'*, $119_3$ *ἕνα γὰρ ἐκεῖνον*, Amph. $23_3$ *παρὰ δὲ Σινώπῃ*, Philem. $143_2$ *ὑπὸ γὰρ ἀνοίας*, Men. $575_2$ *ἐμὲ δέ*, Bat. $7_2$ *τίνα γὰρ ἔχει*.

Quamquam autem verba, quibus tribrachus efficitur, sat arte inter se cohaerent, tamen haec solutio minus elegans dicenda est, quia incisio fit post priorem arsis solutae syllabam ⏑ ⏑́ | ⏑; primarius enim incisionis locus in tribracho post thesim est ⏑ | ⏑́ ⏑. quare duo tantum apud Euripidem inveniuntur eius rei exempla, nullum apud Aeschylum aut Sophoclem. plura apud Aristophanem leguntur.[1])

D. Neglegentissima tribrachi forma existit, si efficitur is bisyllabo et proximi vocabuli initio, quia tali conformatione incisio illa molesta, de qua modo verba fecimus, post priorem arsis solutae syllabam magis etiam premitur. quam ob rem ne Euripides quidem tali tribracho usus est. primus eum admisit Aristophanes atque is saepissime in primo pede, ubi fortasse non tantam adferebat molestiam quantam in aliis sedibus. cum enim prima versus vocabula uno quasi vocis redintegratae spiritu pronuntientur, incisio illa non tam ingrate ad aures accidit vocabulis arte inter se consociatis. quae res plane cadit in locos quos hic exhibeo congestos: Anaxand. $33_5$ *ἐπὶ τίνα*, Amph. $14_7$ *σφόδρα φιλονεικοῦσαν*, *Epicrat. $7_1$ *λαβὲ τριόδοντα*, Dionys. $2_{25}$ *παρά τισιν*, Heracl. $1_4$ *ἕνα κατακόψας*, Philem. $122_2$ *ὅσα δαπανήσας*, $144_2$ *Μάγα κακόδαιμον*, $150_1$ *ὅσα διὰ τούς*, Men. $85_2$ *παρὰ τίνι*, $688_1$ *ἐμὲ δ' ἀδικείτω*, Apollod. $13_{10}$ *ὅθεν ἐπιχειρεῖ*, Anaxipp. $1_{23}$ *ἐμὲ κατακόψεις*, $1_{47}$ *ἵνα διεγείρας*, Hegesipp. $1_{20}$ *ὅπερ ἐπὶ τῶν*, Sosip. $1_{17}$ *περὶ φύσεως*, Euphron. $1_{26}$ *πολὺν ἐποίησας*, $11_3$ *ὁδὸν ἀπέχοντι*. prae ceteris autem notandus est Menandri locus, dico $481_{10}$ *ὄχλος, ἀγορά*, quo incisio etiam augeri videtur interpunctione. quamquam enim sumendum est in pronuntiando tali indice rerum similium pausam haud magnam inter singula verba fieri, tamen id, quod de ceteris locis statuimus, verba arte inter se cohaerere, de hoc loco praedicari non potest. molestissimam igitur esse hanc incisionem hoc in versu pronuntiando quis est quin sentiat?

### 3. Tribrachi ex ternis constant verbis.

A. Compositus est tribrachus ex duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli septemdecim locis: Antiph. $113_5$ *ὃ τὰ κεφάλαια συγ-*

---

[1]) Cf. quae dicit Rumpel Phil. XXVIII, 607: 'während bei diesen (tragicos dicit) die Trennung stets hinter der ersten Kürze eintritt — nur Eur. hat zwei Ausnahmen —, ist bei Aristophanes eine nicht unbeträchtliche Zahl so gebildet, dass die beiden ersten Kürzen demselben Worte angehören'. vide quae de eadem re exposuit Klotz p. 252.

γράφων, $278_1$ τὸ μὲν ἀτυχῆσαι, Anaxand. $17_2$ τὸ μὲν ὑγιαίνειν, Alex. $15_9$ τί γὰρ ἐβοῶμεν, $214_2$ ὁ δὲ Διόνυσος, $278_2$ ὁ μὲν ἀπογηράσκων, Philem. $46_2$ τὸ καθ' ἕνα, Men. $249_7$ τὸ γὰρ ὑποληφθέν, 350 ὅ τε Πολυνείκης, $531_{10}$ τὸ δὲ κεφάλαιον, $537_1$ ὁ μὲν Ἐπίχαρμος, $696_1$ ὁ γὰρ ἀδίκως, $706_2$ ἃ μετ' ὀδύνης, Philippid. $25_1$ ὁ τὸν ἐνιαυτόν, $25_4$ δι' ὃν ἀπέκαυσεν, $25_5$ δι' ὃν ἀσεβοῦνθ', Hegesipp. $1_{24}$ ὁ δὲ παριών. omnino hanc solutionis licentiam Aeschylus sibi non sumpsit, Sophocles ea semel (Phil. 601 τίς ὁ πόθος), Euripides ter usus est.

Vides his locis omnibus terna verba artissime inter se consociata esse. contra Philippid. $25_4$ et $25_5$ bina tantum monosyllaba coniuncta sunt: δι' ὃν, qua re fit ut incisionem illam molestiorem adeo sentiamus.

B. Idem statuendum est de tribus locis, quibus tribrachi ex ternis monosyllabis constant. Eubul. $60_3$ ὅσ' ἂν ὁ μάγειρος, Amph. $33_8$ τί ποτ' ἀφ' ἑκάστου, Men. $540_6$ σὲ δὲ τὸ κάκιστον.

Iam ut ea quae exposui breviter complectar, haec propono: primi pedis tribrachi efficiuntur vel singulis verbis complurium syllabarum vel compluribus verbis arte inter se conexis.

### *b.* De tribrachis alterius pedis.

#### 1. Tribrachus uno verbo formatur.

A. Saepissime prioribus vocabuli syllabis efficitur. hanc formam iam Aristophani usitatissimam fuisse[1]) cum notissimum sit, locos illos quibus ea legitur in poetarum comoediae mediae et novae fragmentis — sunt autem CLXXXXI — adferre omitto. id unum dicam locis illis omnibus tribrachum effici voce quadrisyllaba, ita ut locus detur caesurae primariae, quae penthemimeres vocatur, exceptis sex locis: Ephipp. $8_6$ παραμασύντας, Sophil. $4_3$ ἀνεβόησεν, Alex. $222_8$ παραμασύντην, Philem. $138_2$ ἐπεθεώρησεν, Men. $235_9$ προσαποτίνουσι, $573_1$ παραλογισμός. huius solutionis exempla apud Aeschylum non inveniuntur, extant apud Sophoclem et Euripidem.

B. Ex verbis integris constat tribrachus locis XXXII: Antiph. $34_1$ σπυρίσι, $122_7$ πρότερον, $124_7$ ἕνεκα, $183_2$ σκόροδα, Anaxand. $17_1$ σκόλιον, $52_2$ διότι, Eubul. $75_{13}$ πρόδρομον, $110_2$ ἕνεκα, $110_4$ χόρια, Henioch. $5_1$ ὄνομα, Aristophont. $9_8$ παράθες, $11_8$ πτέρυγας, Amph. $9_4$ στέφανος, Epicrat. $5_4$ ἀμίδα, Timocl. $11_{13}$ Κόρυδος, Theophil. 9 χάρακι, Alex. $15_{17}$ πυρετός, $107_2$ προσιόν, $172_{11}$ μέλιτος, $220_{10}$ καθαρός, Diph. $14_1$ φερόμεν',

[1]) Cf. Rumpel. Phil. XXVIII, 606.

57 χάρακι, $60_5$ ἕτερον, Philem. 48 στόματος, $79_8$ ἀπαλόν, $91_7$ πόλεσι, $101_3$ ἐγένετ', $104_1$ ὄφελος, Lync. $1_{13}$ στόματα, Anaxipp. $6_4$ πρότερον, Euphron. $1_5$ Ῥόδιος, Posidipp. $26_{16}$ στόματα.[1] hanc solutionis formam invenias etsi raro etiam in Aeschylo, Sophocle, Euripide.

C. Mediis verbi cuiusdam syllabis conformatus est tribrachus: Antiph. $19_2$ οἰνοφλυγίαν, $163_5$ ὀξυβαφίων, Eubul. *$37_4$ ἀμπεχόμεναι, $64_1$ ἀμπεχομένης, Nicostrat. $32_2$ ὑποσκαφιόκαρτον, $34_2$ ἐξωρμενικότες, Ephipp. $14_3$ (qui versus uno continetur verbo), $14_{11}$ ἀξιόχρεων, $15_8$ ἀλεκτρυόνιον, Timocl. $3_2$ ὀξυλιπάρῳ, Alex. $176_1$ τετρακότυλον, Philem. $93_1$ τρισμακάρια, Men. $293_2$ Καππαδοκίᾳ, $484_2$ ἡγεμονίαν, Philippid. 31 ἀποστρεφομένης, Posidipp. $18_2$ εὐθανασίας, $28_4$ προσδιατρίβων, $28_5$ εὐτραπελίαν, Damoxen. $2_{28}$ προσφερόμενον, $2_{42}$ συμπλεκομένης. his omnibus locis vides voci post verba tot syllabarum recreationis quendam locum dari caesura illa, quae penthemimeres vocatur, exceptis Nicostr. $32_2$, in quo versu hephthemimeres statuenda est, et Ephipp. $14_3$, qui caesura omnino caret. hoc solutionis genus alterius pedis in Aeschylo frustra quaeras, Sophocles semel id adhibuit in fabula satyrica fr. $143_2$ N. ὡς ναοφύλακες, saepius Euripides.

D. Posterioribus vocabuli syllabis tribrachus efficitur locis XXXV: Antiph. $68_3$ ἀργύριον, $120_1$ εἰσδυόμενος, $273_2$ ἐγκέφαλον, Anaxand. $3_2$ προπινόμενα, 7 περιστέρια, $59_2$ ἐπιχαιρέκακον, Arar. $16_2$ Ἰσχόμαχος, Nicostr. $6_5$ ὀρνιθάρια, *$33_2$ περισκελίδας, Ephipp. $15_{10}$ μικρολόγος, Anaxil. $34_1$ ἀπιστότερος, Clearch. $2_3$ φωνάριον, Heracl. $1_1$ Ἀλεκτρυόνα, Timocl. $9_3$ βουλόμενον, Alex. $45_1$ ὁμοιότατος, 51 ἐπιχαιρέκακος, $116_6$ ὑποκρινόμενον, $158_2$ ἀθάνατον, $186_2$ καθεζόμενος, $186_9$ ἐπεσκέδασα, *$195_5$ ὀνησιφόρον, *Theophil. $11_5$ Ναννάριον, Diph. $64_1$ δειπνάριον, $66_{14}$ ἀμφότερα, Philem. $61_1$ τοὐπτάνιον, Men. $74_6$ ἐγχειρίδιον, $223_{11}$ ἐντιμότερος, $295_2$ Ναννάριον, $402_1$ ἀμφότερον, $405_2$ ἀθυμότερον, $540_5$ ἱμάτιον, *$727_2$ χιτωνάριον, 810 αἰσχυνόμενος, Lync. $1_8$ θρυμματίδα, Apollod. $4_1$ μειράκιον, Baton. $2_7$ τἀργύριον, Epinic. $2_3$ κρουνιζόμενον, Damox. $2_{26}$ πνευμάτια, Straton. $1_{25}$ ἀγροικότερος.[2] Euripides quater tantum in nominibus propriis hac solutione usus est.

## 2. Binis vocabulis efficiuntur tribrachi.

A. Plerique id genus ita conformati sunt, ut thesi terminetur verbum, in arsi soluta proximum incipiat. haec tribrachi forma longe frequentissima est apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem. quare superfluum duco locos, quibus ea legitur in fragmentis horum poetarum — sunt autem CCXXXI — omnes enumerare. de duobus autem locis, quibus

[1] Cf. Klotz. p. 269.
[2] Cf. Klotz. p. 271.

tribrachus conformatus est binis posterioribus verbi syllabis et initio proximi, accuratius agendum esse puto. sunt autem hi: Henioch. $5_{10}$ *ἐλευθέρι᾽ ἀφίκοντο*, Philippid. $27_3$ *ὑπερήφανα ἐγώ*. iam quis quaeso est, quin legendo statim sentiat molestissimam esse talem tribrachi formam? at ipse Euripides bis ita scripsisse videtur: Hel. 700 *Μενέλαε, κἀμοὶ πρόσδοτέ τι τῆς ἡδονῆς*, qui locus, quem adferre solent viri docti, mihi quidem longe aliter comparatus esse videtur. vocula enim monosyllaba, dico encliticam *τι*, quae posita est posterioris arsis syllabae loco, tam arte cohaeret cum voce antecedente, ut de incisione molesta post priorem arsis solutae syllabam cogitari fere nequeat, sed uno quasi vocabulo formetur tribrachus. quare num coniecturae ad hunc locum prolatae e re metrica necessariae fuerint, adfirmare non audeo. longe aliter res se habet in altero Euripidis loco. quis enim dubitat, quin ne Euripidi quidem inter tragicos poetas talis versus adscribi possit: El. 324 *οὐπώποτε χοὰς οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης*. immo cum Porsono scribendum videtur: *οὔπω χοάς ποτ᾽ οὐδὲ* . . . sed iam videamus de versibus supra prolatis. atque Heniochi versus excusationem quandam eo habere videtur, quod duo verba elisione facta quodammodo in unum coalescunt, ita ut continenter pronuntiando quasi contegatur incisio illa parum elegans. Philippidis autem versum graviter corruptum esse etiam hiatu foedissimo confirmatur.[1])

B. Tribrachus constat ex monosyllabo et proximi vocabuli initio locis CVIIII. haec tribrachi forma proxime accedit ad eam, quam supra 2 A descripsimus, dico vocis monosyllabae, qua thesis efficitur, cum verbo quod antecedit coniunctionem. atque adhibentur particulae *δέ, γάρ, μέν, ἄν*, encliticae *τὲ, γὲ, τὶς, τὶ* aliae. iam adferam locos, quibus monosyllabum cum voce insequenti artius coniungendum est: Antiph. $147_2$ *τὸ κομίσαι*, $187_2$ *τὸ μεθύειν*, $202_7$ *ὁ βασιλεύς*, Nicostr. $15_1$ *τὸ μέγεθος*, Anaxil. $30_2$ *ὁ Κραναός*, Xenarch. $12_2$ *τὸ θυγάτριον*, Alex. $15_{15}$ *δέκ᾽ ὀβολῶν*, $159_2$ *ὁ θάνατος*, $186_8$ *τὸ τέμαχος*, $276_1$ *ὁ Βρομίου*, Diph. $40_2$ *τί δύναται*, $66_{10}$ *δέκ᾽ ὀβολῶν*, $88_3$ *ὁ θάνατος*, Philem. $53_5$ *μεθ᾽ ἑτέρου*, $94_4$ *τὰ μεγάλα*, Men. $245_2$ *τὸν ἕτερον*, $542_1$ *τὸν ἀδικοῦντα*, $571_2$ *τὸ μόριον*, $1087_1$ *ἐν ἀγαθοῖς*, 780 *τὸ κατέχειν*, Archedic. $2_6$ *τὸ λάχανον*, Euphron. $4_1$ *τὸν ἴδιον*, Machon. $2_3$ *τὰ παρατεθέντα*, Damox. $2_{34}$ *ὁ φύσεως ἐντός*. apud Sophoclem nonnullas, plures apud Euripidem obviam fieri eiusmodi solutiones satis notum est.

C. Thesis constat ex monosyllabo, arsis soluta ex bisyllabo locis XXVIIII. de hoc solutionis genere, quo saepius Euripides hac in sede usus est, numquam Aeschylus aut Sophocles, idem valet, quod modo dixi-

---

[1]) *ὑπερήφαν᾽ ⟨ἔργ᾽⟩ ἐγὼ μὲν ἐξέστην ἰδών* nuper suspicatus est Kaibel in Athenaei quam curavit editione.

mus. monosyllabum enim cum voce, quae antecedit, artis quasi vinculis consociatum est. iam locos qui huc pertinent enumerabo: Antiph. $20_1$, $129_8$, $144_6$, $177_4$, $277_1$, Anaxand. $40_1$, Eubul. $95_1$, Amph. $23_2$, $33_4$, $36_1$, Ephipp. $16_3$, Epicr. $2_4$, Axionic. $3_1$, Mnes. $8_2$, Diph. $4_3$, $43_9$, Philem. $88_9$, Men. $530_{17}$, $319_{12}$, $404_9$, $460_3$, $620_2$, Euphron. $1_{15}$, Posidipp. $27_{10}$. monosyllabum unum quasi verbum efficit cum bisyllabo coniunctum his locis: Antiph. $168_3$ *τὸ γένος*, Philem. $90_1$ *τὰ κακά*, $98_1$ *τὸν ἀγρόν*, Men. $166_3$ *τὰ μετὰ ταῦτ'*, Apollod. $4_3$ *πρὸς ἐμέ*, Sosipat. $1_{36}$ *τὸ περὶ τῆς*.

D. Tribrachus efficitur verbi cuiusdam syllaba ultima et bisyllabo insequente locis XXXVIII: Antiph. $24_3$, $48_2$, $164_3$, $191_2$, Eubul. * $7_{10}$, $20_3$, $107_{22}$, Arar. $17_2$, Amph. $1_4$, Ephipp. $9_1$, Epigen. $7_2$, Dionys. $2_{20}$, $2_{36}$, Sotad. $1_8$, Timocl. 24, Xenarch. $7_{13}$, $7_{16}$, $10_2$, Alex. $41_1$, $125_{11}$, $172_4$, 213, $245_9$, Diph. $43_{22}$, $43_{36}$, $88_1$, Philem. 24, $92_5$, $126_1$, Men. $67_3$, $320_4$, $531_8$, $670_2$, $714_2$, 824, Anaxipp. $8_2$, Hegesipp. $1_{26}$, Sosipat. $1_{16}$, Epin. $2_5$. his omnibus locis bisyllabum arte conexum est cum voce, quae sequitur; unus exceptus est Eubuli versus $119_5$ *φασί ποτε*, ubi vocabula ipsa, quibus tribrachus conficitur, coniungenda sunt. hanc solutionem Aeschylus non adhibuit, semel Sophocles (El. 1264 *τότ' εἶδες, ὅτε*), haud raro Euripides.

E. Tribrachus constat ex bisyllabo et proximi vocabuli initio: Antiph. $55_{12}$ *πάνυ πολύς*, $124_2$ *παρὰ πότον*, $177_3$ *κακὸν ἔχω*, * Anaxand. $62_2$ *ὑπὲρ ἐμοῦ*, Alex. $280_2$ *κατὰ τρόπον*, Philem. $161_2$ *ὅταν ἐνέγκῃς*, Men. $426_2$ *διὰ τύχην*, $543_2$ *ὑπό τινος*, $549_2$ *παρὰ θεῶν*, $564_2$ *παρὰ γυναικός*, $579_1$ *ὑπό τινων*, $819_1$ *κατὰ λόγον*, Apollod. $13_{15}$ *κατὰ μέρος*, Hegesipp. $1_8$ *κατὰ μέρη*, Damox. $2_{19}$ *περὶ δύσιν*, $2_{20}$ *ὑπὸ τροπάς*. cum his locis omnibus bina verba arte inter se conexa sint, hoc solutionis genus, quod Euripides ter admisit, proxime accedit ad id, quod primo loco descripsimus.

F. Tribrachus constat ex bisyllabo et monosyllabo: Antiph. $140_3$ *μαλακὰς σφόδρα, δι' ἅς*, Baton. $5_4$ *διὰ σέ*. Batonis locus, quo verba, quae tribrachum efficiunt, artius inter se coniuncta sunt, ei solutionis generi adnumerandus est, quo praepositio bisyllaba cum substantivo proxime consociatur. quod autem adtinet ad Antiphanis versum, quis quaeso eum sine molestia pronuntiare possit? quare cum inaudita videatur talis solutio, hac ex re ipsa concludendum est, quod Kockius ex verbis intellexit, hunc versum graviter corruptum esse.[1])

### 3. Ex tribus vocabulis compositus est tribrachus.

A. Formatur ita, ut thesis clausula vocabuli, soluta arsis monosyllabo et initio proximae vocis efficiatur. referenda est haec solutio, quam

[1]) Cf. Kockii adnotationem ad hunc locum; adde Klotz. p. 252.

semel admisit Aeschylus, semel Sophocles, plus semel Euripides, ad eam, quam supra 2 A illustravimus; omnibus enim locis, qui sunt duodequadraginta, vox monosyllaba coniungenda est cum voce, quae sequitur. legitur enim articulus: Antiph. $86_4$ ἄκοντας ὁ Χάρων, $125_6$ πωλοῦσι τὸ μέλι, $209_4$, $226_6$, $243_3$, 292, Axionic. $6_{16}$, Dionys. $4_3$, Sotad. $1_3$, Timocl. $4_4$, $8_4$, Alex. $15_3$, $15_{13}$, Diph. $17_{11}$, $43_{26}$, Philem. $148_1$, $158_1$, $166_1$, Men. $209_2$, $247_5$, $319_{10}$, $482_4$, $518_9$, $519_3$, $555_1$, $579_2$, Apollod. $16_2$, Hegesipp. $1_4$, $2_1$, Euphron. $10_{16}$, praepositio: Antiph. $144_4$ γεωργὸς ἐν ὅσοις, $175_2$ φοίνικας ἐν Ἀθήναις, Amph. $34_2$, Diph. $38_5$, Men. $536_4$, pronomen relativum: Antiph. $221_2$ γεγάμηκεν, ὃν ἐγώ, Amph. $14_3$ ἡμέτερον, ὃ θεάτρῳ, coniunctio ἵνα Dionys. $3_{17}$ πάροδον ἵν' ἔχῃς.

B. Tribrachus constat clausula verbi ac duobus monosyllabis insequentibus: Men. $97_3$ ἔμπειρος, ὁ δὲ χρόνος, Apoll. Car. $5_6$ εἰδυῖα, τί τὸ κακόν, Posidipp. $1_5$ πονηρόν, ὁ δέ; adde Amph. $6_1$ ἀγαθὸν ὅ τι ποτ' ἐστίν, Alex. $135_2$ ἐντεῦθεν ὅ τι βούλει. cum monosyllaba cum proximo vocabulo coniungenda sint, talem solutionem habemus, qualem supra 2 A notavimus. semel eam admisit Aeschylus, saepius Euripides.

C. Tribrachus compositus est ex duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli. id solutionis genus in fragmentis, de quibus agitur, quattuordecim locis legitur, semel apud Sophoclem, saepius apud Euripidem. omnes autem qui huc pertinent loci in duas distribuendi sunt classes. etenim vox monosyllaba coniuncta est aut cum voce, quae antecedit, aut cum ea, quae sequitur, ita ut formam 2 A statuere liceat. iam inspicias hos locos: Axionic. $6_4$ ὀστῶν τε τὸ μέγεθος, Dionys. $4_2$ πλάνον τιν' ἐν Ἀθήναις, Alex. $70_4$ ἀδικεῖ τε τὸν Ἔρωτ', $116_8$ νοεῖς σὺ τὸ γένος, 228 ἤδη γὰρ ὁ βίος, Men. $533_1$ ἀπολεῖ με τὸ γένος, 795 ἔχει τι τὸ πικρόν, Apollod. $13_3$ ποῖός τις ὁ λέγων, Philippid. $15_5$ ἕτερόν τι τὸ λέγειν. contra singula verba ita inter se cohaerent, ut revocemur ad formam 1 A: Xenarch. $3_1$ σὺ μὲν ἐμοί, Philem. $162_2$ τό τε κακόν, Men. $676_2$ τό γε φρονεῖν, 776 ἃ δὲ λέγεις, Lync. $1_7$ ὁ μὲν ἔχει.

D. Tribrachus constat ex tribus monosyllabis: Men. 838 οἶμαί σε τὸν ἐπ' ἀριστέρ'. referendus est hic versus ad formam 3 C sive malis ad 2 A.

Iam ut paucis verbis complectar quae exploravimus, haec propono: alterius pedis tribrachi duplici modo conformati sunt. efficiuntur enim aut unius verbi syllabis vel compluribus verbis arte inter se cohaerentibus, quae forma Rumpelio teste usitatissima fuit Aristophani — aut duobus verbis vel adeo compluribus in duas partes discedentibus, ut incisio fiat post thesim ⏑ | ⏑⏑, quod tribrachi genus unum fere usitatum fuit poetis tragicis. atque quod numerum locorum adtinet, poetae, de quibus agimus, magis ad formam, qua utebantur tragici, se accommodant quam ad Aristophanis consuetudinem.

### c. De tribrachis tertii pedis.

#### 1. Tribrachus constat ex uno vocabulo.

A. Conformatus est prioribus vocabuli syllabis locis triginta: Antiph. $62_2$ σκορόδια, $74_2$ ἐνέχυρον, *$87_4$ ταχύτατα, *$152_1$ προσέλαβον, Anaxand. $53_4$ ἐνίοτε, Eubul. $38_1$ βατάνια, $38_2$, Amph. $3_2$, Axionic. $7_1$, Alex. $15_{11}$, $62_8$, *$97_4$, $120_2$, $168_3$, $261_9$, Diph. $43_{24}$, $61_5$, $80_3$, Philem. $28_7$, $120_4$, Men. $142_1$, 250, $319_3$, $319_{14}$, 377, $534_{13}$, $708_2$, Euphron. $1_8$, $8_6$, Baton. $8_{11}$. de his locis omnibus eadem lex valet, quam statuimus in primi pedis tribrachis describendis, qui eodem modo conformati sunt. legimus enim voces quadrisyllabas, quarum accentus cum versus ictu concinit; praeterea talibus verbis, quae sunt complurium syllabarum, caesurae semiseptenariae locus datur. ab hac lege tres tantum loci abhorrent: Anaxand. $55_1$ παρακαταθήκην, Clearch. $1_2$ ἐπονομάσας, Men. $600_2$ Ἀβροτόνιον. huius solutionis, quae usitatissima fuit Aristophani, apud Aeschylum et Euripidem nullum exemplum invenitur, unum apud Sophoclem (Oed. Col. 1316 τρίτος δ' Ἐτέοκλος) idque in nomine proprio, quod sequitur legem supra constitutam.

B. Ex integro constat verbo: Antiph. $277_1$ πέπερι, Eubul. $74_1$ σχαδόνες, Anaxil. $21_1$ μέτρια, Alex. $135_{12}$ ἔλαβες, Dionys. $2_{24}$ γέγραφε, Men. $481_5$ ἑκατόν, Posidipp. $1_6$ ἔνια.[1] numquam Aeschylus et Euripides, semel Sophocles (El. 1361 πατέρα) iambi loco vocem trisyllabam adhibuit.

C. Posterioribus verbi cuiusdam syllabis tribrachum confici recte Klotz p. 272 negat.[2] sic semel Aeschylus (Eum. 485 μαρτύρια), semel Sophocles (Oed. R. 301 οὐράνια), numquam Euripides.

D. Continetur mediis verbi alicuius syllabis: Timocl. $21_1$ ἀσπασάμενος. huius formae exemplum non legitur apud tragicorum principes.

#### 2. Tribrachus efficitur binis vocibus.

A. Continetur thesis clausula vocabuli, solutae arsis tempora prioribus proximi verbi syllabis. tali modo plerisque locis — sunt CXIII — poetae, de quibus agimus, tragicorum exemplum secuti huius pedis tribrachos conformaverunt. atque re vera haec forma elegantissima videtur, quippe qua caesura principalis, quae est penthemimeres, bene ad aures accidat. adhibuerunt eam Antiph. $1_4$, $26_{18}$, $55_2$, $86_2$, $124_3$, $125_6$, $144_5$, $167_1$, $169_2$, $169_3$, $199_2$, $209_8$, $233_4$, $238_2$, $239_3$, $241_2$, $246_4$, $279_1$, $324_4$, Anaxand. $4_2$, $33_2$, $55_3$, Eubul. $53_4$, $57_6$, $82_8$, $128_1$, $151_3$, Philetaer. $6_2$, $6_3$, Aristophon $8_2$, Crat. iun. $9_4$, Amphis $3_1$, $3_4$, $14_8$, $17_4$, Ephipp. $9_2$,

---

[1]) Cf. Klotz. p. 270, qui non omnes adtulit locos.

[2]) Alex. $84_2$ corruptum est.

Epicrat. $6_2$, $8_2$, Nausicrat. $1_{12}$, Eriph. $3_4$, *Henioch. $1_3$, Mnes. $7_5$, $9_2$, Sophil. $3_1$, Sotad. $1_{28}$, Timocl. $8_{13}$, $25_4$, $31_1$, $31_2$, Alex. $7_2$, $15_3$, $25_{12}$, $45_7$, $48_2$, $110_{10}$, $110_{15}$, $125_8$, $125_{10}$, $172_{18}$, $174_{10}$, $176_1$, $186_7$, $187_4$, $209_3$, $230_3$, $267_1$, $280_1$, Diph. $32_{27}$, $43_{16}$, $43_{39}$, Philem. $28_5$, $76_3$, $79_{12}$, $108_1$, $116_3$, $184_1$, $186_1$, 201, Men. $51_2$, *$126_2$, $132_1$, $173_2$, $203_1$, $223_9$, $223_{15}$, $235_8$, 258, $260_2$, $272_2$, $281_3$, $321_2$, $354_4$, $547_9$, $583_2$, $591_1$, 805, $660_2$, $615_2$, $616_1$, 802, Lync. $1_{20}$, Archedic. $3_5$, $3_{10}$, Apoll. Car. $5_{24}$, $27_2$, Apoll. $13_6$, Sosipat. $1_{50}$, Euphro $1_{34}$, $11_{16}$, Posidipp. $1_3$, Damox. $3_{11}$, Stephan. $1_2$, Strato $1_7$, $1_{40}$, Theogn. $1_{10}$.

B. Formatur monosyllabo et prioribus proximi vocabuli syllabis. ut apud tragicos sic etiam hic monosyllabum artissime cohaeret cum voce antecedenti, ut haec forma nihil differat ab ea, quam modo descripsimus. legimus enim particulas *μέν*: Antiph. $18_2$, Men. 848, Posidipp. $26_{10}$, *δέ*: Timocl. $9_1$, Theophil. $2_1$, $8_5$, Diph. $100_2$, Philem. $42_1$, Apollod. $13_{17}$, *γάρ*: Anaxand. $39_2$, Eubul. $80_1$, Nicostrat. $15_1$, Straton. $1_{30}$, voculas encliticas: pron. indef. *τὶς*: Antiph. $74_{10}$, Philetaer. $7_3$, Alex. $172_{13}$, Philem. $91_4$, $117_2$, Men. $440_2$, Posidipp. $23_4$, pron. person. *μὲ*: Men. $338_1$, *τὲ*: *Eubul. $19_5$, Nicostr. $4_1$, Epicrat. $2_{19}$, Alex. $147_2$, $234_3$, *ποτὲ*: Men. $363_1$, praeterea: Anaxil. $23_2$ *τρὶς ὕδατος*, Men. $531_1$ *ἐγένου σύ, Τρόφιμε*.

Ad alteram tribrachi speciem, qua verba quae inter se cohaerent coniunguntur, spectant hi versus: Antiphan. $26_7$ *Καλλιμέδων, σὲ κατέδετ'*, $68_2$ *σὺ δ' ἀγοράσεις*, Anaxand. $52_{10}$ *τὸ παράπαν*, Anaxil. $34_2$ *ὑπ' ἀπιστίας*, Timocl. $27_3$ *πρὸς ἕτερον*, Alex. $2_4$ *τὸ φανερόν*, $24_3$ *τὰ βατάνι'*, $110_{22}$ *τὰ λοπάδι'*, $216_1$ *τὸ μέτριον*, Men. $176_1$ *τὸ καταγελᾶσθαι*, $395_2$ *τὸ συνόλον*, $421_1$ *τὸ φρόνιμον*, $448_2$ *τὸ μέγεθος*, Criton. $3_6$ *τρί' ἀγαθά*, Posidipp. 34 *ὁ μυρίνης*.

C. Exprimitur fine vocabuli et bisyllabo: Antiph. $58_3$ *μῆλα, Β. καλά γε*, $70_2$ *κρόμμυ', ἅλας*, $110_2$ *ὀρθὰ τρία*, $194_{11}$ *ἔλεγεν· ὅσα*, $196_{10}$ *δεῦρο, νενομένων*, Amph. $33_5$ *οὖσα, διά*, Eriph. $2_3$ *μῆλα, Β. καλά γε*, Sotad. $1_7$ *κύμινον, ἅλας*, Timocl. $22_1$ *μεταξὺ μετὰ κορίσκης*, Alex. $2_3$ *εἶπα, δύο γάρ*, $182_6$ *πεποίηκε διά*, $250_4$ *δοτέον ἔτι*, $265_8$ *ἀφείλεθ' ὅσα*, Philem. 17 *εἶδον ἐπὶ 'τραπέζῃ*, $88_4$ *πλεῖστα διὰ τέλους*, $142_2$ *βουνός; ἵνα*, 196 *ἐστι κακόν*, Men. 178 *τάριχος, ἅλας*, 779 *ἄκρατος ὀλίγ'*, 1111 *εὐλάβεια καλὸν ἔθος*, Euphron. $10_8$ *διδόντας ὅσον*, Damox. $2_{12}$ *μάγειρον, ὅταν ἴδῃς*. bisyllabum semper cum proximis vocibus cohaeret, ita ut caesura aperte locum habeat. quare conferas ea quae ad formam 2 A adnotavimus. idem valet de hac forma:

D. Efficitur monosyllabo et bisyllabo: Alex. $239_2$ *ἄν τις, ἐπὶ τὸ δεῖπνον*, Philem. $60_2$ *ἔχω γάρ, ὅτι*, Men. $96_2$ *φέρει γὰρ ὅσα*, $340_2$ *ἐκεῖ γὰρ ὑπό τιν'*, $594_2$ *δὲ κατὰ φύσιν*, 1097 *τι παρά τινος*. diversum est Philippid. $25_5$ *ὁ πέπλος*, quo loco coniungenda sunt articulus et bisyllabum.

E. Constat ex bisyllabo et verbi alicuius insequentis initio: Apollod. $17_2$ *κατὰ τρόπον*, quae artissime cohaerent, cf. 1 A.

3. Tribrachus componitur ex ternis vocibus.

A. Thesis in clausulam verbi incidit; prius arsis tempus monosyllabo, alterum initio sequentis vocis efficitur. haec solutionis forma non multum distat ab ea, quam usitatissimam esse repperimus, dico 2 A, quia monosyllabum cum proximo verbo coniunctum omnibus locis in unum quasi corpus coalescit. legitur enim articulus: Antiph. $226_6$ *τοιοῦτος ὁ βίος*, Anaxand. $1_4$ *δῆτα τὸν ἐπιδέξι'*, $45_3$ *Πολύευκτος ὁ καλός*, Philetaer. 11, Dionys. $3_6$, Alex. $15_{12}$, $173_{12}$, $175_2$, $257_3$, $261_{13}$, $262_6$, Diph. $33_7$, $66_3$, $74_6$, Philem. $90_6$, $90_7$, $149_2$, $170_1$, $234_2$, Men. $176_2$, $533_{13}$, $555_1$, $564_1$, $563_3$, Phoenicid. $4_{10}$, Stephan. $1_1$, praepositio: Sotad. $1_{10}$ *ἐστὶν ἀπ' ὀβελίσκων*, Men. $302_4$ *μακάριος ἐν ἀγορᾷ*, Straton. $1_{14}$ *δεῖνα· κατ' ὄνομ'*, praeterea: Antiph. $33_5$ *πέζα· τί μακρά*, Eubul. $107_5$ *τοῦτο; τί ἀπορεῖς*, Strato. $1_{44}$ *ἕκαστα τί δύναται*, Philem. $155_2$ *ἱερεῖον, ἵν' ὅταν*, Men. 437 *λιβανωτόν· σὺ δ' ἐπίθες*, $537_7$ *λοιπὸν ἄρ' ἐπιθυμίαι* (animadvertas quaeso elisionem).

B. Expressus est clausula vocabuli et duobus monosyllabis quinquies: Epigen. $6_3$ *ἀλλὰ τί καθ' ἕκαστον*, Dionys. $2_{18}$ *τοιοῦτος, ὁ δὲ μάγειρος*, Alex. $227_1$ *οὗτος, ὁ τὰ γέλοι'*, Men. $290_3$ *ἐστιν, ὁ δὲ πονηρός*, Hegesipp. $2_2$ *αὐτὸν ὅ τι ποτ'*. hac quoque forma, qua Sophocles bis, haud raro Euripides usus est, ad 2 A revocamur. neque aliter res se habet de hac forma:

C. Formatur duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli, quae septies invenitur: Antiph. $106_5$ *δὲ τὸν ἕτερον*, $106_7$ *δὲ τὸ γόνυ*, Alex. $278_4$ *δάκνει γάρ, ὁ δ' ἱλαρούς*, Men. $549_5$ *δὲ τὰ κακά*, $696_1$ *τι καθ' ἑτέρου*, Apollod. Gel. $4_1$ *τι τὸ κεφάλαιον*. singulare est Men. $552_4$ *τὸ δὲ τάχος*, quae voces inter sese cohaerent. talis solutio non extat apud Aeschylum et Sophoclem, invenitur novies apud Euripidem.

D. Formatus est ex tribus monosyllabis Antiph. $34_1$ *ἐν ταῖς σπυρίσι δὲ | τί ποτ' ἔνεστι*. haec solutio semel invenitur apud Sophoclem (Oed. R. 749 *ὀκνῶ μέν, ἃ δ' ἂν ἔρῃ*), quinquies apud Euripidem.

In universum easdem in tertio pede tribrachi formas invenimus, quas in altero pede statuimus. quare conferas quae diximus p. 337. differunt tamen eo quod tertio in pede longe plurimi tribrachi ita conformati sunt, ut incisio fiat post thesim. neque id mirum est; post tertii pedis thesim enim sedes est caesurae principalis, quae dicitur penthemimeres.

### *d.* De tribrachis quarti pedis.

1. Tribrachus uno vocabulo efficitur.

A. Exprimitur prioribus vocis syllabis: Antiph. $187_4$ *βασιλέως*, $206_4$ *ἐπριάμην*, *$246_1$ *διάφορα*, Anaxand. $33_{11}$ *κορακίνους*, *$45_4$ *κατεκόπης*, Eubul. $11_2$ *Χαριάδῃ*, Aristophont. $3_1$ *διοπετεῖς*, *Ephipp. $15_1$ *ἀγόρασον*, Epicrat. $9_1$ *κατάρατος*, Dromo. $1_3$, Diodor. $2_{13}$, $2_{19}$, Timocl. $27_5$, Crat. iun. $10_2$, Alex. $27_3$, $36_6$, $46_6$, $87_4$, $124_{14}$, $173_7$, $244_1$, $297_4$, Diph. $32_9$, $87_3$, Philem. $2_3$, Men. $102_2$, $201_5$, $360_1$, $536_2$, $539_5$, $599_3$, $581_1$, $604_2$, $705_2$, 851, Lync. $1_{12}$. hanc solutionis formam, a qua Aeschylus et Sophocles abhorrent, reperimus apud Euripidem.

B. Integro vocabulo formatur: Antiph. $89_5$ *λαμυρόν*, Anaxand. $33_3$ *λοπάδος*, Eubul. $31_2$ *κέραμον*, Nicostr. $15_4$ *μέλιτι*, Amph. $36_3$ *πατρίδος*, Epicr. $2_{18}$, $5_8$, $9_3$, Timocl. $10_4$, $34_1$, Theophil. $7_1$, Alex. $135_4$, $141_5$, $188_2$, $291_2$, Diph. $17_6$, Philem. $42_3$, $161_2$, 188, Men. $663_2$, $393_4$, $482_7$, Apoll. Car. $5_3$, $24_3$, Apollod. $7_5$, $7_7$, $13_1$, Anaxipp. $1_{11}$, $1_{15}$, Epinic. $1_5$, Phoenicid. $2_1$.[1]) hoc solutionis genus semel offert Aeschylus, semel Sophocles, saepius Euripides.

C. Efficitur posterioribus vocis syllabis: Antiph. $122_6$ *γινόμενον*, $266_1$ *μισθοφόρος*, Anaxand. $9_3$ *ἡμέτερον*, Eubul. $69_1$ *γραμματικόν*, $72_1$, Nicostr. $10_1$, Ephipp. $10_2$, $15_4$, *Epicrat. $10_1$, Clearch. $1_3$, Timocl. $8_{14}$, Xenarch. $10_1$, Alex. $46_4$, $62_6$, 88, $90_3$, $127_4$, $179_3$, $261_{10}$, Diph. $43_{26}$, Philem. $97_6$, $137_2$, Men. $109_4$, *$376_2$, $518_3$, *$519_4$, $632_2$, Hipparch. $1_2$, Anaxipp. $1_6$, Euphron. $3_4$, $11_{13}$, Phoenic. $4_{20}$, Posidipp. $26_{22}$.[2]) his omnibus locis legimus verba quattuor syllabarum hoc modo conformata: ‖— ◡ ◡ ◡ atque ita composita ut antecedat caesura semiquinaria. eadem forma invenitur apud tragicos.

D. Continetur mediis vocis syllabis: Antiph. $86_6$ *ἀθανασίας*, Eubul. $56_3$ *ψηφοπεριβομβήτριαν*, Crat. iun. 14 *ἡδυπότιδας*, Ephipp. $14_4$ *ληψιλογομίσθῳ*, Axionic. $6_2$ *Πτερνοκοπίδος*, Diodor. $2_{11}$ *συγκατακλιθείς*, Alex. $33_4$ *ἐκλεγόμενος*, Diph. 49 *ψωμοκόλαφον*, $87_4$ *θερμοκνάμους*, Men. $364_3$ *δωδεκάποδος*, $518_{12}$ *ἀντιπαρατεταγμένη*. haec verba omnia hoc modo incipiunt: ‖— ◡ ◡ ◡, ut idem valeat, quod supra diximus. unus exceptus est locus Henioch. $5_{17}$ *ἀριστοκρατία*, quo loco caesurae trochaicae non est locus. huius usus exemplum nullum extat apud Aeschylum et Sophoclem, unum (Ion. 54 *χρυσοφύλακα*) apud Euripidem, quo loco eadem verbi conformatio ‖— ◡ ◡ ◡ notanda est.

---

[1]) Cf. Klotz. p. 270.

[2]) Cf. Klotz. p. 272.

## 2. Tribrachus efficitur binis verbis.

A. Thesi terminatur verbum alterum, in solutae arsis temporibus incipit verbum quod sequitur. haec tribrachi forma ut tragicis fuit unice fere usitatissima, ita etiam apud poetas, de quibus agitur, longe frequentissima est. quare non omnes locos, qui sunt trecenti fere, adfero. ac revera haec forma pedi quarto fuit accommodatissima, quippe qua bene prematur caesura trochaica semiseptenaria. ad eandem formam omnia tribrachi genera condita sunt, quae infra illustrabimus.

B. Tribrachus constat ex monosyllabo et proximi verbi initio. monosyllabum arte cum voce, quae antecedit, conectitur. est enim plerumque particula, veluti *γάρ*: Antiph. $161_2$, $164_2$, Nicostr. $20_3$, Mnes. $3_7$, Alex. $96_2$, Philem. $105_2$, Men. $94_4$, $533_7$, $574_2$, *μέν*: Anaxand. $39_{10}$, Eubul. $94_2$, Eriph. $2_9$, Xenarch. $7_{15}$, Alex. $135_{14}$, Philem. iun. $2_4$, Men. $404_7$, *δέ*: Antiph. $167_2$, $202_{13}$, Anaxand. $39_3$, Amph. $14_4$, Alex. $16_3$, $128_5$, $163_6$, Philem. $104_2$, Apollod. $13_{14}$, *ἄν*: Phoenic. $4_1$, in primis vocula quaedam enclitica, veluti pron. *τὶς*: Antiph. $125_2$, Anaxand. $33_{14}$, Amph. $30_5$, Nicostr. $32_2$, Crat. iun. $7_1$, Ephipp. $8_2$, Sophil. $4_3$, Alex. $193_1$, Diph. $66_5$, Philem. $7_3$, $79_{11}$, Men. 431, $534_{10}$, Sosipat. $1_{56}$, Damox. $2_{33}$, pron. pers: Anaxil. $30_1$, Philippid. 32, Euphron. $1_{29}$, *ποτὲ*: Philem. $2_2$, *τὲ*: Archedic. $2_{11}$. adde his Eubul. $116_7$ *νὴ Δί' ἀπολοίμην*, Alex. $196_3$ *νὴ Δί'*, *ἱερεῖον*, $173_3$ *λέγεις σύ; ποδαπός*, Men. $128_{16}$ *ὃν σὺ κατορύξας*, Phil. $131_1$ *τοῦϑ' ἓν ἐπιεικῶς*.

Qui repugnant huic legi tribrachi, ad alterius schematis normam conformati sunt, quod efficitur unius vocabuli syllabis: Antiph. $196_6$ *ἐν ἀγορᾷ*, Anaxand. $15_2$ *τὸ μελετητήριον*, Timocl. $32_3$ *τὸν ἀριϑμόν*, Alex. $155_1$ *τὸ βάραϑρον*, Diph. $32_{22}$ *τὰ λάχανα*, Philem. $88_{12}$ *τὸ παρέχειν*, Men. $462_7$ *τὰ κεκαρυκευμένα*, *$720_1$ *ἐπ' ἀρότῳ*, Philippid. 10 *τὰ λάχανα*, Euphron. $10_2$ *ἃ μεμάϑηκας*, Machon. $2_7$ *ἔτ' ἐπιδεῖται*. atque eadem usi lege tragici tribrachum conformaverunt.

C. Tribrachus constat ex clausula verbi et bisyllabo. in hac tribrachi forma frequentissima legitur plerumque praepositio bisyllaba, veluti Antiph. $58_5$, $123_7$, $159_7$, *$182_1$, $190_7$, Anaxand. 35, Eubul. $8_3$, $76_1$, 136, Aristophont. $11_9$, $12_8$, Amph. $33_6$, Epicrat. $2_{10}$, Axionic. $2_2$, Eriph. $2_5$, Timocl. *$3_1$, $28_2$, Alex. $24_4$, $76_5$, $110_1$, $110_{23}$, $135_{13}$, $265_7$, Diph. $32_{21}$, $44_4$, $48_1$, $64_3$, $83_2$, Philem. $10_2$, $93_2$, $101_3$, $106_4$, $128_3$, $131_3$, Men. $59_2$, $530_{22}$, $460_4$, $561_2$, $658_2$, $671_1$, 766, 788, 813, Apollod. Car. $11_1$, Hegesipp. $1_1$, Sosipat. $1_{49}$, Posidipp. $2_2$, $12_5$, Damox. $2_{27}$, $2_{54}$, $2_{56}$, Stephan. $1_3$, Straton. $1_6$, $1_7$, $1_{10}$, $1_{32}$.[1]) item enuntiatum per coniunctionem bisyllabam

---

[1]) Cf. Rumpel. p. 607: 'Endlich wollen wir noch bemerken, dass im vierten Fusse die zweisilbigen Präpositionen . . stark vertreten sind'.

adiungitur: Antiph. $24_2$, $120_1$, $202_3$, $222_4$, $234_5$, $243_1$, $257_1$, Anaxand. $2_2$, Eubul. $99_1$, Nicostr. $15_5$, Ephipp. $8_1$, $15_{11}$, Axionic. $6_{10}$, Dionys. $2_{10}$, $3_{11}$, Timocl. $32_4$, Alex. $125_6$, $141_7$, $172_4$, Diph. $18_2$, $94_2$, Philem. $125_3$, Men. *$356_1$, $481_3$, $531_{16}$, 767, Euphron. $1_4$, Baton. $7_5$. alio modo conformati sunt loci hi: Antiph. $196_{17}$ *ἔστι φύσις*, Eubul. 55 *λάγνα ταχὺ τὰ ποικίλα*, $119_3$ *ὄντα δύο λογίζομαι*, Ephipp. $11_2$ *ἀλλὰ τρία καὶ τέτταρα*, Henioch. $5_3$ *ἀνοηταίνουσι πολὺν ἤδη χρόνον*, $5_{14}$ *κατέχουσα πολὺν ἤδη χρόνον*, Mnes. $8_4$ *κατεσθίουσι πόλιν Ἀχαικήν*, Sophil. $3_1$ *ἐδίδοτ' ἴσον ἴσῳ*, Timocl. $5_1$ *Κτήσιππος ἔτι*, $7_1$ *Τελέμαχος ἔτι*, $23_2$ *ἡνίκ' ἔτι*, Alex. $216_2$ *οὔτε κενός*, $226_2$ *βέλτιον ἕνα*, Diph. $38_5$ *ἐνιαυτὸν ἕνα θεῖναι λίθον*, Philem. $132_3$ *ἄνδρα κακόν ἐστιν*, Men. 136 et 476 *οὐδὲ λοπάδ' αἰτούμενος*, *$420_1$ *ἕστηκας ἔτι*, $485_1$ *τοῦτο μόνον*, $581_3$ *τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν*.

D. Tribrachus constat ex monosyllabo et bisyllabo: Antiph. $58_3$ *καλά γε. Α. καλὰ δῆτ'*, $159_8$ *γε· πολὺ γάρ*, $235_4$ *γὰρ ἀπὸ τῶν*, $271_2$ *δὲ πάνυ φροντιστικός*, Eubul. $88_3$ *δὲ μέχρι τριωβόλου*, $120_2$ *δὲ μόνον*, Nicostr. $19_3$ *δὴ σύ. Γ. φέρε*, Amph. $14_5$ *'στί. Β. διὰ τί*, $33_7$ *ἢ δὲ διὰ τό*, Ephipp. $14_2$ *τις ὑπὸ Πλάτωνα*, Eriph. $2_3$ *γε. Α. καλὰ δῆτ'*, Diodor. $2_{22}$ *τις ἔτι σαφέστερον*, Alex. $163_3$ *γὰρ ὅτι*, Diph. $43_{22}$ *γὰρ ἔνι*, Philem. $7_1$ *γὰρ ἐπὶ τό*, Men. $4_4$ *γὰρ ἅμα τι*, $319_{13}$ *τις ἅμα*, $519_2$ *τὸν δὲ Δία*, Sosipat. $1_{22}$ *σε περὶ τοῦ*, Machon. $2_8$ *σὺ μέχρι ἄν*. monosyllabum cum voce, quae antecedit, bisyllabum cum vocabulo proximo cohaeret locis paucis exceptis, dico *Alex. $4_1$ *ὁ τρίτος*, *Xenarch. $10_1$ *τὸ κακόν*, Men. $155_3$ *τὸ τρίτον*, Anaxipp. $1_8$ *ὁ Κρόνος*. eiusmodi solutione etsi per se non molesta numquam Aeschylus usus est, semel Sophocles in fabula satyrica fr. 336 *τις ὄνος*, raro etiam Euripides. iam in primo pede talem tribrachi formam repperimus, quam molestam esse statuimus (cf. p. 332), eam dico, qua incisio fit post priorem arsis solutae syllabam: ⏑⏑́ | ⏑ :[1])

E. Exprimitur bisyllabo et proximi vocabuli initio: Antiph. $168_2$ *ὑπό τινος*, Alex. $36_1$ *περὶ λόγους*.

F. Formatur bisyllabo et monosyllabo: Eubul. $127_2$ *εἰς ἐμὲ σύ*, Alex. $135_3$ *πάνυ γε*. haec tribrachi forma, quam nusquam admiserunt tragici, Aristophanes in quarta sede vicies quinquies, locis supra adlatis ea re excusationem habere videtur, quod voculae illae artissime cohaerent et pronuntiando ita coniunguntur, ut nemo sentire possit incisionem illam molestam.

### 3. Tribrachus constat ex ternis vocibus.

A. Continetur clausula verbi, monosyllabo, denique initio verbi proximi. hoc tribrachi genus, quod admiserunt Sophocles et Euripides,

---

[1]) Cf. Klotz. p. 252.

ad usitatissimam illam formam 2 A proxime accedit, cum omnibus locis monosyllabum cohaereat cum voce, quae proxime sequitur. ac plerumque monosyllabum illud est articulus, veluti Antiph. 55$_9$, 58$_8$, 144$_6$, 169$_1$, 191$_6$, 191$_{18}$, Anaxand. 1$_5$, Eubul. 94$_9$, Anaxil. 33$_5$, Henioch. 4$_{10}$, Alex. 43$_1$, 108$_4$, 204$_3$, 214$_2$, 230$_3$, 242$_3$, Diph. 23, 83$_1$, Philem. 31$_4$, 97$_5$, 153$_1$, 193$_1$, Men. *6$_1$, 70$_2$, 129$_4$, 157$_1$, 164$_3$, 594$_3$, 635$_1$, Lync. 1$_7$, Anaxipp. 1$_{25}$, Hegesipp. 1$_{10}$, Baton. 4$_5$, Phoenicid. 4$_{15}$, Posidipp. 1$_4$, 27$_4$, Damox. 2$_{48}$, 2$_{57}$, vel praepositio, veluti Antiph. 68$_5$, 166$_2$, 222$_3$, 253$_3$, Nicostr. 1$_3$, Dionys. 3$_{13}$, Henioch. 5$_5$, Sotad. 1$_{35}$, Timocl. 6$_3$, Alex. 105$_1$, 146$_6$, 247$_3$, Philem. 90$_{10}$, 169$_1$, 234$_2$, Men. 223$_{12}$, 302$_2$, 363$_6$, 549$_5$, 682$_1$, Lync. 1$_9$, 1$_{18}$, Archedic. 3$_{11}$, Apollod. 13$_9$, Philippid. 22$_2$, Hegesipp. 1$_6$, Posidipp. 1$_2$, rarius numerale: Diph. 107$_2$ *ὑποχέασα τρί' ἐπαντλεῖ κακά*, pron. rel: Antiph. 163$_7$, Alex. 124$_{19}$, Phil. 140$_3$, Archedic. 3$_6$, Baton. 3$_5$, denique pron. interrog.: Straton. 1$_{16}$. quod modo statuimus, idem de his formis valet:

B. Tribrachus efficitur clausula verbi et duobus monosyllabis. monosyllaba enim illa et inter se et cum iis vocabulis, quae sequuntur, arte sunt iuncta: Antiph. 89$_4$ *γυναῖκες. ὃ δέ*, 102$_3$ *πρῶτον ὃ σύ*, 109$_1$ *διαιτώμεσθα τὸ μὲν*, 122$_7$ *ἔστιν ὅ γε*, 122$_8$ *οὐδέν· ὃ δέ*, 122$_9$ *γέγονεν, ὅ γε*, 222$_2$ *φημί. Α. τὸ δὲ λαβάκιον*, Anaxand. 12$_1$, 55$_3$ *ἄδικος· ὁ δέ*, Eubul. 94$_7$ *ὕβρεος· ὁ δὲ πέμπτος*, Epicrat. 5$_7$, Henioch. 5$_4$, Timocl. 6$_9$, *πάντας, ὁ μὲν ὤν*, Theophil. 1$_3$ *σωτῆρα, δι' ὃν εἶδον*, Alex. 135$_{17}$ *ἄνθρωπος. ΗΡ. ὅ τι βούλει*, 163$_1$ *εἰμι μὰ τὸν Ἀσκληπιόν*, 209$_2$ *ἐστίν. Α. ὃ παρ' ὑμῶν*, 261$_{11}$, Diph. 54$_1$, Men. 62$_2$, 91 *τοῦτο, μὰ τὸν Ἀσκληπιόν*, 93$_4$ *εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον*, 223$_5$, 540$_5$ *σῆτες, ὁ δὲ θρίψ*, 781 *πίστιν ὁ καθ' ἡμᾶς βίος*, Lync. 1$_8$, Posidipp. 1$_3$ *ἔλεγον ὁ μὲν*, Straton. 1$_{21}$ *ἆρα; μὰ Δί'*.

C. Tribrachus compositus est ex duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli: Anaxand. 58$_3$ *τε τὸ προσόν*, 196$_8$ *δὲ τὰ διαπόντια*, Anaxil. 16$_2$ *τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ*, Sophil. 4$_4$ *γάρ, ἵν' ἐκεῖ*, Diph. 134$_2$ *τι τὸ φυλάξαι*, Men. 636$_1$ *δὲ πρὶν ἀκοῦσαι*. his locis, qui satis plani sunt, duo obstant alio modo comparati: *Antiph. 129$_1$ *ὁ μὲν ἀγρῷ*, Lync. 1$_{22}$ *μὴ τὸ μὲν ἐγώ*.

D. Tribrachus constat ex tribus monosyllabis: Alex. 201$_8$ *τρέφει με, σὺ δέ*, Philem. iun. 1$_4$ *κατακάει γὰρ ὅσ' ἄν*.

Iam si ea quae disputavimus summatim nos proponere oportet, de tribrachis in quarto pede admissis haec statuere possumus. quamquam vel in quarto pede aliquot tribrachos legimus, qui unius vocabuli syllabis continentur — quae tribrachi forma propria fere est comoediae; nam apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem rarissime ea invenitur — tamen longe plurimi ad tragicorum exemplum ita sunt comparati, ut incisio fiat post thesim, ubi sedes est alterius trimetri caesurae trochaicae, quae dicitur hephthemimeres.

### e. De tribrachis quinti pedis.

1. Tribrachus formatur una voce.

A. Continetur prioribus huius vocabuli syllabis: Men. 123 *προκατέλαβες*. qua forma admissa fit, ut caesura iambica post *μέτρον* alterum, id est post pedem quartum statuenda sit, de qua caesura infra disputabimus. atque re vera eius modi versus in tres partes dilabitur, quod proprium est comoediae: *τὴν ἡμετέραν, ὦ Δημέα, προκατέλαβες.* caesura trochaica, quae alias est usitatissima, hoc loco statui omnino non potest.

B. Efficitur mediis verbi alicuius syllabis: Men. $325_{15}$ *ἀντιπαρατιθείς*.

C. Constat ex posterioribus verbi alicuius syllabis: Antiph. $209_9$ *ἀλλότρια μέλη*. [1]) vides has voces arte inter se conexas esse. accedit praeterea quod hoc loco syllabarum *τρια* liquida pronuntiatione solutionis insuavitas quodammodo lenitur.

2. Tribrachus efficitur verbis binis.

A. Continetur verbi cuiusdam clausula et initio proximi: Antiph. $1_5$ *σάρκα νεογενῆ*, $224_2$ *παῖδας, ἐπιτρόπους*, Anaxand. $28_2$ *ἀγάλματ᾽ ἀγοράσαι*, $40_1$ *οὗπερ ἀπέδοτο*, Eubul. $89_2$, $116_{14}$, Philetaer. $4_1$, Amph. $1_5$, Diodor. $2_{26}$, $2_{27}$, $2_{28}$, Timotheus $1_1$, Timocl. $9_2$, 19, $25_4$, Xenarch. $1_3$, $5_2$, $7_2$, $7_5$, Alex. $76_8$, $124_{17}$, *$137_1$, $158_1$, $171_1$, $186_8$, $222_7$, 256, $261_5$, $280_2$, $281_3$, Diph. $43_{41}$, $93_2$, 119, $135_1$, Men. $301_6$, $325_{10}$, $541_4$, $541_6$, $621_2$, $674_1$, 1090, Lync. $1_{17}$, Archedic. $3_2$, Apollod. $13_7$, $13_{14}$, Apollod. Gel. $3_2$, Philipp. $5_5$, $9_4$, $25_2$, Euphron. $1_{27}$, $11_5$, Baton. $2_{13}$, Demetr. $1_5$. his locis omnibus arsis soluta prioribus syllabis verbi quod est quattuor syllabarum formatur, quo verbo versus finitur. nam unus locus, qui obstare videtur, dico Lync. $1_{17}$ *πολλά. Α. πίνακά μοι*, eodem modo comparatus est, quia enclitica *μοι* arte cohaeret cum voce, quae antecedit. atque haec tribrachi forma usitatissima est in quinta sede, ita ut formae, quas infra illustrabimus, omnes redeant ad eam, quam modo descripsimus.

B. Constat ex clausula verbi et bisyllabo ita comparato, ut arte cohaereat cum ultimo versus verbo: Antiph. $55_4$ *κοτταβιεῖτε τίνα τρόπον*, *$173_1$ *ἐγίνεθ᾽ ὅτι φακῆν*, $226_9$ *μέλλον ὅ τι παθεῖν*, Anaxand. $1_2$ *λέγετε. τίνα τρόπον*, Amph. $30_8$ *εἰσιν ἐνὶ λόγῳ*, Alex. $102_2$ *ἑαυτόν, ὑπὸ μάλης*, $125_{10}$ *ἀγοράσουσι κατὰ τρόπον*, $239_2$ *δεῖπνον ἕνα καλῇ*, Diph. $3_3$ *γεύμαθ᾽ ὑπὸ μάλης*, Philem. $88_8$ *λαβοῦσα πάνυ μόλις*, Men. $129_4$ *θεὸς ἐπὶ τὸ πῦρ*, 158 *συνάγουσι κατὰ μόνας*, Hegesipp. $1_5$ *νόμιζε μόνον ἐμέ*, Baton. $1_2$ *ηὐτύχηκε διὰ βίου*.

---

[1]) Cf. Klotz. p. 272.

C. Constat ex monosyllabo et initio verbi proximi. hoc in genere duo schemata discernenda sunt. etenim plurimis locis monosyllabum coniunctum est cum voce antecedenti, inde ab arsi vox quadrisyllaba incipit: Antiph. $209_2$ *μὲν γὰρ ὀνόμασιν*, Alex. $15_2$ *οὐκ ἂν ἀπολάβοις*, *$111_1$ *δός, ὑποχέας*, Diph. $43_{28}$ *νὴ Δί' ἕτερά που*, $55_5$ *ὃν σὺ περιφέρεις*, Men. $4_2$ *εἷς γὰρ ὁμολογεῖ*, $261_1$ *τοῦ ποτ' ἐγένετο*, $531_2$ *ᾧ τε διατελεῖν*, $583_1$ *γαμεῖν τις ἑλόμενος*, Anaxipp. $4_1$ *τούς γε φιλοσόφους*, Phoenic. $4_{16}$ *τύχῃ με φιλοσόφῳ*. aliquot vero locis monosyllabum cum ipso vocabulo, quo versus terminatur, cohaeret: Antidot. $2_2$ *τὸ χλαμύδιον*, Epigen. $5_1$ *τὰ Ῥοδιακά*, Alex. $222_8$ *τὸν ἀνόσιον*, *Mnes. $9_1$ *τὸ λεγόμενον*, Men. $154_3$ *ὁ μεταγενής*, *$229_1$ *τὸ κεράμιον*, $402_8$ *τὸ λεγόμενον*.

D. Efficitur monosyllabo et bisyllabo: *Nicostr. $32_1$ *δὲ κατὰ τύχην*, Men. $319_6$ *γίνεταί τε κατὰ λόγον*, *$453_1$ *τὸν ἐπὶ κακῷ*, $466_4$ *ἥ τε κατὰ πόλιν*.

2. Tribrachus constat ex ternis vocibus.

Continetur A. clausula verbi alicuius, monosyllabo, denique initio vocabuli proximi. monosyllabum semper cum voce, quae sequitur, arte conexum est: Antiph. $154_3$ *εἶτα τὰ γόνατα*, Diph. $3_4$ *ὥσπερ ἐν ἐράνῳ*, Philem. $89_{10}$ *ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν*, $100_2$ *ἐστιν ὁ προϊὼν*, $100_3$ *εὐθὺς ἐν ἀγορᾷ*.

B. duobus monosyllabis et initio vocabuli: Alex. $2_7$ *ψυκτηρίδιόν τε δέκ' ὀβολούς*.

C. clausula verbi alicuius et duobus monosyllabis: Alex. $245_{12}$ *θηρός, ὁ δὲ πόνος*, Sosipat. $1_{53}$ *ἐπανέντα, τὰ δὲ μέσως*. monosyllaba et inter se et cum voce, quae sequitur, cohaerent, ita ut etiam his locis quodammodo existat vocabulum quattuor syllabarum. unus tantum extat locus, qui difficultatem praebere videatur, Philem. $164_1$ *δίδωσι γὰρ ὁ λέγων*. nam cum particula *γάρ* omnibus locis cum voce, quae antecedit, artius cohaereat, non cum sequenti, hic locus molestiam quandam praebet pronuntiandi, sed non tantam, ut verba in suspicionem vocare cogamur.

In universum haec lex valere videtur: si pes quintus tribracho formatur, omnibus locis versus in verbum quattuor syllabarum desinit vel in verba aliquot artius inter se consociata. tribracho igitur in quinto pede posito nulla post eum incisio admittitur. nam quod Ephipp. $22_1$ in versu ultimo, ut videtur, extant duo vocabula *ποτερὸν ἐγώ*, iam in praefatione docuimus, quam infirmum sint in tali quaestione fundamentum singulae versuum particulae. ac velim conferas quae de hac re disputavit Klotz p. 270.

Iam postquam tribrachos in singulis pedibus enarravimus et condiciones, quibus adhibiti sunt a poetis, de quibus agimus, explicavimus,

liceat aliquid de numero atque frequentia eorum proferre. leguntur enim tribrachi apud poetas med. com. in singulis pedibus

| | I | II | III | IIII | V |
|---|---|---|---|---|---|
| % | 2·9 | 11·1 | 4·9 | 11·6 | 1·7 |

apud poetas nov. com.

| | I | II | III | IIII | V |
|---|---|---|---|---|---|
| % | 3·9 | 11·8 | 4·3 | 11 | 1·9 |

quos numeros si comparaveris cum Aristophanis usu, qui quomodo tribrachos adhibuerit hoc fere modo potest significari:

| | I | II | III | IIII | V |
|---|---|---|---|---|---|
| % | 2·2 | 10·2 | 3·2 | 12 | 0·7 |

facile intelleges mediae et novae comoediae poetas paulo tantum frequentius usos esse tribrachis quam Aristophanem. quotiens in singulis pedibus tribrachis usi sint, ut possit perspici ac simul eorum consuetudo comparari cum poetarum priorum usu, hac tabula utar a Rumpelio proposita.[1]) en habes trimetri quinque pedes ordine descendente ita, ut quisque plurimos habet tribrachos, compositos:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Aeschyl. | 4 3 1 2 5 | Aristoph. | 4 2 3 1 5 |
| Sophocl. | 1 4 3 2 5 | poet. med. com. | 4 2 3 1 5 |
| Eurip. | 2 4 3 1 5 | poet. nov. com. | 2 4 3 1 5 |

inter poetas autem, quos pertractamus, in adhibendis tribrachis Eubulus et Philemo parcissimi sunt, unde cognoscitur eos hac etiam re inter ceteros excellere.

## III. De dactylis.

### *a.* De dactylis in primo pede adhibitis.

#### 1. Dactylus continetur uno vocabulo.

A. Formatur prioribus tribus vocabuli syllabis locis CXXXI. saepissime vox quattuor syllabarum legitur hoc modo conformata: – ⏑ ⏑ ⏑. plurimis locis verbi accentus cum versus ictu concinit: Antiphan. $4_1$ *Ἁρμόδιος*, $6_1$ *κραμβίδιον*, $33_4$ *πιλίδιον*, $124_6$, $134_4$, $190_2$, $208_2$, $220_2$, $235_4$, $239_3$, $243_2$, Anaxand. $17_3$, $60_1$, Eubul. $7_1$, *$24$, $57_4$, $65_2$, $94_7$, $110_3$, *$110_5$, Aristophont. $8_2$, Amph. $14_3$, Ephipp. $14_{12}$, $20_2$, $24_2$, $24_3$, Epicrat. $3_{25}$, Mnes. $3_7$, Sotad. $1_{17}$, Timocl. $6_{10}$, $9_2$, $12_7$, $35_1$, Xenarch. $10_3$, Alex. $27_7$, $36_9$, $62_2$, $107_6$, $173_{13}$, $209_3$, $209_5$, apud Diph. novies,[2]) apud Philem.

---

[1]) Cf. Rumpel. p. 605 adn.

[2]) Adde * $22_2$.

duodecies, apud Men. vicies bis,[1]) Hipparch. $1_2$, Lync. $1_3$, $1_{11}$, $1_{21}$, Anaxipp. $1_{41}$, Sosipat. $1_{39}$, Euphron. $10_5$, Machon. $2_1$, Baton. $5_3$, Phoenic. $4_7$, $4_{14}$, Posidipp. $26_{23}$, Damoxen. $2_8$, $2_{22}$, $2_{32}$, $2_{49}$, Straton. $1_{22}$, Theognet. $1_3$.

Accentus discrepat ab versus ictu Antiph. 78 *σησαμίδας*, Eubul. $67_6$ et $84_5$ *Ἠριδανός*, $72_2$ *δημοτικός*, $74_3$ *γογγυλίδες*, $88_3$ *ὀψοφάγος*, Nicostr. $1_3$ *θρυμματίδα*, *Epigen. $5_4$ *ἡδυποτίδας*, Sotad. $1_{18}$ *παντοδαπόν*, Timocl. $4_9$ *ὀψοφάγος*, Alex. *$33_6$ *δηλονότι*, $135_7$ *παντοδαπά*, $173_{14}$ *δηλονότι*, $249_9$ *πανταχόθεν*, Diph. $44_3$ *παντοδαπά*, $80_2$ *ἀνδραπόδι'*, Philem. $4_3$ *δημοτικόν*, Men. $93_1$ *εὑρετικόν*, Euphron. $11_7$ *γογγυλίδα*, Damox. $2_{49}$ *ἁρμονικός*. neminem puto fugiet his locis omnibus certas quasdam vocabulorum formas extare, in primis substantiva, quae in exitu habent *ίς*, *ίδος*, et adiectiva in *ικός* desinentia. verba plus quattuor syllabarum leguntur: Antiph. $16_2$ *ἀξυνακόλουθος*, $209_8$ *ἀνθεσιπότατα*, Eubul. $151_1$, Ephipp. $3_4$, Diodor. $2_{34}$, Sotad. $1_{19}$, Alex. $116_5$, Diph. $17_5$, Men. $93_1$, $117_1$, $301_5$, 490, Philippid. 8, Baton. $2_{14}$, Phoenic. $1_2$. huius usus exempla apud poetas tragicos nisi fere in nominibus propriis non inveniuntur.

B. Constat ex vocabulo integro: Antiph. $26_4$, $58_3$, $232_4$, Eubul. $38_1$, $67_{10}$, $70_2$, $94_6$, $119_7$, Nicostr. $31_2$, Ephipp. $16_5$, Axionic. $6_{15}$, $7_1$, Dionys. $2_9$, Eriph. $2_3$, Diodor. $2_{17}$, Timocl. $9_4$, $29_3$, Theophil. $8_3$, Alex. $46_3$, $107_3$, $108_2$, $110_{16}$, $135_6$, $239_4$, $283_3$, Diph. $55_2$, $65_2$, Philem. $39_2$, $60_2$, $67_1$, $84_2$, $92_3$, $101_2$, $116_2$, $121_1$, $121_2$, $122_3$, $125_2$, $150_2$, Men. $109_3$, $217_4$, $295_1$, $382_2$, $531_9$, $548_6$, $566_3$, $570_2$, $598_2$, $609_1$, $653_1$, $661_1$, $663_2$, $702_2$, Appollod. $9_1$, Philippid. $9_4$, Euphron. $10_4$, Machon. $2_{11}$.[2]) haec iambi solutio nobis raro apud Aeschylum et Sophoclem, saepissime apud Euripidem occurrit. sed quod omnibus fere tragicorum locis statui potest, has solutiones celeri syllabarum pronuntiatione quodam modo tolli — veluti si legitur *ἥλιε*, *μητέρα* —, de his locis minime excusandi causa proferre licet.

## 2. Dactylus efficitur binis vocibus.

A. Constat ex monosyllabo et initio verbi proximi. haec profecto forma usitatissima est; legitur enim ea locis CLX, quos enumerare supersedeo, praesertim cum etiam haec res poetis tragicis in usu fuerit. id unum addam: ut apud Aeschylum et Sophoclem monosyllabum artissime cum vocabulo, quod sequitur, cohaeret, unus vero demum Euripides hanc regulam neglexit, sic etiam apud mediae et novae comoediae poetas monosyllabum plerumque cum verbo, quod sequitur, quasi intimo quodam vinculo coniunctum est.

---

1) Adde * $376_2$.

2) Cf. Klotz. p. 273.

B. Continetur monosyllabo et bisyllabo. de hac solutione idem valet, quod modo diximus. statuenda est ea locis XXXXVII: Antiph. $123_9$, $147_6$, * $182_8$, $194_{12}$, $202_3$, Anaxand. 67, Philet. $5_2$, $8_1$, Anaxil. $30_1$, Epigen. $4_2$, Xenarch. $2_1$, Theophil. $10_1$, Alex. $9_6$, $16_3$, 180, * $220_6$, $231_4$, $261_{14}$, $104_2$, Philem. $79_{16}$, $102_2$, $128_1$, $137_3$, $186_1$, Men. $85_1$, $93_2$, $149_1$, $451_1$, $473_1$, $482_7$, $531_{13}$, $531_{18}$, $532_7$, $532_{10}$, $532_{14}$, $538_5$, $567_3$, $617_2$, $674_1$, 840, $1100_1$, Apoll. Car. $5_{26}$, $27_1$, Apollod. $13_{14}$, Philippid. $12_2$, Posidipp. $12_3$, Damox. $2_{52}$, Straton. $1_{11}$, $1_{19}$.

Sed iam pervenimus ad duas formas, quae id commune habent, quod dactylus incipit a voce bisyllaba, ita ut haec incisio fiat – ⏑ | ⏑[1]), id quod Aeschylus et Sophocles numquam admiserunt, rarissime tantum Euripides, qui hic quoque paulo neglegentiorem se praebet.

C. Exprimitur bisyllabo et monosyllabo. qua in re tolerabiliores sunt certe ii loci, quibus monosyllabum cum bisyllabo, quod antecedit, artius conexum est, veluti Antiph. $17_4$ *ἄστυ δὲ θέατρον*, Sophil. $4_1$ *ἡδύ γε*, Xenarch. $11_1$, *ἑπτὰ δὲ καπάνας*, Alex. $47_4$ *οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος*, $116_{14}$ *ἆρά γε διδάσκω*, $127_2$ *ἀλλὰ λέγ᾽ ὅτου δεῖ*, $230_3$ *ἡδύ γε*, $277_2$, Philem. $134_1$, $135_3$, $154_1$, 200, Men. $97_1$, $725_2$, 814, Damox. $2_5$, $2_{46}$. his igitur locis incisio illa molesta evanescit paene pronuntiando. longe aliter autem res se habet iis locis, quibus monosyllabum coniungendum est cum voce, quae sequitur: Epigen. $4_4$ *αὐτὰ τὰ ποτήρι᾽*, Dionys. $2_{18}$ *ἔστιν ὁ τοιοῦτος*, Xenarch. $4_{11}$ *μηδὲ δι᾽ ὀπῆς*, Alex. $219_{16}$ *τοῦτον ὃν ἀφεῖται*, Men. $174_2$ *ὥστε τὸ κακόν*, $223_{13}$ *ἔστιν, ὁ δ᾽ ἀγεννής*, $533_2$ *μῆτερ, ἐφ᾽ ἑκάστῳ*, $540_4$ *οἷον ὁ μὲν ἰός*, $672_1$ *ἄνδρα τὸν ἀληθῶς εὐγενῆ*, 809 *ἡδύ γ᾽ ἐν ἀδελφοῖς*, Sosipat. $1_{20}$ *ἆρα σύ με*, Euphron. $11_{15}$ *οὐδὲν ὁ μάγειρος*, Straton. $1_{28}$ *ἀλλὰ τί πρὸς ἡμᾶς*. quibus locis iam ad hanc formam deducimur:

D. Efficitur dactylus bisyllabo ac verbi proximi initio locis LXXI: Anaxand. 66 *οὐχὶ παρὰ πολλοῖς*, Aristophont. $10_6$ *πνῖγος ὑπομεῖναι*, Amph. * $26_1$, $26_2$, $42_2$, Diodor. $2_8$, Sotad. $1_{20}$, Alex. $18_2$, $59_4$, $78_1$, $105_2$, $116_{11}$, $125_6$, $163_1$, $176_1$, $203_1$, $214_1$, $219_3$, $245_7$, $246_3$, $261_4$, $286_1$, Diph. $17_8$, $32_{20}$, $43_{41}$, $61_3$, $66_{13}$, $71_1$, Philem. $11_1$, $41_4$, $68_1$, $71_{10}$, $91_3$, $108_5$, $128_2$, $142_1$, $155_2$, $176_2$, Philem. iun. $1_5$, Men. $60_2$, $95_2$, $118_2$, $128_{11}$, $201_1$, $363_4$, 386, $561_2$, $580_3$, $640_2$, $659_1$, $665_1$, $666_1$, 791, 836, Apoll. Car. $5_{12}$, Apollod. $7_3$, $13_9$, $13_{12}$, Philippid. $25_7$, Sosipat. $1_3$, $1_{11}$, $1_{22}$, $1_{53}$, Euphron. $1_{20}$, Epinic. $2_7$, Phoenic. $4_4$, $4_{19}$, Posidipp. $1_4$, Demetr. $1_{12}$, Straton. $1_{18}$, $1_{21}$, Damox. $2_{55}$. haec dactyli forma ea tantum condicione excusationem quandam habet, ut verba in pronuntiando quam maxime coniungantur. et quamquam voces ipsae non arte cohaerent, tamen vocabula in initio versus posita uno quasi vocis spiritu pronuntiari quis est quin sentiat?

---

[1]) Cf. Klotz. p. 253 sq.

quae res optime eo comprobatur, quod et apud poetas, de quibus nos agimus, et apud Aristophanem[1]) nisi fere in primo pede illa dactyli forma non legitur.

3. Dactylus constat ex tribus vocibus.

A. Continetur duobus monosyllabis et initio vocabuli locis LXXI: Antiph. $55_{20}$, $74_7$, $115_4$, $122_2$, $159_4$, $163_2$, $324_3$, Eubul. $7_7$, Nicostr. $27_1$, Aristophont. $9_4$, Ephipp. $15_6$, Anaxil. 24, Philisc. $1_1$, Timocl. $5_1$, Xenarch. $4_{12}$, $10_2$, Theophil. $12_3$, Alex. $62_1$, $214_3$, $269_3$, $281_1$, Diph. $43_{20}$, $44_2$, $60_1$, $61_7$, $64_4$, $73_6$, Philem. $39_1$, $73_1$, $164_1$, 197, Men. $129_4$, $154_3$, $165_4$, $394_2$, $404_4$, $404_6$, $509_3$, $530_{20}$, $531_1$, $532_5$, $533_5$, $543_4$, $542_5$, $576_2$, $584_3$, $600_1$, $623_1$, $639_2$, $653_2$, $672_2$, 841, $1084_3$, $1095_1$, $335_1$, Apoll. Car. $5_{24}$, $24_2$, Apollod. $7_6$, $13_1$, Anaxipp. $1_{42}$, Philippid. $9_{10}$, 10, Euphron. $11_6$, Epinic. $1_4$, Posidipp. $26_{11}$, $29_2$, Damox. $2_3$, $2_{15}$, $2_{44}$, $2_{67}$, Straton. $1_8$. cum monosyllabum alterum aut cum priore cohaereat aut cum voce, quae sequitur, revocamur ad formas 2 A vel 2 D. idem valet de hoc genere:

B. Constat dactylus ex tribus monosyllabis: Alex. $128_6$ *εἶϑ' ὁ μὲν ἔδωκεν* (2 A); Eubul. 114 *καὶ γὰρ ὁ ταῶς*, Timocl. $11_5$ *ἦν δὲ τὸ πάϑος*, Philem. $99_3$ *ὧν δὲ δι' ἑαυτούς*, Men. $257_3$ *δεῖ δέ· τὸ κρατοῦν* (2 D).

Primi pedis dactyli, ut vidimus, continentur unius verbi syllabis vel compluribus verbis, quae aut iam per se arte conexa sunt aut pronuntiando coniunguntur. quam tertio loco posuimus formam, ea propria est comoediae.

## *b.* De dactylis tertii pedis.

### 1. Dactylus continetur uno vocabulo.

A. Efficitur prioribus verbi alicuius syllabis. dactyli ita conformati exemplum Aeschylus non offert, bis eo Sophocles usus est in nominibus propriis, saepius Euripides etiam in appellativis. apud comicos autem, de quibus agimus, omnes loci ita sunt comparati, ut dactylus exprimatur voce quadrisyllaba, quae hac mensura – ⏑́ ⏑ ⏑ instructa est et cuius accentus concinit cum versus ictu. iam singulos locos enumerabo: Antiph. *$85_5$ *Ἁρμόδιον*, $104_3$ *δεξάμενος*, $177_5$ *δακτύλιος*, $222_1$ *γλαυκίδιον*, Eubul. $82_1$, $99_3$, Nicostr. *$9_2$ *λεπτότερον*, $17_3$, *$33_2$ *ἐλλέβορον*, Aristophont. $9_1$, Anaxil. 28, *29 *τοὐψάριον*, *Aristophont. $2_1$ *ἠπάτια*, Sotad. $1_{11}$,

[1]) Cf. Rumpel. l. l. p. 609: 'Auch hier ist als Abweichung von dem tragischen Gebrauche zu bemerken, dass die Trennung nach der ersten Kürze ‿ ⏑ | ⏑ gestattet ist. Von den 52 Fällen dieser Art, die sich überhaupt finden, stehen fast alle im ersten Fusse.'

Timocl. $7_1$, Xenarch. $4_{15}$ ἀπφάρια, Alex. $2_8$, $15_2$, $110_{16}$, $123_2$, $155_2$, $155_3$, $168_4$, $172_{11}$, $185_3$, $209_5$, $222_5$, $240_1$, Diph. $14_1$, $18_2$, $43_9$, $43_{11}$, $46_4$, $66_{11}$, Philem. $11_3$, 59, $98_5$, Apoll. Car. $7_2$, Hegesipp. $1_{19}$, Baton. $4_5$, Epinic. $1_4$, $2_3$, Posidipp. $26_{17}$, Damox. $2_8$, $2_{26}$, $2_{31}$, $2_{45}$, Men. $339_2$, $365_2$, $486_3$, $549_1$, $555_4$, $596_2$. legi, quam modo proposuimus, adversantur hi loci: Eub. 4 γογγυλίδα, Crat. iun. $10_1$ δηλονότι, Axionic. $6_8$ λυσιτελές, *Men. $736_1$ εὐκαταφρόνητος, Hegesipp. $1_{10}$ παντοδαπά, Euphron. $10_{10}$ ἀνδροφόνον — animadvertas velim easdem occurrere formas, quas supra vidimus p. 348. — Sosipat. $1_1$ itemque *Men. $736_1$ εὐκαταφρόνητος, quibus locis pes tertius et quartus uno efficiuntur voce.

B. Constat ex verbo integro: Anaxand. $39_{10}$ ἐνθάδε, Amph. $9_5$ δώδεκα, Mnes. $3_4$ δαιμόνι᾽.[1])

C. Expressus est mediis vocabuli alicuius syllabis: Antiph. 96 ξενιτευόμενος, $271_1$ ἐμπιμπλάμενος, Anaxand. 78 ἀπαλλαττόμεθα, Nicostr. $30_2$ δυσαρεστότερον, Dromon. $2_3$, Xenarch. $4_7$, Diph. $19_2$, $60_3$, $99_1$, 136, Philem. $72_5$, Men. $38_2$, $540_3$, $1089_1$, $1102_1$. his locis omnibus vocabula leguntur, quorum clausula in hanc mensuram conformata est . . . _ ⏑́ ⏑ ⏑. atque ubique vocis illius accentus cum versus ictu congruit; praeterea post vocabula illa longiora caesura semiseptenaria pausa efficitur. cf. p. 347 et 350.

D. Continetur posterioribus verbi cuiusdam syllabis: Men. $67_2$ Βυζάντιον, $402_{11}$ ἑκκαίδεκα. tale solutionis exemplum omnino non extat apud tragicos, unum apud Aristophanem Eccl. 460:[2]) οὐδ᾽ ἐς δικαστήριον.

## 2. Dactylus efficitur binis verbis.

A. Formatur clausula vocabuli et prioribus proximi vocabuli syllabis. haec dactyli forma, quae et apud poetas tragicos et apud comicos usitatissima est, legitur apud mediae et novae comoediae poetas non minus quam CCCXXXX locis.

B. Constat ex clausula verbi et bisyllabo. haec forma recurrit in comoediae recentioris reliquiis LXXX[ies]. cum vox bisyllaba cohaereat cum vocabulo, quod sequitur, ad formam modo descriptam revocamur. hae formae, quae maxime in usu erant, eo excellunt, quod caesura trochaica semiquinaria gratissime ad aures accidit.

C. Compositus est ex monosyllabo et verbi proximi syllabis prioribus. haec forma tragicis etiam usitata in comoediae mediae et novae fragmentis legitur locis LXXXIIII. aliquot locis monosyllabum cum voce, quae antecedit, coniungendum est, qua re fit, ut usitatissimam illam

---

[1]) Cf. Klotz. p. 273.

[2]) Cf. Rumpel. p. 608: 'nur einen Vers gibt es, in dem das Umgekehrte stattfindet', h. e. in quo caesura non antecedit, sed sequitur post pedem tertium.

dactyli formam nanciscamur _, ⏑⏑. atque ita semper Aeschylus, semper fere Sophocles hac solutionis forma usus est. vide quaeso haec exempla: Antiph. $82_3$ *ἐστρηνίων πως, καταβεβρωκώς*, $122_{12}$ *αὐτόθεν ποι γέγονεν*, $168_3$ *τὸ γένος ὤν· περιτυχών* alia. longe plurimis locis autem monosyllabum et vox, quae sequitur, unum quasi efficiunt corpus, quam formam supra notavimus, ubi de 1 A exposuimus, velut Antiph. $128_1$ *τὸν τεμαχοπώλην*, $223_3$ *τὸν γαλεόν*, Eubul. $31_3$ *τὰς κύλικας* al. idem valet de hoc genere:

D. Componitur dactylus monosyllabo et voce bisyllaba. ad alteram formam _, ⏑⏑ spectant: Antiph. $2_2$ *γὰρ κακὸν ἔχων*, $26_{11}$ *γοῦν ἐπὶ μιᾷ*, $144_9$ *μὲν μετὰ τὸ πλουτεῖν*, Anaxand. $33_8$, Philem. $88_{12}$, Men. $13_1$, $75_1$, $699_1$, $664_2$. alteri adscribendi sunt hi loci: Antiph. $44_5$ *μηδ' ἕτερ' ἐπιζήτει*, Anaxand. $56_2$ *τὸν πατέρ'*, Nicostr. $28_3$ *τὸν βίον*, Diodor. $3_1$ *τὸν νόμον*, Men. $*242_2$ *τὸν γάμον*, $488_1$.

E. Efficitur bisyllabo et initio verbi proximi, veluti: Eubul. $110_1$, Nicostr. $6_2$, Ephipp. 15 *ἀλλὰ καθαρείως*, Posidipp. $30_2$ *οὐδὲ μέχρι*, Men. $187_1$ *μηδὲ προσάγου*, $363_3$ *οὐδὲ χλανίδ'*, $*376_1$ *μικρὸν ἐπιμείνας*. en habes eandem formam sane inelegantissimam _ ⏑, ⏑ de qua iam supra p. 349 verba fecimus. primus quod sciam Aristophanes talia exhibuit [1]), sed quod priore loco de versus initio continenter pronuntiando diximus, hoc loco non omni ex parte valet, quia in ipso tertio pede caesurae principalis locus quaeritur. sed fortasse hic pronuntiandi molestia accentu quodam modo mitigabatur; non enim id casu factum esse puto, ut his locis omnibus vocabula oxytona: *ἀλλά, οὐδέ, μηδέ* legantur. atque hac re pronuntiationem multo faciliorem fieri nemo opinor negabit.

### 3. Dactylus formatur ternis verbis.

A. Thesis constat ex verbi clausula, prior arsis mora monosyllabo, posterior initio vocis proximae continetur. cum omnibus locis monosyllabum, quod est plerumque articulus vel praepositio, cum voce quae sequitur iungendum sit, vides hic formam usitatissimam 2 A recurrere. quare satis saepe tragici etiam hoc modo tertii pedis dactylum conformaverunt. itaque non esse puto, cur locos LXVIII, quibus ea forma etiamnunc comprobata est in comicorum recentiorum fragmentis, accuratius enumerem. plane idem valet de hac forma:

B. Thesis constat ex clausula alicuius verbi, arsis continetur monosyllabis. monosyllaba enim cum voce, quae sequitur, omnibus locis arte cohaerent. conferas quaeso hos locos: Antiph. $109_2$ *ἡμῖν, ὁ δὲ καλός*, $124_4$ *ἐφεξῆς ὅ τι φέρων*, $221_1$ *δήπου τί σὺ λέγεις*, Eubul. $94_6$, Anaxil. $19_2$, Philem. 27, $74_2$, $91_9$, $145_2$, Posidipp. $26_5$, Damox. $2_{40}$.

[1]) Cf. Rumpel. p. 609; adde Klotz. p. 254.

C. Conformatus est duobus monosyllabis et verbi alicuius initio. inspicias velim Antiph. $81_1$ *ποτήριόν μοι τὸ μέγα*, Alex. * $15_{19}$ *τρεῖς, δέκ' ὀβολῶν*, $124_4$ *γὰρ τὸ πάθος*, Philem. $180_1$ *πόλις σου τὸ γένος*, Apollod. $1_2$ *ἢ μεθ' ἑτέρων*, Damox. $1_1$ *σοι, τὸν ἐλέφανθ'*, Men. $339_1$ *γὰρ τὸ κατάπλαστον*, $532_{17}$ *εὐτυχὴς ἔσθ' ὁ μετριώτατον λαβών*, 828 *εἶ, πρὸς ἄλας*, quibus locis statuenda nobis est forma usitatissima 2 A, Eriph. $2_{11}$ *τὴν γὰρ Ἀφροδίτην*, Diodor. $2_{34}$ *τοὺς δὲ κολακεύειν*, $2_{42}$ *καὶ τὸ καλόν*, Men. $562_4$ *οἱ δὲ πάλιν*; subest forma 1 A.

D. Constat ex tribus monosyllabis: Antiph. $124_{10}$ *οὖν ὅ τι φέρων*, Ephipp. $15_{10}$ *εἶ. A. σὺ δέ γε*, Alex. $15_1$ *μὴ καθ' ἓν ἕκαστον*. uno tantum loco monosyllaba illa cohaerent inter se, dico Men. 740 *ναὶ μὰ τὸν Ἀπόλλω*.

Vides in tertio pede longe plurimos dactylos ita conformatos esse, ut caesura principalis semiquinaria locum habeat. paucis tantum locis dactylus unius vocabuli syllabis sive pluribus vocabulis arte inter se cohaerentibus continetur. atque hac in re non praetereundam esse puto hanc observationem: si dactylus formatur voce aliqua plurium syllabarum, omnibus fere locis vocabuli accentus cum versus ictu concinit. qua re ni fallor impeditur, quominus neglecta caesura principali versus structura fiat impedita vel confusa.

### *c.* **De dactylis quinti pedis.**

#### 1. Dactylus continetur uno verbo.

A. Exprimitur prioribus vocabuli alicuius syllabis. unum extat huius rei exemplum, dico Eubul. $38_1$ *τρύβλια δὲ καὶ βατάνια καὶ κακκάβια καὶ*.

B. Formatur posterioribus vocis alicuius syllabis. conferas Nicostr. $26_4$ *αὐλητρίδα λαβέ*.

C. Continetur verbo integro. en unicum huius formae exemplum, quod item praebet Nicostratus $33_1$ *βουβάλι', ὄφεις*. his locis omnibus verbi accentum cum versus ictu congruere notandum est.

#### 2. Dactylus efficitur duobus verbis.

A. Expressa est thesis verbi clausula, arsis initio vocabuli proximi. conferas quaeso ad hanc formam, quae CLXVIII^ies recurrit, cognoscendam hos locos: Antiph. $1_6$ *περαίνω Σοφοκλέους*, $26_{12}$ *ἤδη παχυτέρας*, $34_2$, $68_{11}$, $74_4$ *κρέμασθαι. πότερά μοι*, $87_3$, $128_1$, $129_5$ alios. hac in forma, quae est usitatissima, versus in unum sive in plura vocabula arte cohaerentia desinit, quae hac forma ⏑⏑⏑⏒ instructa sunt.[1])

[1]) Cf. Rumpel. p. 609: 'Der fünfte Fuss .. ist gewöhnlich so gebildet, dass seine beiden Kürzen mit den beiden Silben des sechsten Fusses zusammen in einem Worte enthalten sind' et adde quae supra p. 346 disputavimus.

B. Constat ex monosyllabo et proximi vocabuli initio locis LIIII. cum monosyllabum omnibus fere locis cum voce, quae antecedit, cohaereat, eandem formam habemus, quam modo descripsimus, veluti Antiph. $58_5$ *παρὰ τοῦ βασιλέως*, $168_4$ *ὀβολοστάτης ὢν ἐπρίατο*, $277_1$ *φέρῃ τις πριάμενος* al. paucis tantummodo locis monosyllabum ad vocem illam pertinet, quae versum terminat, veluti: *Epicrat. $10_1$ *καὶ κυλίκια*, Men. $340_2$ *τῶν βασιλέων*, $640_2$ *τοῖς πολεμίοις*, Epinic. $1_2$ *τὸν βασιλέα*. cum his locis sine dubio caesura existat post pedem quartum, quid de hac re statuendum sit, postea videbimus.

C. Constat ex monosyllabo et bisyllabo: Antiph. $194_5$ *οἶδ' ὅτι λέγεις*, *Philetaer. $16_1$ *τὸν κατὰ δύο*, Apollod. $13_{15}$ *ὦ φίλε*, Sosip. $1_{50}$ *καὶ πότε βάδην*.

### 3. Dactylus formatur tribus vocibus.

A. Constat ex fine vocabuli, monosyllabo, initio vocis sequentis locis XI, quibus omnibus monosyllabum cum verbo in versu ultimo posito cohaeret. vides eandem formam extare, quam supra siglo 2 A denotavimus. occurrit enim articulus: Antiph. $190_6$ *ἀγορᾷ τὰ τεμάχη*, Diph. $66_1$ *ἰχθυοπώλας τὸ πρότερον*, Men. $66_4$, $542_3$, Lync. $1_{22}$, praepositio: Amph. $30_4$ *ἰχθυοπώλας ἐν ἀγορᾷ*, Men. $320_4$, praeterea: Alex. $15_4$ *χαλκῶν. λέγ' ἕτερον*, $15_8$ *ταύτης δύ' ὀβολούς*, $15_{15}$ *πολλοῦ, λέγ' ἕτερον*, Men. $481_6$ *ἐνιαυτοὺς σφόδρ' ὀλίγους*.

B. Constat ex duobus monosyllabis, quorum posterius arte cohaeret cum voce quae sequitur: Antiph. $202_2$ *ἦν ὁ πόλεμος*, Diodor. $2_5$ *ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος*, idem $2_{20}$.

Quinti pedis dactyli duabus praecipue formis componuntur. etenim paucis locis dactylus una voce continetur ita, ut vocabuli accentus cum versus ictu concinat. longe plurimis autem locis dactylus ita conformatus est, ut incisione post thesim facta ab arsis solutae syllabis novum vocabulum incipiat, ita ut versus terminetur hoc modo: ⏑ ⏑ ⏑ ⏓.

Iam postquam singulas dactyli formas illustravimus, pauca addamus de earum frequentia atque numero: leguntur dactyli

| | I | III | V |
|---|---|---|---|
| apud poetas med. com. % | 6·9 | 10·4 | 3·3 |
| — nov. com. | 10·8 | 10·3 | 3·9. |

quos numeros si comparaveris cum Aristophanis usu, qui dactylos admisit

| | I | III | V |
|---|---|---|---|
| % | 4·9 | 9·2 | 1·7 |

id statuendum esse videtur poetas de quibus agimus saepius usos esse dactylo quam ipsum Aristophanem. atque prae ceteris pes primus notandus

videtur, quo in pede paulatim tantopere crevit numerus dactylorum, ut primum ille inter omnes obtineat locum, id quod ex hac tabula facile intelleges. descendunt singuli pedes hoc numero:[1])

| | | | |
|---|---|---|---|
| apud Aristophan. | 3 | 1 | 5 |
| poet. med. com. | 3 | 1 | 5 |
| — nov. com. | 1 | 3 | 5. |

## IIII. De anapaestis.

### *a.* De anapaestis primi pedis.

#### 1. Anapaestus continetur una voce.

A. Saepissime — locis CCXXXVIIII — ex integro vocabulo trisyllabo constat.

B. Paulo rarius — locis CLXXXXII — prioribus vocabuli alicuius syllabis formatur. utraque forma etiam apud poetas tragicos persaepe invenitur.

#### 2. Anapaestus efficitur duabus vocibus.

A. Continetur bisyllabo et monosyllabo arte inter se cohaerentibus locis CXXXV. ac saepissime legitur praepositio bisyllaba coniuncta cum articulo, velut Antiph. $55_4$ *περὶ τοῦ,* $154_2$ *παρὰ τῆς,* $191_3$ *ὑπὸ τῶν* al. huic legi, qua vocabula illa arte inter sese cohaerere iubentur, quattuor loci repugnant: Alex. $222_7$ *χάρις· ἀλλ' ἐπὰν δὴ τὸν γόητα Θεόδοτον,* Diph. $66_3$ *τόδε δ', ὡς ἔοικε, τὸ γένος,* Men. $129_3$ *ἕνεκ', ἀλλ' ἑαυτῶν,* Men. $554_3$ *πάτερ; οὐ περριττὸν οἴετ' ἐξενρηκέναι.* interpunctionem igitur post thesim anapaesti nonnumquam comici admiserunt. talem interpunctionem in primo tantummodo pede admitti, in reliquis nullo modo ferri posse iam Bernhardi recte statuit.[2])

B. Constat ex bisyllabo et proximi vocabuli initio locis LXXIIII. saepissime occurrunt praepositiones bisyllabae aliaeque voces cum vocabulo, quod sequitur, arte cohaerentes. idem valet de his formis:

C. Efficitur monosyllabo et bisyllabo locis LI.

D. Componitur monosyllabo et prioribus proximi vocabuli syllabis locis LVIII. monosyllabum est articulus, praepositio, pronomen relativum vel interrogativum, pronomen *σύ*, denique coniunctio.[3])

---

[1]) Cf. p. 347.

[2]) Cf. eius disputationem 'De incisionibus anapaesti in trimetro comico Graecorum' (Act. soc. phil. Lips. I, p. 243—286) p. 282.

[3]) De monosyllabis cf. Bernhard. p. 261 sqq.

3. Anapaestus efficitur tribus vocibus.

A. Continetur duobus monosyllabis et vocabuli initio: Antiph. $86_6$ *ὁ δὲ λιμός*, $113_3$ *ὁ τὸν Ἡράκλειτον*, $164_7$ *τὸ δὲ μικρόν*, $259_1$ *ὁ δὲ πλοῦτος*, Eub. $65_3$, $80_6$, $98_1$, Epicr. $2_6$, Timocl. $36_2$, Xenarch. $10_1$, Alex. $15_{14}$, Diph. $18_7$, $62_2$, 67, 120, Phil. $108_1$, Men. $558_3$, $587_2$, Lync. $1_8$, Sosip. $1_{30}$, Euphr. $1_{23}$, Posidipp. $28_2$.

B. Efficitur tribus monosyllabis: Eubul. $70_1$ *τί ποτ' ἔσθ'*, Alex. $108_1$ *ὁ μὲν οὖν ἐμός*, $159_1$ *ὁ δὲ σὸς πένης*, $264_6$, $274_8$, Phil. $90_{10}$, Men. $294_3$, $533_{11}$, $637_2$, Anaxipp. $1_{17}$, $8_1$, Philippid. $26_3$, Sosip. $1_{33}$, Baton. $7_9$. monosyllaba inter se et cum voce, quae sequitur, arte cohaerent.

Primi pedis anapaesti igitur fere omnes aut unius vocabuli syllabis aut compluribus vocabulis quasi quodam vinculo inter se coniunctis efficiuntur.

*b.* **De anapaestis alterius pedis.**

1. Anapaestus continetur una voce.

A. Saepissime — locis CCXXVI — efficitur prioribus vocabuli syllabis.

B. Ex vocabulo integro constat locis CXXI.

C. Continetur mediis vocabuli syllabis locis XXXX.

D. Formatur posterioribus vocabuli syllabis locis LXXXXVI.

Sed in describendis anapaestis iam brevitati quodam modo consulere mihi liceat. primum enim ipse observavi omnes anapaesti formas, quae constant ex compluribus vocabulis eadem ratione, qua in condendis tribrachis et dactylis usi sunt poetae, consociatis, ita comparatas esse, ut singula vocabula arte inter se cohaereant neque ulla intercedat incisio. deinde de hac re Bernhardii dissertatio sat accurata nobis praesto est. quare eis formis, quibus anapaestus unius quasi vocis syllabis constare videtur, omissis eos tantummodo locos adferam, quibus incisio quaedam in anapaesto aut statuenda esse aut coniectura removenda videtur. atque primum agamus de hac incisione: ⏑ ⏑ | –, de qua in universum Bernhardi haec statuit: vox plurium syllabarum post secundam anapaesti syllabam terminatur nonnumquam in pede secundo eis condicionibus, ut ipsa cum voce proxima arte cohaereat atque ante tertiam versus arsim gravius expressa caesura locum habeat. huc igitur referendi sunt loci: Eubul. $126_2$ *βεβρεγμένος | ἥκω || καὶ κεκωθωνισμένος*, Xenarch. $2_5$ *ἀπώλεσεν | αὐτὴν || καὶ κατεπόντωσέν μ', ὁρᾷς,*[1]) Alex. $255_3$ *προσίετο | πλείω || τοῦ μετρίου*,

[1]) Quamquam Bernhardi anapaestum removere studens Canteri, qui proposuit *ἀπώλεσε ναύτην*, coniectura ingeniosa usus scripsit *ἀπώλεσεν ναῦν*.

*νυνὶ δὲ τήν*, Philem. $47_2$ *ἣν εἴδομεν* | *ἡμεῖς*, || *τῷ Σελεύκῳ πάλιν ἔδει*, Philippid. $17_2$, qui locus Bernhardium fugit, *παραγώγιον* | *ὧν ἂν* || *ἐκφέρῃ σ' εἰσπράξομαι.*

Ad hos locos proxime ii accedere videntur, quibus haec incisio etiam interpunctione augetur. praemittam autem Bernhardium contra Reisigium et Blaydesium, qui librorum scripturas tuentur, corrigendos hos locos statuisse, quod anapaestus ex interpunctione post ipsam alteram syllabam facta excusationem habere non posset. conferas quaeso hos locos: Mnesim. $3_6$ *ἰχθύδιον· ὄψον δ' ἂν λέγῃς ἕτερον, κάλει* (Kock et Bernh. ex Dobraei coniectura scripserunt *ἰχθύδι'· ὄψον*), Sotad. $1_{23}$ *ἰχθύδια, τούτων ἀποκνίσας τὰ κρανία* (Herwerd. Stud. crit. 5 coni. *ἰχθύδι' ὥνπερ*), Alex. $173_{15}$ *ἔχει κακόν, εἰ τύφουσαν· B. ἀπολεῖ μ' οὑτοσί* (Kock coni. *ἔχει κάπνην τύφουσαν*, idem suadet Bernh., qui praeterea suspicatus est: *ἔχει κάκ', εἰ*), Timocl. $29_2$ *τούτων τινάς, οἳ δειπνοῦσιν ἐσφυδωμένοι* (Kock scr. *τούτων τιν', οἳ*). verum Bernhardio, etsi proclivis est ad hos locos immutandos, tamen ea res non tam certa visa est. iam audias ipsum disputantem p. 276: 'quos versus nisi quis corrigendos esse mecum arbitratur, . . . potius numerorum durities liberaliter concedatur poetarumque singulari cuidam neglegentiae tribuatur'. atque id verum esse ex uno loco elucere mihi videtur, qui miro modo Bernhardium fugit: Men. $348_8$ *ὁ Καλύμνιος, Εὐφράνωρ δ' ἐκυβέρνα Θούριος.* de huius enim loci scripturae integritate nemo adhuc dubitavit. atque ut quid sentiam eloquar, mihi quidem omnino haec incisio non tam molesta videtur, ut ad coniecturas confugiamus. non enim molestior ea est quam hoc loco: Antiph. $185_2$ *σκέλη καπύρ'. B. ἀστεῖόν γε νὴ τὴν Ἑστίαν*, quo loco etiam personarum mutatio accedit. hic tamen locus Bernhardio scrupulum non movit, qui p. 284 statuit in secundi pedis anapaesto pausam sententiae non respuere vocabulum elisione mutilum. huc igitur pertinent: Ephipp. $15_4$ *ὁσίας ἕνεκ'· ἀρκεῖ τευθίδια, σηπίδια*, Antiph. $183_3$ *ἐλευθέρι', οὐ τάριχος οὐδ' ἡδύσμασιν*, Men. $534_{10}$ *ὀργιζόμεθ', ἂν ἴδῃ τις ἐνύπνιον σφόδρα.* neque in Dionys. $2_{19}$ *συνιδεῖν τόπον, ὥραν, τὸν καλοῦντα, τὸν πάλιν* offendendum ei videtur, cum illa 'commatis' nota, cui in nominum enumeratione locus esse solet, excusationem admittat.

Iam agamus de hac incisione ◡ | ◡ _. ut ex Bernhardii disputatione elucet, ea admittitur nonnumquam, ita tamen, ut binae voces quodam modo cohaereant atque ante tertiam versus arsim caesura gravius expressa locum habeat. conferas Phil. $47_3$ *ἡμᾶς τι* | *παρ' ἡμῶν* || *ἀντιπέμψαι θηρίον*, Men. $549_3$ *ὅταν γὰρ* | *ἄλυπος* || *διὰ τέλους εἶναι θέλῃς*, $531_6$ *ἄτοπόν τε* | *πεποίηκ'.* || *εἰ δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις*, Eubul. $80_9$ *καὶ ξηρὸν* | *ἐποίησ'* || *εὐθέως τὸν κάνθαρον*, Demet. $1_{10}$ *ἀνάληψιν* | *ἐποίησ'* || *εἰσενέγκας κάππαριν*, Baton. $5_6$ *ζῆν δ' ἐστὶ* | *τὸ τοιοῦθ';* || *B. ὡς λέγουσί γ' οἱ σοφοί.* hiatus corruptelae in-

dicio est duobus locis: Alex. $279_4$ ἐρῶντι ἑταίρας ἕτερα χρησιμώτερα (ἐρῶν scr. Iacobs. Anth. VIII, 234, ἐρῶντι γραός Kock) et Antiph. $144_9$, quo loco accedit etiam interpunctio nullo modo ferenda οὐχ ἡδύ; ἐμοὶ μὲν μετὰ τὸ πλουτεῖν δεύτερον. uno loco, dico Alex. $25_5$ χαίρωμεν, ἕως ἔνεστι τὴν ψυχὴν τρέφειν anapaestum interpunctione incisum facile ita removere possumus, ut cum Bernhardio statuamus, ἕως per synecphonesim pronuntiandum esse.

### c. De anapaestis tertii pedis.

De incisionibus anapaesti in tertio pede positi simplicior est agendi ratio, quia illo in pede, ut ita dicam, ipsa de incisionibus anapaesti quaestio ad finem venit. cum enim Frid. Aug. Wolf versum illum famosum Nubium Aristophanearum in linguam nostram vertisset ita: 'Ach weh mir Jammermenschen! | wie wird mir's endlich gehn', inde ab his temporibus multum disceptatum est a viris doctis, donec Bernhardi, qui accuratissime in eam rem inquisivit, quaestionem expedivit ita, ut statueret in tertio et quinto pede nullo pacto, in secundo et quarto certis quibusdam condicionibus incisionem fieri posse.

Quare iam nullus fere versus tali anapaesto inquinatus in editionibus legitur. pauci, qui occurrunt, coniectura sunt emendandi dico Ephipp. $17_1$ οὐ Μενεκράτης μὲν ἔφασκεν εἶναι Ζεὺς θεός; (Herwerden Stud. crit. 5 μὲν delevit) et Phil. $103_3$ ὥσπερ ἐν ἀγρῷ θύμος· ἐκ δὲ τοῦ λέγειν τε καί (Bernh. cum Meinekio θύμ' scripsit). de Antiph. $35_3$ cum ageret p. 271 Bernhardi, in errorem incidit; nam id quod cum Schweighaeusero ad versum sanandum commendavit κιννάμωμα, ipsum Kockio teste in codice est, illud κινναμώμινα, quo versus laeditur, Schweighaeuseri est coniectura. contra Phil. $73_7$ Meinekii coniectura reicienda est; nam etsi locus sine dubio est corruptus, tamen Meinekii commentum τί οὖν ποιεῖς πλέον; | *A.* οὐδέν· ἡ λύπη δ' ἔχει falsum est, quia eo recepto incisio illa molestissima ⏑ ⏑ | _ etiam interpunctione sat gravi augetur. tribus autem locis talis anapaesti forma in elisione excusationem habet, dico Alex. $210_3$ οὕτω τι τἀλλότρι' ἐσθίειν ἐστὶ γλυκύ, Epicrat. $2_9$ ἐκ τῶν δρῶν πρόβατ' ἐσθίουσι· καὶ λαγώς, Antiph. $275_1$ νήττας, σχαδόνας, κάρυ' ἐντραγεῖν, ᾠ', ἐγκρίδας.

### d. De anapaestis quarti pedis.

Ut in pede secundo sic etiam in quarto incisio post primam vel secundam anapaesti syllabam admittitur, si ante arsim tertiam caesura gravius expressa locum habet, veluti: Antiph. $85_2$ ἂν μὴ κεράσῃ τις. || *A.* ἴσχε, τὸν ᾠὸν λάμβανε, Phil. $91_2$ οὐδ' αὖ ποιήσων, || οὐδὲ | πεποιηκὼς πάλαι, Phil. $122_3$ σήσαμον, ἔλαιον, κρόμμυον, ὄξος, σίλφιον (Bernhardi maluit κρόμμυ'),

Men. $710_2$ *αὐτὸς τὰ σαυτοῦ* || *πρῶτον* | *ἐπισκέπτου κακά* (quamquam facile sane cum Bernhardio *πρῶτ'* reponi potest), Xenarch. $10_3$ *παιδάριον, ἔγχει.* || *B. νὴ Δία,* | *νὴ τὸν κάνθαρον,* Men. $363_5$ *καὶ παρατιλοῦμαι* || *νὴ Δία* | *καὶ γενήσομαι,* Philem. $228_2$ *ἢ χρηστὸν ἄνδρα·* || *τὸν βίον* | *ἐξέταζ' ἀεί.* elisione excusatur Epicrat. $2_{21}$ *ἐξέρχεταί τε* || *πανταχόσ'* | *ἤδη πιομένη.* in Phil. $104_4$, qui versus Bernhardium fugit, *ὅσα μ' οὗτος ἠνάγκαζεν,* | *ἐποίουν ταῦτ' ἐγὼ ἠνάγκαζ'* reponendum est. sed hanc incisionem ⏑ ⏑ | _ etiam aliquot locis, quibus non antecedit caesura, admittendam esse ipse Bernhardi p. 274 concedit: Men. $462_3$ *οἷον τὰ νησιωτικὰ* | *ταυτὶ ξενύδρια,* Baton. $2_1$ *τῶν φιλοσόφων τοὺς σώφρονας* | *ἐνταυθοῖ καλῶ,* Alex. $155_3$ *τριχίδια καὶ σηπίδια* | *καὶ φρυκτούς τινας.* coniectura restituendi sunt hi loci: Alex. $257_3$ *καὶ νῦν πορίζεταί γε* | *τὰ δεῖπν' ἀσύμβολα* (cum Meinekio eiciendum videtur *γε*), Alex. $16_{11}$ *ὦ τάν, λαβὲ καὶ μὴ παῖζε.* | *τοσουδί; παράτρεχε* (Kock adnotavit haec: 'versum pravissima caesura elumbem ab Alexide scriptum esse numquam adducar ut credam. fortasse *λαβέ, μὴ παίσῃς*'. Bernh. coni. *τουσδί*). praeter rem metricam etiam alias ob causas in corruptelae suspicionem vocandi sunt versus hi: Phil. $107_3$, Eubul. $7_9$, 81, Amph. $36_1$, Alex. $187_6$, Anaxipp. $1_{41}$.

### e. De anapaestis quinti pedis.

In quinto pede nullo pacto admittitur anapaesti incisio; nam Diphili versus $17_2$ *εἰς τοὺς γάμους, βέλτιστε, καὶ πότερ' Ἀττικοί;* elisione excusatur. unum autem, qui obstare videtur, locum corruptum esse etiam hiatu evincitur, Antiph. $148_6$ *κοσμεῖτ', ἀλείφετ'· ἂν δ' ἔχῃ τι* | *ἀπάγχεται.* Meineke coniecit *ἂν τύχῃ δ' ἀπάγχεται* vel *ἀλείφετ'· ὃς ἂν ἔχῃ δ' ἀπάγχεται.*

Iam restat ut paucis verbis complectamur, quae de anapaestis et de eorum conformatione observavimus. omnibus in pedibus longe plurimi anapaesti unius vocabuli syllabis conficiuntur, multo rarius compluribus vocibus, quae omnibus locis arte inter sese cohaerent. sunt enim haec vocabula: praepositio bisyllaba vel coniunctio consociata cum substantivo: ⏑ ⏑ | _, praepositio monosyllaba vel articulus cum nomine coniuncta: ⏑ | ⏑ _, articulus, particula, nomen: ⏑ | ⏑ | _; de paucis locis, quibus vera incisio fit, cum voces illae non cohaereant, singillatim egimus.

Quibus expositis restat, ut pauca addamus de frequentia anapaesti, de qua re Rumpelius Phil. XXVIII, 612 verissime haec exposuit: 'man ... erkennt deutlich, dass dieser Rhythmus, dessen Form, wie nicht zu leugnen ist, dem Inhalt der Komoedie am genauesten sich anpasst, dem komischen Trimeter seinen Charakter aufgedrückt hat, so dass man ihn mit Fug und Recht den anapaestischen Trimeter (hoc sane mecum puto miraberis) nennen könnte'. en habes tabulam, qua res, de quibus agitur, sub uno conspectu sunt positae:

| Anapaesti leguntur in pedibus | I | II | III | IV | V |
|---|---|---|---|---|---|
| apud poetas med. com. % | 12·5 | 9·4 | 2·6 | 4·1 | 2·3 |
| — nov. com. | 11·9 | 8·4 | 2·3 | 3·7 | 2·3 |
| Aristophanem. . . | 12·4 | 12·8 | 2·8 | 9·2 | 3·6 |

praeter principem pedem igitur poetae, de quibus agimus, multo rarius anapaestis usi sunt quam Aristophanes.

## V. De binis pluribusve pedibus in singulis trimetris solutis.

### a. De pedibus eodem modo solutis.

A. 1. Bini tribrachi leguntur locis CXXXXII:

| | | | |
|---|---|---|---|
| I II [1]) 5 | I III 11 | I IIII 26 | I V 4 |
| | II III 18 | II IIII 51 | II V 12 |
| | | III IIII 10 | III V 3 |
| | | | IIII V 2 |

iam vides omnes eiusmodi coniunctionis varietates inveniri atque eam quoque, quae apud Aristophanem non legitur, dico I V, saepissime autem ut apud Aristophanem II IIII.[2])

2. Terni tribrachi ter leguntur: I III IIII bis: Eubul. $38_2$, Theophil. $2_1$, II III IIII semel: Eubul. $74_4$.

B. 1. Bini dactyli inveniuntur locis LXXVIIII: I III 52, I V 13, III V 13; saepissime igitur nobis occurrit coniunctio I III.

2. Terni dactyli quater leguntur: I III V Eubul. $110_1$, Nicostr. $6_2$, Amphis. $14_6$, Ephipp. $15_3$.

C. 1. Bini anapaesti adhibentur locis CLXII ita, ut omnes quas mente tibi potes fingere varietates deprehendantur, id quod intelleges hac tabula inspecta:

| | | | |
|---|---|---|---|
| I II 51 | I III 19 | I IIII 20 | I V 14 |
| | II III 14 | II IIII 21 | II V 13 |
| | | III IIII 4 | III V 3 |
| | | | IIII V 3 |

multo saepius igitur coniunguntur anapaesti in pedibus prioribus quam in posterioribus.

2. Terni anapaesti leguntur locis XXII: I II III bis: Antiph. $20_5$, Sosipat. $1_{33}$, I II IIII quinquies: Alex. $271_4$, Diphil. $14_2$, $17_{10}$, Men. $348_8$, $531_6$, I II V bis: Theophil. $10_2$, Euphron. $11_{12}$, I IIII V bis: Timocl. $21_1$,

---

[1]) i. e. tribrachus extat in pedibus primo et secundo.

[2]) Cf. Rumpel. Phil. XXVIII, p. 618.

Alex. $9_7$, II III IIII ter: Alex. $40_2$, Phil. 237, Men. $94_2$, II III V semel: Sosipat. $1_8$, II IIII V septies: Antiph. $35_1$, Eubul. $62_2$, Nicostr. $10_3$, Diodor. $1_2$, Alex. $159_3$, Men. $252_2$, Philippid. 4.

3. Quattuor anapaesti semel leguntur: I II III IIII Phil. $107_3$ *κεκύνηκέ τις, οὐ κεκύνηκέ τις· ἠτύχηκέ τις.*

*b.* **Varii generis solutiones in uno versu reperiuntur.**

A. Binae solutiones:

*α.* Anapaestus et tribrachus locis CCCXV:

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | II I [1]) | — | III I | 5 | IIII I | 7 | V I | 3 |
| I II | 64 | | | III II | — | IIII II | 28 | V II | 17 |
| I III | 30 | II III | 22 | | | IIII III | — | V III | 2 |
| I IIII | 56 | II IIII | 48 | III IIII | 13 | | | V IIII | — |
| I V | 10 | II V | 5 | III V | 2 | IIII V | 3 | | |

non igitur leguntur hae formae II I, III II, IIII III, V IIII, quibus hoc schema existeret: ⏑⏑⏑ | ⏑⏑ –; cf. p. 363.

*β.* Anapaestus et dactylus locis CLXXXX:

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | II I | — | III I | 5 | IIII I | 17 | V I | 11 |
| I III | 59 | II III | 44 | | | IIII III | — | V III | 3 |
| I V | 18 | II V | 19 | III V | 5 | IIII V | 9 | | |

vitantur formae II I et IIII III propter schema illud – ⏑⏑ | ⏑⏑ –; cf. p. 363.

*γ.* Dactylus et tribrachus locis CCLXIIII:

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | I II | 27 | I III | 18 | I IIII | 51 | I V | 6 |
| III I | 18 | III II | 72 | | | III IIII | 30 | III V | 2 |
| V I | 7 | V II | 20 | V III | 4 | V IIII | 9 | | |

B. Ternas solutiones habes:

*α.* Anapaestum et binos tribrachos locis XV: I II IIII novies: Antiph. $58_8$, $221_2$, Eubul. $127_2$, Arar. $17_2$, Sophil. $4_3$, Alex. $24_2$, $128_5$, Phil. $161_2$, Lync. $1_8$, I III IIII bis: Antiph. $74_{12}$, Sophil. $3_1$, II III IIII quater: Anaxandr. $55_3$, Timocl. $31_1$, Men. $142_1$, Posidipp. $1_3$.

*β.* Binos anapaestos et tribrachum locis XXXIIII: I II III quater: Dionys. $3_6$, Alex. $182_6$, Men. $219_{14}$, 437, I II IIII novies: Antiph. $202_{13}$, Eubul. 55, Nicostr. $19_3$, Ephipp. $15_4$, Henioch. $4_{10}$, Alex. $135_4$, $172_{10}$, Men. $540_2$, Apollodor. $13_{16}$, I II V semel: Men. $621_2$, I III IIII ter: Men. $8_2$. $325_{11}$, Macho $2_7$, I III V semel: Diph. $43_{28}$, I IIII II quater: Antiph. $275_2$,

---

[1]) i. e. anapaestus in pede II, tribrachus in I.

Amph. $36_1$, Alex. $27_9$, Philippid. $9_8$, I IIII V bis: Antiph. $55_4$, Timocl. 19, II III IIII quinquies: Amph. $14_5$, Timocl. $32_3$, Men. $532_8$, Lync. $1_5$, Anaxipp. $1_{35}$, II IIII V semel: Alex. $2_7$, II V III semel: Alex. $149_2$, IIII V I bis: Men. $403_4$, $518_{15}$, IIII V II semel: Alex. $16_7$.

γ. Anapaestum et binos dactylos locis V: III I V semel: Macho $2_{11}$, IIII I V bis: Eubul. $57_4$, Phil. $79_{16}$, V I III bis: Alex. $108_2$, $110_{16}$.

δ. Binos anapaestos et dactylum locis XXIIII: I II III septies: Eubul. $93_2$, Henioch. $2_2$, Phil. $117_3$, $143_1$, Men. $223_{10}$, Apollod. 10, Euphron. $1_{22}$, I II V quater: Anaxandr. $17_5$, $49_3$, Alex. $116_4$, Anaxipp. $1_{17}$, I IIII V bis: Men. $447_1$, Baton. $5_1$, I V III semel: Alex. 114, II III V quater: Antiph. $168_4$, Arar. 5, Nicostr. $26_4$, Phil. $12_1$, II IIII V semel: Alex. $16_{11}$, II V III quater: Crat. iun. $7_4$, Diodor. $2_{38}$, Alex. $15_7$, Men. $403_6$, III IIII I semel: Eubul. 114.

ε. Dactylum et binos tribrachos locis XVI: I II III semel: Alex. $176_1$, I II IIII quater: Antiph. $241_4$, Nicostr. $1_3$, Timocl. $27_5$, Diph. $107_2$, I III IIII quater: Antiph. $58_3$, Eriph. $2_3$, Alex. $209_3$, $230_3$, I IIII V semel: Apollod. $13_{14}$, III I II semel: Phil. 194, III I IIII semel: Phoenic. $4_3$, III II IIII bis: Alex. $172_{11}$, Lync. $1_7$, V II III semel: Antiph. $277_1$, V II IIII semel: Sophil. $4_4$.

ζ. Binos dactylos et tribrachum locis XIIII: I III II ter: Amphis. $22_2$, Diph. $44_3$, Arched. $2_4$, I III IIII ter: Eubul. $94_7$, Sotad. $1_{31}$, Straton. $1_{10}$, I III V semel: Sosipat. $1_{53}$, I V II semel: Sotad. $1_6$, I V III semel: Eubul. $38_1$, III V I semel: Diodor. $2_{34}$, III V II ter: Amph. $15_{10}$, Men. $166_2$, $320_4$, III V IIII semel: Antiph. $122_9$.

η. Anapaestum, tribrachum, dactylum locis XXXI: I II III quinquies: Antiph. $140_3$, Eriph. $2_8$, Timocl. $11_9$, Alex. $230_2$, Posidipp. $26_{20}$, I II V sexies: Eubul. $9_3$, Aristophont. $10_8$, Alex. $15_{13}$. Diphil. $66_{10}$, Men. 18, Sosipat. $1_{42}$, I IIII III quater: Antiph. $271_1$, Eubul. $120_2$, Timocl. $7_1$, Diph. $18_2$, I IIII V quater: Antiph. $161_2$, Alex. $36_6$, Diph. $33_8$, Lync. $1_{22}$, I V III semel: Men. $325_{10}$, II IIII III bis: Axionic. $2_2$, Phil. $124_2$, II IIII V ter: Antiph. $190_6$, Alex. $87_2$, $266_3$, II V III bis: Alex. $102_2$, Demetr. $1_5$, III I IIII semel: Men. $623_1$, III IIII V semel: Amph. $6_3$, III V I semel: Men. $154_3$, V I III semel: Amph. $9_5$.

C. Quaternae solutiones leguntur:

α. Tres anapaesti et dactylus semel: Nicostr. $33_1$ I II IIII V: *ἁλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους, βουβάλι᾿, ὄφεις.*

β. Bini anapaesti, tribrachus, dactylus bis: Dromon. $2_3$ I V II III: *ἐπέχει τις, ἀπενιζόμεθα, τοὺς στεφάνους πάλιν,* Anaxipp. $6_3$ I II IIII III: *στελεόν· σκαφίδας τρεῖς· δορίδα· κοπίδας τέτταρας.*

γ. Anapaestus, bini tribrachi, dactylus bis: Aristophont. $11_9$ I II IIII V: ἔδοσαν, περιφανὲς σκῦλον ἀπὸ τῶν πολεμίων, Sosipat. $1_{50}$ I II III V: πότε δεῖ πυκνότερον ἐπαγαγεῖν καὶ πότε βάδην.

δ. Bini dactyli et bini tribrachi bis: Antiph. $209_8$ I V III IIII ἀνϑεσιπότατα μέλεα μελέοις ὀνόμασιν, Men. $129_4$ I III IIII V: καὶ τὸ πόπανον τοῦτ' ἔλαβεν ὁ ϑεὸς ἐπὶ τὸ πῦρ.

ε. Duo dactyli, tribrachus, anapaestus semel: Eubul. $119_2$ III V II I: ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι, Φιλοκράτης καὶ Φιλοκράτης.

In fine huius capitis iam id agendum est nobis, ne eos, qui hoc libello utentur, decipere videamur. etenim cum supra negaverimus omnino tales formas quales sunt –⏔ | ⏔– et ⏔⏑ | ⏔– legi, utpote quibus proceleusmaticus existeret, iam ipsi adferamus oportet locos aliquot, qui, quales quidem codicibus traduntur, hanc formam prae se ferre videntur. qua de re cum praeter Godofredum Hermannum Reisigius in Coniectan. ad Aristophanem et nostris temporibus Rumpelius Phil. XXVIII, 626 et Christius p. 329 vario modo disputaverint, iam singulos versus accuratius inspiciamus necesse est. atque nullo pacto ferri posse dactylum et anapaestum in una eademque dipodia coniunctos omnes consentiunt. cui legi repugnant Antiph. $159_4$ οὐχὶ μὰ Δία τίτϑας εἰσάγουσι βασκάνους –⏑ ⏑ | ⏔ – | (κοὐ μὰ Δία coni. Hanov. Exerc. crit. 194), Anaxandr. $28_1$ οὐχὶ μανικόν ἐστ' ἐν οἰκίᾳ τρέφειν ταῶς –⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ – | (οὐ μανικόν ἐστ' suspicatus est Dindorf), Diph. $104_2$ τὴν γὰρ ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολὴν οὐ προσδοκᾷ –⏔ | ⏔– | (Reisig p. 29 suasit τήν γ' ἐπί), Machon. $2_{11}$ εἴσαγε διὰ πασῶν Νικολαΐδας Μυκόνιος –⏑⏑ | ⏑⏑– | (Meineke et Herwerden Mnem. nov. VI, 83 frustra operam consumpserunt in emendando; versus nondum sanatus est). qui praeterea a Christio adferuntur loci: Alex. $209_1$ et Damox. $2_{23}$, nunc Kockii opera codicibus melius inspectis in formam genuinam restituti sunt.

Iam accedamus ad alteram formam ⏔⏑ | ⏔–; quam unus Reisigius tuendam suscepit, cum verum proceleusmaticum statueret ⏔⏑́⏑ | ⏑– pro anapaesto positum ⏔⏑́⏑. sed ea re, ni fallor, ipsum fundamentum eius sententiae corruit; nam si proceleusmaticum pro anapaesto positum statuimus, eum eisdem incisionibus carere oportet, quibus ne anapaestus quidem impeditur: ⏑ | ⏑⏑́⏑ et ⏔ | ⏑́⏑. si autem locos inspicies, non solum incisionem, sed etiam interpunctionem reperies. atque quamquam me non fugit Reisigio ipsa in hac re excusationem positam videri, tamen me ille non adsentientem habebit. nam sane pronuntiatio facilior fit interpunctione, sed rhythmus iambicus omnino tollitur. accedit quod equidem semper molesti a quadam et labore fere implicabar, cum tales versus conabar pronuntiare. atque hac in re sensus rhythmicus, ut ita dicam, non nihili faciendus videtur, cum tot milia versuum iterum atque iterum

perlegerim, qui in universum elegantissimi sunt atque multis rebus simpliciores Aristophaneis. quare quod ad poetas pertinet, de quibus agimus, cum Kockio, novissimo fragmentorum editore, iis adsentiar, qui formas illas parum elegantes, immo molestas emendatione removendas censuerunt. iam velim ipse tales versus pronuntiare coneris: Nicostr. $15_2$ *λευκός· τὸ γὰρ πάχος ὑπερέκυπτε τοῦ κανοῦ*

III IIII

| ◡ ◡‖◡́◡ | ◡ – |

(facillima transpositione Porson restituit *λευκός· τὸ πάχος γὰρ ὑ.*), Antiph. $234_6$ *ἄνω, βραχεῖαν ἀπόδοσιν ἐγκαταστρέφει*

III IIII

| ◡‖◡ ◡́ ◡ | ◡ – |

(Dobraeus scr. *ἀπόδος, ἐγκ.*), Men. $248_5$ *σύμβουλος· ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει*

II III

| ◡‖◡ ◡́◡ | ◡ – |

(Porson coni. *ὁ λογισμῷ διαφέρων*), Eubul. $99_1$ *στεφάνους ἴσως βούλεσθε· πότερον ἑρπυλλίνους*

IIII

| ◡‖◡◡́ ◡ |

(Canter proposuit *πότερ᾽ ἑρπυλλίνους*).

## VI. De caesuris.

De caesuris quoniam iam in singulis pedum, inprimis anapaesti solutionibus describendis verba fecimus, nihil restat nisi ut in universum pauca addamus.

Caesuras trochaicas in trimetro iambico saepissime legi sat notum est, atque semiquinariam paulo saepius quam semiseptenariam; velut:

| apud | penth. | hephth. | summa |
|---|---|---|---|
| Antiphanem .......... | 49·4 | 42·5 | 91·9 |
| Anaxandridem ........ | 56·2 | 32·7 | 88·9 |
| Alexidem ............ | 49·2 | 36·6 | 85·8 |
| Eubulum ............ | 51·8 | 33·8 | 85·6 |
| Timoclem .... ..... | 52·3 | 38·5 | 90·8 |
| poetas. min. med. com. | 50·3 | 38 | 88·3 |
| Philemonem......... | 52·9 | 43·2 | 96·1 |
| Diphilum ............ | 42·5 | 47·1 | 89·6 |
| Menandrum .......... | 52·4 | 35·3 | 87·7 |
| poetas. min. nov. com. . | 51·8 | 39·6 | 91·4 |

Sed iam videamus, quid de iis versibus statuendum sit, in quibus hae caesurae principales non conspiciuntur, ut id potissimum enucleemus, utrum aliis caesuris praeter penthemimerem et hephthemimerem locus dandus sit necne. etenim cum iambicae quas dicunt trimetri caesurae inprimis post Preussium,[1]) A. Schmidtium,[2]) Naumannum[3]) omnibus fere viris doctis exploratae esse viderentur, Klotz[4]) novam atque ex parte principali quidem tam inauditam de caesuris protulit sententiam, ut non alienum putem paucis hanc Klotzii legem explicare atque perstringere. Klotzii enim sententia omnes trimetri aut caesura principali sunt instructi aut caesura omnino carent. sed unumquemque facile sentire puto Klotzium, dum omnes versus in duas classes distinguere studet, violentius egisse. etenim caesuris principalibus multo maiorem ambitum dedit atque etiam in talibus versibus aut penthemimerem aut hephthemimerem statuit (p. 188), quales sunt: Alex. $219_{12}$ *ἀφειμένους ἐκ* | *τοῦ θανάτου καὶ τοῦ σκότους*, $143_2$ *B. πῶς συμβολάς; A. τὰς* | *ταινίας οἱ Χαλκιδεῖς* al. caesuras principales enim eisdem condicionibus admitti putat quibus versus clausulas itaque voces monosyllabas arte cum proximis cohaerentes veluti praepositiones vel articulum ut in versus clausula ab iis disiungi posse. sed id perversum esse ex ipsa caesurae natura evincitur. nam caesura orationis pausa significatur, non versus clausula; non versus recitantur, sed membra a caesura ad caesuram pertinent. quare longe diversae sunt versus clausula et caesura. sane facillimum est versum tamquam lineola in duas partes dissecare, sed quis quaeso hos trimetros recitare potest? maxime autem in eo peccavit Klotz, quod extrinsecus caesuram in versus intrusit; contra mihi quidem cum Preussio et Naumanno, qui p. 7 optime de hac re disseruit, exploratum est caesuram non oculis, sed auribus esse iudicandam. numquam igitur adducar, ut mihi persuadeam tali modo trimetros condi atque recitari posse. quod deinde Klotz Meklerum secutus de caesura latente quam dicunt et de vocabulis longis, quibus caesura impediatur, dicit, me adsentientem habet, quamquam negari non potest extare versus, qui sat longis vocibus efficiantur ac tamen caesuram principalem praebeant, velut Alex. $149_{11}$ *ὥστ' ἢ προοπτήσαντα χλιαίνειν πάλιν*, $149_{12}$ *ἢ μὴ προοπτήσαντα συντελεῖν ταχὺ* al.

Quibus expositis iam eos versus adscribam, in quibus, etsi nec penthemimeres nec hephthemimeres audiatur, tamen aliam caesuram statuendam esse unumquemque sentire puto. nam meo quidem iudicio utique caesurae iambicae

---

1) 'De senarii Graeci caesuris' diss. Regiomont. a. 1558.

2) 'De caesura media in Graecorum trim. iamb.' diss. Bonn. a. 1865.

3) 'Ueber die Caesuren des Trimeters in der Electra des Sophocles' progr. Belgard. a. 1877.

4) l. c. pag. 187—206.

statuendae sunt in his versibus: ac primum tertiaria prima i. e. caesura iambica post pedem alterum: Antiph. 68$_2$ ὑμᾶς ἐγώ· σὺ δ' ἀγοράσεις ἡμῖν λαβών, 138$_1$ κεστρεῖς ἔχων, ἀλλ' οὐ στρατιώτας, τυγχάνεις, 152$_3$ ἑτοιμάσει, σπονδὰς ποιήσει, τἄλλ' ὅσα, 202$_2$ πολὺν χρόνον; B. τὸν πάνθ' ἕως ἦν ὁ πόλεμος, Eubul. 61$_2$ χολὴν ἔχειν, ὡς δ' ἤπάτῳ μοι διελέγου, 98$_3$ κεχριμέναι. κἂν ἐξίητε τοῦ θέρους, Anaxil. 9$_2$ δῷς, ἀλλ' ἀπόδος. B. καὶ δὴ φέρουσ' ἐξέρχομαι, Timocl. 9$_3$ τὸν βουλόμενον. ὁ Χαιρεφῶν μὲν παντελῶς, Theophil. 12$_6$ παιδὸς κόρης, οὐ νοῦν ἔχω πρὸς τῶν θεῶν, Alex. 46$_6$ εἰς τὴν ἀγοράν, τοὔψον πριάμενος οἴχεται, 143$_2$ πῶς συμβολάς; A. τὰς ταινίας οἱ Χαλκιδεῖς, 3$_2$, 9$_7$, 15$_8$, 28$_2$, 36$_8$, 107$_2$, 144$_1$, 209$_7$, 245$_{14}$, 288$_2$, Phil. 74$_3$, 96$_3$, Hipparch. 1$_5$, Sosipat. 1$_{56}$, Epinic. 2$_3$, 2$_4$, Posidipp. 30$_2$, Men. 96$_3$, 109$_4$, 113$_1$, 113$_2$, 187$_1$, 349$_3$, 363$_3$, 462$_5$, 466$_2$, 482$_6$, 532$_{14}$, 717$_2$; tum caesura media i. e. post pedem tertium, qua caesura versus in duas partes aequales dividitur: Antiph. 44$_4$ ἀπόλαυε τοῦ ζωμοῦ, φόρει τοὺς βύστακας, 68$_{12}$ ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. A. τί φής, ὦ φίλτατε, 129$_6$ ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. B. τὸ δεῖνα δ' ἐσθίεις; 136$_1$ ἐν ὅσῳ δ' ἀκροῶμαί σου, κέλευσόν μοί τινα, 136$_2$ φέρειν ἀπονίψασθαι. B. δότω τις δεῦρ' ὕδωρ, 202$_6$ ὑπὸ τῶν περιστερῶν, ὑπ' ἄλλου δ' οὐδενός, 247$_1$ τὸ γὰρ πεπαιδεῦσθαι, μόνον ἄν τις τοῦτ' ἔχῃ, 287 ἐπεὶ δ' ὁ τρίπους ἤρθη, κατὰ χειρῶν τ' εἴχομεν, Anaxand. 15$_2$ ὡς δ' εὐρύθμως βαλὼν τὸ μελετητήριον, Eubul. 98$_4$ ἀπὸ τῶν μὲν ὀφθαλμῶν ὑδρορρόαι δύο, 107$_6$ πρωκτὸς μὲν οὖν οὗτος. B. σὺ δὴ ληρεῖς ἔχων, 119$_{12}$ δι' ἀσχολίαν ἥκειν παρόνθ' ἅμ' ἡμέρᾳ, 150$_1$ Ἀμφιδρομίων ὄντων, ἐν οἷς νομίζεται, cf. Ephipp. 3$_4$, Arar. 17$_1$ ὅπως δὲ τὴν νύμφην, ἐπειδὰν καιρὸς ᾖ, Epicrat. 5$_4$ ἢ τὴν ἀμίδα φέρειν, δρᾶν τε κείμενα, Anaxil. 3$_1$ ὕδατός τε λακκαίου. B. παρ' ἐμοῦ τουτί γέ σοι, 20$_2$ ἀναρπάσας Μάτων, ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι, 25$_2$ μὴ Κτησίας μόνος. B. τί γὰρ σὲ κωλύει; Diodor. 2$_{30}$ ἔχοντας οὐσίας, καλῶς βεβιωκότας, Timocl. 18$_1$ ἤδη προσενήνεκται; τί μέλλεις; σπεύδετε, 32$_5$ τῶν ἑστιωμένων. ἔδει δὲ τοὔμπαλιν, Theophil. 8$_5$ μνᾶς, B. ἐπέπιες δὲ πόσον; A. ἀκράτου δώδεκα, Alex. 16$_8$ ἐὰν δ' ἐρωτήσῃς ʽπόσου τοὺς κεστρέας, 30$_6$ ἔκλειψιν ἡλίου, τί τῶν κοινῶν κάτω, 135$_2$, 135$_3$, 135$_{12}$, 145$_2$, 170$_1$, 200$_6$, 201$_7$, 220$_5$, 263$_7$, 290$_1$, Phil. 37$_1$, Apoll. Car. 5$_1$, 5$_3$, 5$_{13}$, 5$_{16}$, Apoll. 15$_2$, Anaxipp. 1$_{27}$, 6$_4$, Philippid. 27$_4$, Posidipp. 27$_5$, 28$_1$, Men. 66$_5$, 67$_2$, 94$_2$, 128$_1$, 128$_3$, 154$_2$, 223$_3$, 302$_6$, 309$_2$, 349$_5$, 354$_2$, 402$_2$, 405$_4$, 457, 462$_{10}$, 489$_2$, 546$_5$, 547$_1$, 562$_3$. deinde tertiaria secunda i. e. post pedem quartum: Antiph. 104$_1$ ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνήρ· ὁ μὲν κακῶς, 140$_4$ μελίπηκτα δ' εἴ σοι προσφέροι; B. τρώγοιμι καί, 193$_1$ Βοιώτιαι μὲν ἐγχέλεις, μῦς Ποντικοί, 226$_{10}$ πέπρωθ' ἑκάστῳ τῶν φίλων; ταχὺ δὴ λαβών, 327$_1$ ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν· τὰ δὲ χρήματα, Anaxand. 52$_2$, Eubul. 25$_4$ τούτους μόνους ἐλευθέρους, κἂν δοῦλος ᾖ, 60$_2$ καὶ τοῦτο, νὴ τὴν Ἑστίαν, οἴκοι ποθ' ὡς, 121$_2$ καὶ πέντε κλίνας Σικελικάς, B. λέγ' ἄλλο τι, Philetaer. 12 τίς ἐστι μαιμακτηριών; B. μὴν δικάσιμος,

Phil. iun. $1_1$ *ἐάσαθ' οὕτως ὡς ἔχει. τὸ πῦρ μόνον,* Alex. $9_{12}$, $19_2$, $27_2$, $96_1$ *καὶ θηρίκλειός τις κύλιξ, στέφανον κύκλῳ,* $112_2$ *ἤδη τετάρτην ἡμέραν, B. ἦσαν κόραι,* $124_{13}$, $127_1$, $204_1$, $204_2$, Phil. $114_1$, Diph. $64_1$, $73_3$, Apoll. Car. $6_1$, Men. $66_2$, $113_3$, $281_1$, $402_{13}$, $518_6$, $536_9$. denique tertiaria prima coniuncta cum secunda: Antiph. $148_2$ *μετέρχετ' αὖ, προσέρχετ' αὖ, μετέρχεται,* Xenarch. $4_{17}$ *μεθ' ἡμέραν, πρὸς ἑσπέραν, πάντας τρόπους,* Theophil. $12_7$ *κάλλει καλῆς, μεγέθει μεγάλης, τέχνῃ σοφῆς,* Diph. $73_2$ *B. ἀστεῖος εἶ. δραχμὴν ὑπόθες. A. κεῖται πάλαι,* Anaxipp. $6_5$ *τὸ λεβήτιον· τἀκ τοῦ νίτρου· πάλιν ὑστερεῖς,* Posidipp. $1_8$ *καπνὸν οὐ φέρων, πῦρ οὐ φέρων. ἐκ τοῦ πυρός,* Men. $123_2$ *τὴν ἡμετέραν, ὦ Δημέα, προκατέλαβες,* $562_2$ *'μεσαγκύλῳ'. πῶς πρὸς θεῶν; 'ἐπὶ κλίμακα.* restant sat multi versus, qui aliam praebent caesuram, nisi forte eos versus caesura plane carere mavis: *α)* Antiph. $18_2$ *πληγείς, τέως μὲν ἐπεκράτει τῆς συμφορᾶς,* $33_2$ *ὁ γέρων; B. ἀπὸ τῆς μὲν ὄψεως 'Ελληνικός,* cf. Antiph. $1_6$, Alex. $265_3$, Men. $292_2$ al. *β)* Antiph. $246_2$ *ἔσθ' ἡδύ, καὶ τῶν πολλάκις θρυλουμένων,* Eubul. $122_5$ *καὶ πέντε — B. πεντηκοστολόγος γενήσομαι,* cf. Alex. $9_3$. *γ)* Antiph. $68_6$ *ἰχθὺν τίν' ἡδέως φάγοις ἄν; Φ. εἰς ἀγρόν,* cf. $55_1$, $207_4$, Eubul. $121_3$. *δ)* Antiph. $20_1$ *κρέας δὲ τίνος ἥδιστ' ἂν ἐσθίοις; B. τίνος;* cf. $58_7$, $74_{11}$, Men. $481_5$.

Hae igitur sunt principales caesurae formae. sat multis locis de caesura statuenda diiudicari nequit; multa enim fragmenta enumeratione rerum pretiosarum aut ciborum conficiuntur ita, ut versus, quibus eae continentur, plane sint dissecti atque discerpti. tales enumerationes vel ut ita dicam indices propriae sunt comoediae mediae et novae. adde quod versus leguntur, quorum singuli pedes singulis vocibus efficiuntur, velut Antiph. $191_{13}$ *ἔπειθ' ὅταν μηδὲν δύνωντ' εἰπεῖν ἔτι.* iam, id quod supra dixi, Klotzio libenter concedo sat multos versus caesura carere, cum vocabulis nimis longis conficiantur; atque adeo unum versum legimus, quem Klotz adferre neglexit, Aristophanis exemplo ex uno vocabulo conformatum, Ephipp. $14_3$ *Βρυσωνοθρασυμαχειοληψικερμάτων.*

Quod ad versus clausulam adtinet, ne id quidem poetae, de quibus agimus, evitare studuerunt, ut versus in monosyllabum desineret, quod ad versum sequentem pertinet, velut Antiph. $190_{14}$ *τί οὖν ὄφελος τῶν νησιαρχῶν ἐστι;* || *δεῖ,* id. $233_4$ *ὁ διδοὺς τὸν ὅρκον* || *ἐγένετ' ἐμβρόντητος,* | *ὡς.* denique de Porsoni illa regula notissima nos omnino miros habere non potest, quod sescenti versus huic legi repugnant.

## VII. De prosodia.

### *a.* De positione debili.

Mediae et novae comoediae poetae nusquam vocalem produxerunt ante consonas mutas cum liquida coniunctas: *κλ, πλ, φλ, χλ, θλ, κμ, τμ,*

ϑμ, χμ, πν, φν, τν, κν, χν, ϑν, πρ, φρ, βρ, κρ, χρ, γρ, τρ,[1]) ϑρ, δρ. nam quod· tribus locis *Κύπρις* legitur, iam videamus, quid de ea re statuendum sit. Antiph. $242_3$ *ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ τοῖς κακῶς* | *πράσσουσιν οὐκ ἔ̄νεστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς*. Antiphanes sine dubio, id quod saepissime fecerunt poetae comici, eclogam Euripideam expressit; cf. Eur. fr. 887 *ἐ̄ν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶσι δ' οὔ.* eodem modo etiam altero loco, Eubul. $67_8$, manifesta tragoediae imitatio statuenda est, quod et ex verbis cognosces et ex metro; nam per totam eclogam poeta anapaestis abstinuit. de tertio loco, Timoth. $2_2$, omnino non statui potest, utrum Timotheo lyrico an comico attribuendus an omnino a Timotheo abiudicandus sit. attamen unus restat locus, Antiph. $163_6$ *τούτῳ δέ, τέκνον, πολλὰ κἀγάϑ' οἱ ϑεοὶ* | *τῷ δημιουργῷ δοῖεν, ὃς ἐποίησέ σε*, ubi Kockius adnotat: '*τέκνον* producta syllaba priore, tragicorum more'. quod confidentius expressisset vellem; nam meo quidem iudicio etiam hoc loco tragoediae imitatio ex ipso sermonis colore cernitur. minime autem Menandro tribuendum est fr. 1085, in quo legimus: *πατρός, τέκνον, τέκνα, τε̄κνου.* quodsi muta et liquida non eiusdem vocabuli sunt, vocalis ut par est producitur omnibus locis. conferas Alex. $2_4$ *ἐκνενιτρωμένα*, $30_6$ *ἔ̄κλειψιν*, $33_4$ *ἐ̄κλεγόμενος*, $46_5$ *ἐκνεφίας*, Eubul. $56_5$ *ἐκνενιμμένην*, Timocl. $13_3$ *ἐκλύτου*, Diph. $44_1$ *ἐκλελεγμένον*, Philem. $71_{11}$ *ἐκλίπῃ*, Men. $284_1$ *ἐκμαθεῖν*, $325_{14}$ *ἐκλέγῃ*, $407_2$ *ἐκ ῥίζης*, 820 *ἐκμαθεῖν*, Philipp. $17_2$ *ἐκφέρῃ*. contra vocalis brevis producitur ante *βλ, γλ, γν*, veluti Antiph. $55_{17}$ *δεῦρο̄ βλέπε*, $175_5$ *περῑβλέπτους ταῶς*, Alex. $86_3$ *ἐμε̄ βλέπων*, $87_4$ *οἷος ὁ̄ γλυκύτατος*, $210_3$ *ἐστῑ γλυκύ*, $227_3$ *ὁ Βλεπαῖος*, Dionys. $2_5$ *ἐπῑβλέψῃ*, $2_{13}$ *διᾱβλέψαι*, Diph. $61_2$ *τὰ τρίγλυφ'*, Philem. $73_4$ *ἀπο̄βλέπει*, Men. $541_3$ *το̄ βλέπειν*, $586_2$ *ἀντῑβλέπειν*, $1092_2$ *ἀπο̄ γλώσσης*, Antiph. $126_2$ *ἀγνοεῖς*, $191_3$ *ἐγνωρισμένοι*, $237_3$ *ἕ̄λκουσῑ γνάθοις*, Alex. $135_3$ *ἀνᾱγνώσει*, $219_8$ *ἔ̄γνωκα*, $245_3$ *ἀγνοεῖν*, Eubul. $89_2$ *παρᾱ Γναθαινίῳ*, Men. $325_4$ *οὐκέτῑ βλέπεις*. cum igitur vocalis, in primis ea quae in arsi posita est omnibus locis producatur, idem de his locis statuendum est, de quibus primo adspectu quidem dubitare possis, dico Men. $402_5$ *ἵ̄ν' ἀπο̄βλέπωσιν πάντες*, Baton. $4_3$ *καὶ βῡβλίον ἐν ταῖς*. hanc legem Meinekio teste[2]) semper Aristophanes et antiquae comoediae poetae omnes secuti sunt; contra certissimis exemplis firmata est correptio apud mediae novaeque poetas comoediae, veluti Antiph. $175_2$ in thesi quarti pedis: *φοίνικας ἐν Ἀθήναις δε̆ γλαῦκας* . . . Men. $638_1$ in pede secundo: *μὴ τοῦτο̆ βλέψῃς* . . . id $683_2$ in pede quarto: *περιβε̆βλῆσθαι πράγματα.*

---

[1]) Quare Phil. $12_1$ Meinekii emendationem recepimus, cf. p. 324.
[2]) Cf. Hist. crit. p. 294.

### b. De positione consona *P* effecta.

Poetas atticos produxisse vocalem brevem ante vocabulum quod a *P* incipit sat notum est.[1]) quam in rem conferas ex comoediae mediae et novae poetis quaeso hos locos: *ῥέπω:* Antiph. $124_{11}$ *ἐνταῦθᾱ ῥέπων* (Rumpel n⁰ 5), *ῥεῖθρον:* id. $231_{2}$ *παρᾰ̀ ῥείθροισι* (Rumpel n⁰ 3, cf. Soph. Ant. 712), *ῥόα:* Eriph. $2_{10}$ *δὲ̄ ῥόαι*, Alex. $73_{1}$ *οὐδὲ̄ ῥόαν*, *ῥαίνω:* Antiph. $217_{12}$ *ἐφέστηκε̄ ῥανῶν* (Rumpel n⁰ 16), *ῥύγχος:* Anaxil. $19_{4}$ *ὠτίᾱ, ῥύγχη* (ex coni.), Alex. $110_{15}$ *ποδάριᾱ, ῥύγχη*, *ῥίζα:* Men. $716_{2}$ *ἀπὸ̄ ῥίζης* (Rumpel n⁰ 8).

### c. De diphthongis correptis.[2])

Cum sat notum sit vocabulorum *ποιεῖν* et *τοιοῦτος* diphthongum *οι* sescentis locis corripi,[3]) exempla adferre supersedeo et de iis tantummodo correptionibus verba faciam, quae in aliis vocabulis conspiciuntur. cuius generis sunt: *Πειραιεύς:* Philisc. 2 *ὁ Πειρᾰιεύς*, Alex. $245_{1}$ *ἐκ Πειρᾰιῶς*, Criton. $3_{4}$ *ἐκ Πειρᾰιῶς*; confer Aristoph. Pac. 145 *ἐν Πειρᾰιεῖ*, fr. 608: *τὸν Πειρᾰιᾶ*, Machon. ap. Athen. XIII, 582 b *εἰς Πειρᾰιᾶ*. in inscriptionibus leguntur hae formae: *Πειραέας*, *Πειραέων*, *Πειραεῦσι*,[4]) in inscriptione quadam navali apud Boeckhium[5]) *ΕΜΓΕΙΡΑΕΙ*. — *Ἀθηνᾰίων*, *Ἀθηνᾰίας*, de quibus conf. Pherecrat. 34, Eupol. 35, Polyzel. $11_{3}$, Aristoph. Vesp. 282; Schol. Hephaest. cod. Saibant. Gaisf.² I 156. sed quod ad rem nostram adtinet, cur Kockius ad Phil. $66_{3}$ *καὶ Ναυσινίκας, τὰς Ἀθηναίας λέγω* adnotaverit: *Ἀθηνᾰίας* ut Pherecrat. 34, causam equidem non video, cum diphthongo *αι* quinti pedis thesis efficiatur. — Mnesim. $4_{47}$ *οῐός*. — Eubul. $84_{4}$ *οῐ̆ας*. — Alex. $261_{3}$ *ἐλᾰῶν*. — Eubul. $117_{13}$ *δείλαῐος*, cf. Aristoph. Equ. 139. — Posidipp. $26_{21}$ *ἱέρεῐαι*.

### d. De *ι* quod vocatur *δεικτικόν*.

*Ι δεικτικόν* quod vocatur omnibus fere locis adiectum vocibus *οὗτος*, *ὅδε*, *νῦν* ubique longum usurpari nemo nescit. contra iota in vocula *οὐχί δεικτικόν* non esse ex eo elucet, quod omnibus locis nullo excepto brevis est. cuius rei ut pauca adferam exempla, conferas Diph. $66_{10}$,

---

1) Cf. Christ. p. 15 et, qui de tragicis egit, Rumpel. Phil. XXV, p. 477—483.

2) Cf. Meisterhans. 'Grammatik der attischen Inschriften' p. 13, Wecklein. 'Cur. epigr.' p. 63 sq., Cauer. 'De dialecto Attica vetustiore' p. 271, G. Meyer. 'Griech. Grammatik' p. 144, Kühner I³ p. 313, Christ. p. 26.

3) Quamquam ea res ita potest expediri, ut statuamus *ποιῶ* pronuntiatum esse *ποϳῶ*, *ποῶ*, unde quomodo orta sit scriptura *ποῶ* non inusitata apud Graecos facile intellegitur.

4) Cf. Corp. inscr. Gr. 102.

5) Cf. Boeckh. 'Urk. über d. Seew.' p. 439, 30. in universum conf. Meinek. vol. IV, p. 538, Lobeck. Paralip. p. 27, Draco. Straton. p. 75, 24 *Πειραϊκός· μετὰ συστολῆς τοῦ*

Phil. $11_1$, $41_3$, $100_5$. quam rem uno verbo adtigi propter Chaigneti errorem, de quo supra verba feci.[1])

### *e.* De synizesi.[2])

Per synizesim legendi sunt hi loci: Anaxandr. $55_2$ *ἢ ἀκρατής*, Men. 777 *ἢ ἀληθές*, Timocl. $35_2$ *μὴ ἔχει*, Philem. $94_1$ *μὴ ἀδικῶν*, Diph. 116 *μὴ εὐλαβοῦ*. paulo diversi sunt hi loci, quibus *δέῃ* tamquam monosyllabum pronuntiatur:[3]) Philetaer. $3_1$, Philem. $120_3$ in senariis, denique Men. $924_3$ in tetrametro trochaico.

### *f.* De terminatione *α* accusativi nominum in *εύς* desinentium correpta.

Hanc correptionem, cum Euripides aliquotiens admiserit, numquam sibi licitam esse putavit antiqua comoedia.[4]) contra mediae et novae comoediae poetae saepe eam syllabam corripuerunt, veluti Antiphan. $261_2$ *γονέᾰς*, Alex. $115_3$ *στρωματέᾰ* (Meineke cum Casaubono scripsit *στρώματά τε καί*), Theophil. $1_3$ *τὸν τροφέᾰ*, Euphron. $3_1$ *ψυγέᾰ*. adde Philem. 80 *ἠγόρασα νῆστιν κεστρέ' ὀπτὸν οὐ μέγαν.*[5])

### *g.* De terminatione *εος* pro *εως* adhibita.

Eubul. $120_8$ *πόλεος*, Eubul. $67_9$, $94_7$ *ὕβρεος*, Theopomp. com. $32_3$ *φύσεος*, cf. Aristoph. Plut. 1044 *ὕβρεος* et Vesp. 1282, 1458 (in melicis) *φύσεος*.

### *h.* De singulis vocabulis.

Hoc loco de quibusdam vocabulis verba faciam, quorum mensura alia est apud poetas comicos, alia apud ceteros. huc pertinent: *κεκρύφαλος*. Antiphan. $117_2$ in tetr. troch. *νῦν δ' ὁμηρεύουσ' ἔχοντες πορφυροῦς κεκρῡφάλους*, id. 189 *στίμμιν, κάτοπτρα, κρωβύλους, κεκρῡφάλους*, cf. Aristoph. Thesmoph. 138 *λαλεῖ κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρῡφάλῳ;* id. fragm. $320_6$ *τρυφοκαλάσιριν, ἐλλέβορον, κεκρύφαλον*, qui loci omnes id commune habent,

---

*α ἀναγνωστέον Πειραεύς καὶ τὸ κτητικὸν Πειραϊκός*, Steph. Byz. s. v. *Πειραιός· λέγεται καὶ κτητικῶς Πειραικός, μετὰ συστολῆς τοῦ α.*

[1]) Cf. p. 328.

[2]) Cf. Christ. p. 33.

[3]) Cf. Christ. p. 28. Rumpel. Phil. XXVI, 241 sq.; Kockius ad Aristoph. Ran. 265 (*δέῃ*) adfert Plut. 216 (*δέῃ*). Dindorfius ubique cum Meinekio aliisque *δῇ* scripsit.

[4]) Cf. Mein. Hist. crit. p. 295.

[5]) **Adnotavit Kock.: 'de elisa *ᾰ* cf. Dobr. Auct. Pors. Miscell. 384, Machon. ap. Athen. XIII, 577 d *τὸν βασιλέ' εὐμελῶς*'.**

quod voce *κεκρύφαλος* versus terminatur. ubique enim tertia dipodia quam dicimus hac voce conficitur. contra in genere dactylico omnibus locis hanc reperimus mensuram: *κεκρῠφᾰλων*, cf. Anthol. Pal. V, $276_{10}$, VI, $207_2$, $280_2$, Hom. *X* 469. schol. A igitur ad hunc locum adscriptum: *παρὰ τοῖς νεωτέροις ἐκτείνεται τὸ ῡ τοῦ κεκρυφάλου* hoc modo accipiendum atque intellegendum est: vocis *κεκρύφαλος* mensura est: in genere iamb. (et troch.) | ⏑ – | ⏑ ⏓, in genere dactyl. | – ⏑⏑ | –. — *ἰατρός*. in lexicis adnotatum invenies: 'ῐ, selten kurz'. at haec res certis quibusdam finibus circumscribi potest. atque quae nostra provincia est, in genere iambico ι, longe plurimis locis in thesi positum, ubique breve est: cf. Antiph. $40_6$, Timocl. $13_3$, Philem. $11_6$, $75_3$, $108_3$, $134_1$, Philem. iun. $2_2$, $3_1$, Menand. $282_3$, $559_1$, $591_2$, $677_1$, 1112. de quibus locis nulla omnino est dubitatio. contra in arsi positum semper producitur ι, veluti Diph. $88_3$, 117, Philippid. 32, Antiph. $208_2$, $259_1$, Men. $497_1$. — *ἥδῑον*.[1]) Alex. $25_6$ *τύρβαζε, Μάνη, γαστρὸς οὐδὲν ἥδῑον*, cf. Eurip. Suppl. 1101 . . . *οὐδὲν ἥδῑον*, Aristoph. Equ. 1263 *κάλλῑον* (in melicis), Aeschyl. fr. $302_3$ *N. βέλτῑον*, ubi Burneius frustra *βέλτερον* coniecit. — *Κῠρήνη*. Alex. $36_3$ (in arsi) *ἐπέθετο· Κῡρηναῖος ἦν ἐνταῦθά τις*, cf. Aristoph. Thesm. 98 (in arsi) *ἄνδρ' οὐδέν' ἐνθάδ' ὄντα, Κῡρήνην δ' ὁρῶ*. contra Alex. $239_1$ (in thesi) *ἄνθρωπος εἶναί μοι Κῠρηναῖος δοκεῖς*. quo loco Kockius Herwerdeni coniecturam probat: *ἄνθρωπε, Κυρηναῖος εἶναί μοι δοκεῖς*. at si mecum Hermipp. $63_4$ comparaveris: *ἐκ μὲν Κῠρήνης* . . . facile intelleges vocalem *υ* in thesi positam brevem usurpari, qua mensura etiam Hesiodus et Pindarus usi sunt. quare non est quod in Alexidis versu quicquam novemus. — *πῑομαι*. *πίομαι* apud Homerum, Pindarum, poetas tragicos, Aristophanem, Cratinum 135 legitur, item Alex. $111_8$, $291_2$; contra *πῐομαι* extat Epigen. $4_4$, Epicr. $3_{21}$, cf. Platon. fr. 9, 163, Amips. $22_2$. ac duplicem vocalis ι mensuram fuisse Athen. X, p. 446 e docet; conf. Herodian. II, $570_{10}$. his quae modo disputavimus adiciatur parva de voce *ἐγχειρίδιον* adnotatiuncula, in qua voce ι ante δ semper brevis est, veluti Men. $20_1$, $74_6$, cf. Hermipp. $46_5$. contra usum igitur sat firmum et certum Porsonus Advers. p. 292 peccavit, cum Menandri fragmentum supra adscriptum hoc modo restituere voluit: *καὶ χρυσολαβὲς πάνυ καλὸν ἐγχειρῑδιον*, unde error in Passowii lexicon irrepsisse videtur, ubi legimus: ῑδ Men. — *ἅπαν*. Men. $129_5$ *ἅπᾱν ἐπιτεθέν· οἱ δὲ τὴν ὀσφὺν ἄκραν*, cf. Bekk. Anecd. $416_{11, 13}$: *ἅπαν· οἱ μὲν Ἴωνες συστέλλουσι καὶ οἱ ποιηταί . . . καὶ οἱ Ἀττικοὶ ἐκτείνουσι τὴν ὑστέραν*. — postremo formarum quarundam mentionem faciam, quas quamquam earum ratio plane diversa est ab eis, de quibus modo diximus, tamen propterea hoc loco commemorandas esse

---

[1]) Cf. Mein. Hist. crit. p. 397, Kuehner. I³ § 122 adn. 10.

duxi, quod poetae has formas partim aetate inferiore ortas propter facilitatem versuum pangendorum antiquioribus nonnumquam praetulisse videntur. sunt autem hae: ὀπτάνἴον: Herodian. I, $375_{28}$ ὀπτανεῖον· παρὰ δὲ τοῖς Ἀττικοῖς καὶ διὰ τοῦ ι γράφεται καὶ προπαροξύνεται οἷον ὀπτάνιον, cf. I, $363_{5}$, II, $459_{32}$, Phryn. epit. 276: ὀπτάνιον λέγουσιν, τῆς μὲν δευτέρας συλλαβῆς ὀξυτονουμένης, τῆς δὲ τρίτης συστελλομένης. legitur hoc verbum Alex. $173_{13}$, Philem. $61_{1}$, Hegesipp. $1_{19}$, Sosipat. $1_{39}$, Damox. $2_{45}$, cf. Aristoph. Equ. 1033, Pac. 891. omnibus fere locis codices male ὀπτανεῖον praebent. — ἔσθω. Philippid. $9_{5}$ δυοῖν ὀβολῶν ἔσθοντας ἢ τριωβόλου ('ἔσθειν solus inter comicos in trimetro pro ἐσθίειν usurpavit' Kock). de hac verbi forma, quae saepe apud Homerum et Hesiodum legitur, conf. Aeschyl. Agam. 1597, Python. Catan. in fab. satyr. apud Athen. XIII, 596 a, Zonar. p. $88_{2}$. — θέρμᾰ: Men. 98 βουβὼν ἐπήρθη τῷ γέροντι, θέρμᾰ τε; cf. Phrynich. p. 331: θέρμα· οὕτως ὁ Μένανδρος διὰ τοῦ α, ἀλλ' οὔτε Θουκυδίδης οὔθ' ἡ ἀρχαία κωμῳδία οὔτε Πλάτων, θέρμη δέ. — δοίησαν. Damox. $2_{67}$ οὐδ' ἂν ἑτέρῳ δοίησαν, B. οὕτω συνδοκεῖ, ubi rarior forma ipso metro flagitatur. de hac forma in ησαν terminata conf. Kuehner. I. p. 544, qui haec tantum exempla adferre potuit: σταίησαν Il. *P* 733, φαίησαν Thuc. VIII, 53, διαβαίησαν Xen. Hell. IIII, $2_{6}$, παρείησαν ib. V, $2_{9}$, γνοίησαν Dem. XXXIII, 15, σχοίησαν Hyper. p. 14, 25 ed. Schneidew., παραδοίησαν Xen. An. II, 1, 10. cf. praeterea Curtii librum 'Das Verbum der griechischen Sprache' II² p. 100.

---

His rebus absolutis iam id unum restat, ut de fragmentis incertae sedis, quae collecta habes apud Kockium vol. III, 418—468, paucis exponam. quae eruimus brevissime in hanc tabulam redegimus:

| leguntur in centenis versibus | I | II | III | IIII | V |
|---|---|---|---|---|---|
| spondei | 46 | | 53 | | 48·6 |
| iambi | 25·9 | 81 | 29·4 | 82·4 | 41·1 |
| tribrachi | 6·7 | 9 | 4·1 | 9 | 1·2 |
| dactyli | 9 | | 11 | | 2·8 |
| anapaesti | 12·4 | 10 | 2·5 | 8·6 | 6·3 |

Versus, qui solis iambis et spondeis constant sunt LXXXXVIIII — 33·8 %. quinis iambis, uno spondeo conficiuntur versus XXVIIII — 10 %. trimetri integri quos dicimus sunt sex — 1:49 —: $104_{1}$, $104_{8}$, $149_{2}$, 210, 227, 269. caesurae sunt in centenis versibus: penth. 57, hephth. 34 —

summatim 91 —, aliae caesurae ad easdem formas redeunt, quas supra p. 365 illustravimus. singulae res notandae sunt hae: crasis ἢ οὐ $155_2$ cf. p. 370 e, *μητρυῖάν* $110_3$ cf. p. 369 c, *φύσεος* $134_2$ cf. p. 370 g, *ἰατρικήν* $106_6$ cf. p. 371. de ictu *τίνᾰ τρόπον* $118_1$ cf. Athenion. 8 et quae diximus p. 343.

Haec de trimetro iambico exponenda duximus; de ceteris metris alio loco data occasione agemus.